



LEGES
MUNICIPALES
PISTORIENSIUM

LEGES MUNICIPALES PISTORIENSIUM

NUPER

MANDANTE

REGIA CELSITUDINE SERENISSIMI

COSMI III.

MAGNI DUCIS ETRURIÆ VI.

Reformatæ, & Approbatæ Anno MDCCXI.





PISTORII,

Ex Typographia Stephani Gatti, Anno MDCCXIV.

DE SUPERIORUM LICENTIA.

Comprato da me Dr. Vincenzo M.o Querci ... 16. a.° anno 1804

REGIÆ CELSITUDINI

COSMI III.

MAGNI DUCIS

ETRURIÆ

Laurentius Sozzifanti	Eq. Pr. D. St.)	Honuphrius Pagnozzi	Adv.)
Jo: Baptiſta Ipoliti	Eq. D. St.)	Nicolaus Buti	Adv.)
Joſeph Bellucci	Adv.)	Stephanus Arrighi	Adv.)
Petrus Froſini	Comes, & Adv.)	Hippolytus Amati	)

Viri Piſtorienſes proponendarum Legum Præfecti S. D.



URAM equidem legem, nec multo poſt tempore futuram etiam iniquam, tuliſſe Lacedæmoniis Lycurgus dicitur, vir ille ab omnibus ferendarum potiſſimùm legum habitus peritiſſimus. Poſt firmatam enim ſuorum rempublicam civium legibus optimis, atque ſanctiſſimis; quò forent ipſæ firmiores, ac terminales quidam veluti religioſiſſimi lapides colerentur, quos attentare citra piaculum nemo auſit atque convellere, hanc ſuis civibus unam ſupremo loco ſeveriſſimus legislator indixit; nihil omnino eos, uſque dum longo, cui ſe parabat, itinere reverteretur, ex ejus legibus mutaturos. Nec tamen id ſatis adhuc Lycurgus ratus, univerſam obſtrinxit ſacramento graviſſimo civitatem. Quibus ita conſtitutis ad Oraculum Delphicum proficiſci ſe ſimulans, Cretam ille perrexit; in ea verò inſula cùm de induſtria perpetuò exulaſſet, in mare demum abjici ſua oſſa moriens juſſit, ne, vel relatis fortè cineribus Lacedæmona, in diſſolvendis legibus ſolutos ſe Spartani jusjurandi religione cenſerent. Et ſanè quidni duram, quidni aliquando etiam iniquam ejuſmodi legem appellare jure quis poſſit; cùm nemo non videat, eam eſſe rerum conditionem humanarum, ut ſequi vices cogantur temporum, nec durare eadem diu, nec iiſdem ſemper poſſint legibus gubernari? An non Draconis leges, qui primus illas Athenienſibus tulit, Solon ille ſapientiſſimus emendavit? An non etiam Lycurgi firmiſſimas,

ut

ut accepimus, Lacedæmonii sæpe sæpius immutarunt? An non antiquissimas Numæ, tanta religione, tantâ opinione sapientiæ petitas à Græcis, in alias, atque alias ita Romani verterunt, ut vix earum aliquod extare in præsens vestigium videatur? Quæ cùm ita sint, bene, ac sapienter majores nostri voluerunt, ut æquissimas licèt, & pro suorum conditione temporum utilissimas huic patriæ urbi proposuissent leges primi illi earum conditores, quibus administrari optimè regique posset; quibus floreret magis in dies, & cresceret: nihilo tamen minus tricesimo quoque anno spectatæ prudentiæ aliqui deligerentur ex hac urbe cives, qui singulas municipales nostras expendentes leges, adderent iis, demerent; rogarent iterum eas, abrogarent, uti magis congruum, utile magis patriæ censuissent. Tantum oneris anno superiori demandare nobis licèt immeritis voluit patria charissima. Nos ejus, ut pro nostra in eam pietate parere mandatis, ita commodis pro tenuitate nostra prospicere æquissimum arbitrati; nullum omnino laborem putavimus esse refugiendum, ut antiquissimas partim leges emendaremus [scatebant enim non paucæ mendis ubique quamplurimis, iisque fœdissimis] partim penitus tolleremus, siquæ viderentur aliis adversari; partim aliquo, vel dempto verbo, vel addito, apertissimas redderemus, ne constituerent litium actiones magis, quàm tollerent controversias; novas etiam aliquas proposuimus, ubi visa est ratio præsertim temporum flagitare; nihil denique reliquimus intentatum, ut boni ad virtutem allicerentur præmiis, improbi à vitio absterrerentur minis, atque suppliciis, quibus universi populi salus, atque felicitas unicè continetur. Quoniam verò sapientissimi omnium legum conditores alii in Jovem, ut Minos; alii in Apollinem, ut Lycurgus; in Minervam demum alii, ut Solon, quas proponebant leges populis, retulerunt; ut neque iis auctoritas, neque clementia, neque sapientia deesset: Tuæ nos Celsitudini Regiæ, Princeps optime, leges hasce, quas Deo duce, & auspice absolvimus, nuncupamus. Auctoritatis in te tantum est, quantum tibi amplissimum suppeditat culmen imperii; clementiæ tantum, quantum optimi mores, atque mitissimi pollicentur; sapientiæ demum tantum, quantum longo rerum usu, & regendorum disciplina populorum nactus es. Hæc tua dona potissima his legibus impertire, quas tuis provoluti pedibus, & obsequii nostri, & amoris publici testimonium exhibemus; ut ea felicitate utatur civitas, & nomine, & re tibi fidissima; quam tibi quidem certè maximam votis communibus obtestamur.

ALL.

ALL' ALTEZZA REALE DI
COSIMO TERZO





Ueſte che in ſtil più ſaggio illuſtre Ingegno
Leggi ha diſteſo, e i lumi ebbe dal Polo,
D' Etruria al fortunato, e gentil Regno
Teſſon ghirlande, ond' io l' ammiro, e colo.

Se l' accoglie il GRAN SIRE, allor più degno
Alzar vedranſi in Ciel di gloria il volo;
E ſpero che, depoſto Aſtrea lo sdegno,
Torni a render felice un sì bel ſuolo.

Ma che diſſi! la Dea grave, e ridente
Gli ſplende in volto; e i ſuoi divini onori
Son di quel regio cuore e cuore, e mente.

E al folgorar de' vivi almi ſplendori
Fu pari al Sole; anzi più vago, e ardente
Spande preſſo all' Occaſo i rai maggiori.

Legibus

Legibus his latis è Cœlo Astrea redibit:

Quid dixi! COSMI pectore tuta micat.

Sol fuit hic Themidis; victo nunc lumine solis

Rectiùs occiduo cardine sceptra regit.

ALLA

ALLA MEDESIMA

ALTEZZA REALE





L' Inclito di PISTOIA almo Senato,
Che al merto, ed alla gloria intente, e fiſe
Le luci ha ſempre, ad abbellir lo Stato
Delle Patrie ſue Leggi un dì ſi miſe.

E sì ben di que' Padri al voto arriſe
Chi lo compoſe in nuovo modo, e ornato,
Che ſpiegandone il vanto oltre l' uſato,
Giunſe la Fama in Cielo, e Aſtrèa ſorriſe.

Tutti udiro de' Savj i Detti egregj;
E di virtude, e di prudenza a i lumi
Fecero applauſo, e celebraro i pregj.

Poi volti al TOSCO EROE diſſero i Numi,
Vedrete Voi nobile Idea de' Regi,
Sovra Leggi sì degne i bei coſtumi.

Tam

TAm bene dant Leges digno mandante Senatu
Ut proprium Cives nomen ad Astra vehant.
Jura Themis Superique probant; sic Fata loquuntur
Est super his COSMO cernere gesta datum.

Umiliss. Diuotiss. Obbligatiss. Sudd.
Gio. Batt. Sansoni Aud. Fisc.



INDEX RUBRICARUM

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECUNDI.

XVI.

LIBRI TERTII.

LIBRI QUARTI.

VI. De

LIBRI QUINTI.

LIBRI SEXTI.

De fru-

LIBRI SEPTIMI.

VIII.

TABULA

CAPITULORUM STINCHARUM





LIBER PRIMUS STATUTORUM PISTORII.



IN DEI NOMINE AMEN

DE OFFICIO, ET JURAMENTO DOMINI COMMISSARII, ET EJUS OFFICIALIUM. *Rubr. I.*



RO conſervatione, & augmentatione Populi Civitatis Piſtorii, & pacifici, & quieti Status dictæ Civitatis, ejuſq; Comitatus, & Diſtrictus.

Statutum, & ordinatum eſt, quòd deinceps in perpetuum in Civitate Piſtorii ſit, & eſſe debeat unus Commiſſarius, cujus officium duret, & durare debeat per annum, & non poſſit eſſe in officio infra illa tempora, quæ prohibentur per ordinamenta, & Statuta de prædictis diſponentia, & ſuper his edita.

Qui Commiſſarius ob decentiam, & nobilitatem ſui officii teneatur ſecum ducere, & tenere debeat in ſua familia, pro dicto ſuo officio exercendo, infraſcriptos Officiales, qui poſſint eſſe de Civitate Florentiæ, Comitatu, & Diſtrictu; dummodo non ſint de aliqua Terra, vel loco, qui ſit propè Civitatem Piſtorii per milliaria viginti quinque, exceptis iis, qui fuerint de Civitate Florentiæ, & teneatur per ſeipſum, & non per ſubſtitutum, dictum officium Commiſſariatus exercere, & ſe, vel aliquem de ſua familia non abſentare aliquo modo à Civitate Piſtorii, ſine expreſſa licentia Conſilii Populi dictæ Civitatis, ſive duarum partium ipſius.

Et non poſſit ſecum conducere, vel tenere in ſua familia pro ſuo officio Commiſſariatus exercendo aliquem ex dictis Officialibus, qui fuerit in officio aliquo in Civitate Piſtorii intra triennium nondum elapſum tempore initij officij D. Commiſſarij.

Et qui Commiſſarius cum tota ſua familia perſonaliter in Civitate Piſtorii die initij ſui officij eſſe debeat, & ſe præſentare, & ducere teneatur pro di-

cto ejus officio exercendo unum Doctorem Collateralem, & Assessorem Jurisperitum, & expertum ætatis annorum triginta ad minus, qui saltem per annos sex ante ad Doctoratum promotus, & aliquod aliud Judicis officium exercuerit.

Qui Collateralis antequam recipiatur, vel admittatur ad juramentum sui officij fidem faciat in Consilio Populi Civitatis Pistorii de suo Doctoratu per privilegium, seu instrumentum sui Doctoratus; Unum Militem socium Notarium autenticum, & expertum ætatis prędictæ; Duos Notarios, solitam, & consuetam familiam secundum legem anni 1545. editam super Rectoribus euntibus in officium; & teneatur facere monstras de se suisque Officialibus, & famulis secundum ordinamenta Communis Pistorii, & Florentiæ; & tunc ejus Domicellos, & famulos consignet, & prędentet, & consignare, & reprędentare teneatur, & debeat Officialibus deputatis ad monstram Officialium videndam, & aliter facta reprędentatio non valeat.

Et habeat, & habere debeat dictus Commissarius pro se, & tota sua familia, & equis, pro suo, totiusque ejus familiæ, & equorum, & cujusque eorum salario, & mercede, pro veniendo, stando, & redeundo ad regimen dicti Commissariatus, & de dicto regimine, & pro tempore quo steterit ad Syndicatum, pro cartis, atramento, cera, lumine, & alijs, quæ sibi, & suæ familiæ expedierint, pro toto tempore sui officij in dicto anno à Camerario Cameræ Communis Pistorii, de pecunijs dicti Communis, libras sex mille solitas ei solvi; quod salarium ei solvere debeat Camerarius prædictus de mense in mensem, pro rata, hoc modo, videlicet; primam pagam, primo mense finito, & sic successivè de mense in mensem; undecimam, & duodecimam pagam undecimi, & duodecimi mensis, ipse Camerarius retineat usque ad diem finiti officij Commissariatus, & ei solvere eas debeat facta absolutione de eo, & ejus familia à Syndicatu per Syndicos, qui syndicabunt, & non antea, vel soluta, seu solutis condemnationibus, si quæ fierent de eo, vel ejus familia, vel eorum aliquo, & facta fine, & liberatione generali Communi Pistorii, vel alteri personæ recipienti per publicum Instrumentum vallatum cum promissionibus, pœnis, obligationibus, renunciationibus, juramento, ac præcepto guarantigiæ, & alijs solemnitatibus in talibus Instrumentis consuetis; quam finem, & liberationem facere teneatur, ac debeat, antequam inquisitioni generali coram Syndicis per Cancellarium, vel Notarium Cameræ rogandum respondeat.

Qui Commissarius teneatur, & debeat dare, & offerre Altari Sancti Jacobi Apostoli, Majoris Ecclesiæ, de suo proprio illam pecuniæ quantitatem consuetam, & ordinatam secundùm reformationem hujus nostræ Civitatis, ea die, qua placuerit DD. Operarijs Sancti Jacobi, quod si non fecerit, Camerarius Communis Pistorii, possit, & debeat de salario ipsius Commissarij retinere libras centum, & dare Operarijs prædictis.

Qui Commissarius teneatur, & debeat observare, & observari facere Jura, Leges, Statuta, & provisiones Communis Pistorii factas, & faciendas, & quæ in favorem Populi, ac Dominorum Priorum, & Vexilliferi Justitiæ, vel eo-

eorum loco ſubrogatorum, & Proconſulis Notariorum, & Collegij dictæ Civitatis fierent.

Cujus Commiſſarij, Miniſtri, Officiales, & familia perſonaliter ſtare teneantur, & debeant ad Syndicatum in Civitate Piſtorii ſecundum formam Statutorum, & Ordinamentorum Civitatis Florentiæ.

Qui quidem Commiſſarius ad ipſam Civitatem Piſtorii ad omnem ejus periculum, & fortunam cum tota ejus familia venire, ſtare, & recedere ab ea debeat.

Et ſi ad dictum officium exercendum venerit, & toto tempore ſui officij non exercuerit, vel exercere non potuerit, morte præventus, vel alia quacunque de cauſa (quod abſit) ſalarium prædictum ei ſolvatur pro rata temporis, quo officium exercuerit.

Et manu tactis corporaliter ſcripturis ad Sancta Dei Evangelia juret, & jurare teneatur, & debeat, bona fide, & ſine fraude Civitatem, Commune, Populum Piſtorii, Enſem, ejuſque Statum, & Diſtrictum pacificum defendere, & manutenere paces, treguas initas, & factas inter Cives, & Diſtrictuales Civitatis Piſtorii, & quæ ſuo tempore fient, obſervare, & ab omnibus perſonis, inter quas, vel quos factæ fuerint, & quorum nomine celebratæ eſſent, obſervari facere.

Et officium, ſive regimen Domini Commiſſarij, & Officialium honorem, & jurisdictionem ipſius, & ejus familiæ manutenere, & defendere; & officium Magnificorum Dominorum Priorum & Vexilliferi Juſtitiæ, & eorum loco ſubrogatos, honorem Notariorum dictæ Civitatis, & ipſum Collegium manutenere, & defendere, obſervare, & obſervari facere; & bona fide curare, defendere, & manutenere ſtatuta, ordinamenta, bona, & jura Communis, jurisdictiones, terrena, ædificia, res, & honores ipſius Communis Piſtorii invenire, & inventa manutenere ad honorem, & pacificum Statum Civitatis, & Populi Piſtorienſis; & manutenere, & defendere Eccleſias, & pia loca, & religioſa, ipſorumque jura abſque læſione Communis Piſtorij; & ſollicitè procurare, quod pecunia, & æs Communis ſolvatur, & cuſtodiatur, & quod inutiliter non expendatur, & fideliter, & ſollicitè facere, quod homines, & perſonæ univerſæ, & ſingulæ Civitatis, & diſtrictus Piſtorii in pace vivant, & tranquillo Statu; & quod viduæ, pupilli, & orphani non opprimantur, vel ab aliqua perſona graventur.

Et qualibet die Juridica veniat una vice ad minus ad Curiam, & faciat de ſe Copiam ad Bancum Juris, ad eum venire volentibus, niſi juſta cauſa eſſet impeditus; & omnia, & ſingula Capitula, & Conſtitutiones populi, & Communis, quæ non eſſent contraria Statutis Populi, & reformationibus Communis Piſtorii, obſervabit. Et quod Dominus Commiſſarius non recipiat aliquid per ſe ipſum, vel alium ultra ſalarium eidem conceſſum per formam Conſtitutionis Communis Piſtorii, nec permittat, nec conſentiat tacitè, vel expreſsè, quod aliquis de ſua familia recipiat aliquid, nec aliqua perſona pro eo, vel pro ejus familia; & obſervabit, & obſervare faciet Statuta omnia Operæ Sancti Jacobi Apoſtoli, & ipſam Operam, & pi-

A 2 am

am Domum Sapientiæ dictæ Civitatis, institutam, & fundatam ab Eminentissimo Domino Nicolao Cive Pistoriense de generosa familia de Forteguerris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbytero Cardinali, & Episcopo Tean. Protegat, & defendat, & teneat, & tenere faciat Ostia Palatij suæ Residentiæ continuè aperta de die, adeo ut possit haberi aditus, & ingressus ad locum, in quo Jus redditur a D. Commissario.

Et quòd deposito ejus officio ipse in Civitate Florentiæ, & tota ejus familia Pistorii stare debeant ad Syndicatum personaliter sub Syndicis deputatis ad eorum Syndicatum faciendum secundùm formam Statutorum, & ordinamentorum Civitatis Florentiæ.

Et faciat, & observet omnia, & singula, quæ in ejus extractione, vel deputatione continentur, & omnia alia observet, & observari faciat, & adimpleri per seipsum, & ejus familiam, quæ continentur in Statutis Communis, vel populi Pistorii bona fide, & sine fraude, remotis odio, amore, timore, prece, & pretio, & qualibet humana gratia, toto tempore ejus regiminis.

Et se non intromittat in civilibus causis, nec permittat quod se intromittant sui Officiales, & familia, nisi quatenus per Statuta Communis Pistorii eis permittitur, sub pœna de qua latius infra lib. 2. Rub. 2. §. Et quicumque.

Et juret etiam observare omnia, & singula Decreta, provisiones, & deliberationes Dominorum Priorum, & Vexiliferi Justitię Civitatis Pistorii, quod Sacramentum pręstet dictus Dominus Commissarius in majori Ecclesia Civitatis Pistorii super Altare Sancti Jacobi Apostoli prima die sui adventus, antequam vadat ad Palatium suæ Residentiæ, & sic successivè in generali Consilio Populi Civitatis Pistorii, quod consilium Domini Priores, & Vexilifer convocari facere teneantur sono Campanæ, & voce Præconis, ut moris est, & per Cancellarium Communis dictari debeat dictum Sacramentum.

Cęteri autem ex ejus familia, & primò Judex, Miles socius, Notarij, Domicelli, Biruarij jurent, & sufficiat eorum juramentum sic generaliter, quòd bona fide, Legaliter, & sine fraude, summoque studio facient, & observabunt omnia, & singula, quæ tenentur, & debent facere, & observare per formam Statutorum Communis Pistorii, & quæ eis commissa essent per Dominum Commissarium, vel DD. Priores, & Vexilliferum Justitiæ, & quæ in posterum committerentur; quod Sacramentum prælletur in dicto Consilio, tacto sacro libro ad Sancta Dei Evangelia.

De Officio Judicis, & ejus auctoritate, ac etiam aliorum Ministrorum Domini Commissarij. Rub. II.

Collateralis, & Assessor Domini Commissarij Civitatis Pistorii intelligatur, & sit Judex omnium causarum civilium, & mixtarum Communis Pistorii & forensium, ac etiam criminalium causarum, & possit cognoscere dictus Dominus Collateralis de quibuscumque debitis contractis in Civitate Pistorij quacumque de causa, & per quoscumque tam habitantes in Civi-

vitate, Comitatu, et districtu Pistorii, quam alibi, non obstantibus aliquibus in contrarium dispositis, vel disponendis.

Et quòd nullus audeat, vel præsumat quoquo modo agere, seu agi facere, aut conqueri contra aliquas personas, Capitulum, Commune, Collegium aliter, vel alio modo, quàm superius dictum est; de quibus omnibus appareat in actis Curiæ manu publicorum Notariorum deputatorum, et deputandorum ad civilia Curiæ dicti Domini Commissarij per Commune Pistorij prout solitum est fieri, et deputari in his, quæ pertinent ad causas civiles, et in causis civilibus in dicta Curia dicti Domini Commissarij.

Et si quis ageret, vel agi faceret, vel conqueri coram aliquo alio Officiali, quàm supradictum sit, quidquid in ejus favorem actum, factum, vel actitatum fuerit, sit ipso jure nullum, et nullius valoris, effectus, et momenti; et cadat a suo Jure, et incidat sic petens in pœnam, coram alio Officiali, quàm supradictum sit, quarti ejus, quod petierit, cujus pœnæ medietas sit Communis Pistorii, quarta pars sit cujuscumque Officialis facientis ipsam pęnam solvere, et in Cameram Communis Pistorii devenire ad opus dicti Communis, reliqua quarta pars sit dicti debitoris sic inquietati coram alio Officiali, quam supradictum sit; et hoc nisi renunciaverit juri quęsito, et hujusmodi inquietationi infra octo dies postquam ei denunciatum fuerit coram non suo Judice egisse.

Possint tamen creditores pro debitis contractis per eorum debitores in Civitate Pistorii, et ejus Territorio convenire omnes, et quoscunque debitores habitantes extra Dominium, Territorium, et districtum Civitatis Pistorii, et possint etiam Cives, et alij de Civitate Pistorii convenire coram Judice dictę Civitatis debitores, et alios contra quos personaliter, vel realiter agerę intendant, licet personę conveniendę morentur in Potestariis, quę sunt in Districtu ejusdem Civitatis; ita ut dictę personę Civitatis Pistorii in quibuscumque casibus, etiam de jure communi privilegiatis, activè, et passivè habeant electionem fori quoad distrectuales, et morantes in dictis Potestariis coram Judicibus, et Jusdicentibus eorum locorum, in quibus dicti debitores morarentur, salvis tamen immunitatibus, exemptionibus, et privilegijs concessis, et in futurum concedendis a Serenissimo Domino nostro dictis debitoribus.

Ac etiam Miles socius dicti D. Commissarij sit executor condemnationum factarum, vel faciendarum ex Officio D. Commissarij, et suę curię, et super omnibus exactionibus debitorum Communis Pistorii, quę ad ipsum D. Commissarium spectant; et etiam possit facere meras executiones sententiarum per Judicem latarum, et pręceptorum, quę sibi fuerint commissę faciendę; et teneatur dictus Miles socius facere, et executioni mandare omnia, et singula quę tenetur, et debet per formam statutorum, ordinamentorum, seu reformationum dictę Civitatis, et quę sibi committerentur per dictum D. Commissarium, vel DD. Priores, et Vexilliferum Justitię, vel alium Magistratum repræsentantem Mag. Prioratum, et per Consilium Communis, et Populi, vel Populi tantùm, tam in Civitate Pistorii, quàm in Comitatu, et districtu ipsius.

No-

Notarij verò, unus sit ad officium extraordinariorum statutorum, ut moris est, et ex forma statutorum disponitur, et alius deputatus ad maleficia, prout dicto D. Commissario placuerit.

Extra ea autem quę supradicta sunt, et quę per formam statutorum permittuntur, se intromittere non possint sub pęna librarum ducentarum denariorum.

Hoc tamen expressè declarato, quod Collateralis, et Miles socius D. Commissarij Civitatis Pistorii fungatur ea jurisdictione, quibus, ut supra dictum est, fungeretur Collateralis, et Miles socius D. Commissarij, si dictus D. Commissarius actualiter resideret in Civitate Pistorii, vacante officio dicti D. Commissarij.

Et teneatur dictus D. Judex incedere in habitu, et toga de die cum ambulat, et dum sedet ad Bancum Juris, et degit in Civitate Pistorii, sicut retroactis temporibus consuevit incedere, quia sic honestum, et decorum est, sub pœna ad arbitrium Clarissimę Practicę Secretę, de qua possit inquiri in Syndicatu, applicanda prout videbitur dictis Clarissimis Dominis.

De devetu Officialium Forensium venientium in Civitate Pistorii. Rub. III.

ITem providerunt, et ordinaverunt, quod omnes, et singuli Officiales Civitatis Pistorii habeant devetum à die eorum depositi officij inde ad tres annos proximè secuturos, et non possint aliquod officium habere, vel acceptare in Civitate Pistorii sub pœna librarum centum denariorum. Ac etiam dicta deveta habeant locum in alijs Officialibus Forensium Civitatis, Comitatus, et Districtus, et cuiuscunque Territorij dictę Civitatis Pistorii, et Capitaneatus Montanę, et hęc locum habeant tam pro pręteritis, quàm pro futuris, non obstantibus aliquibus repugnantibus. Et nullus familiariter habitans in Civitate Pistorii possit venire, stare, aut esse de familia alicujus Rectoris, et in futurum sufficiat, quod per duas partes Consilij tollantur deveta Rectorum, et eorum Officialium, et familię Civitatis Pistorii, absque aliqua derogatione facienda.

De notificatione per Cancellarium facienda D. Commissario de Statutis, & Reformationibus non existentibus penes eos, ad quorum observantiam tenentur. Rub. IV.

STatuimus, et ordinamus, quod Cancellarius Communis Pistorii, qui nunc est, et pro tempore fuerit, teneatur, et debeat quibuslibet sex mensibus ad minùs, et maximè pro mense introitus Officij D. Commissarij, et Capitanei, notificare Capitaneo, et Commissario omnia statuta, et reformationes, provisiones, et ordinamenta Civitatis Pistorii non existentia, et quę non essent penes ipsum DD. Capitaneum, et Commissarium, et quemlibet eorum, et cujuslibet eorum Officiales sub pęna librarum vigintiquinque, vice qualibet eidem de suo salario auferenda ad opus Communis Pistorii.

De

De petitionibus firmandis, & deliberationibus, & partitis. Rub. V.

ITem providerunt, et ordinaverunt, quòd in firmandis petitionibus, seu provisionibus interveniant, et intervenire debeant infrascripti, videlicet, Magnificus Vexillifer Justitię, & duo primi Præpositi Magnifici Prioratus pro tempore existentes; quatuor ex numero Collegarum de bursa prima eorumdem, qui sint Graduati, et antiquiores ex eis: et casu quod de dicta prima bursa esset major numerus Graduatorum, Equites et Doctores pręferantur, et in eorum defectu antiquiores, ut supra, et in defectu Graduatorum adimpleatur numerus dictorum cum antiquioribus non Graduatis dictę primę bursę; et in omni casu Equites, et Doctores cęteris pręferantur respectivè, et sex Consiliarijs primo loco extractis de bursa prima ejusdem; dummodo non sint eędemmet personę, de quibus supra dictum est, aut consortes eorum. Hoc tamen declarato, quòd si acciderit, quòd in extractionibus faciendis de Vexillifero, Prępositis, et Collegijs pędictis, qui debent intervenire in firmandis petitionibus, tempore eorum extractionis reperirentur aliqui eorum consortes de numero dictorum sex Civium petitionum, non propterea habeant devetum, sed possint esse, et officium exercere. Et illud idem intelligatur de eorum propria persona circa devetum. Quibus coadunatis, seu duabus tertijs partibus eorum ad minùs, videlicet, Vexillifero, et uno ex primis Prępositis, et in absentia Vexilliferi ambobus primis Prępositis, tribus ex Collegijs, & quatuor ex sex Consiliarijs possint petitiones, et provisiones firmari, et si decem personę tantùm intervenerint, obtineantur ad minùs per fabas novem nigras, et si novem tantùm, obtineantur per fabas octo nigras, prout per ordinem reformationum disponitur. Quibus petitionibus firmatis, ut supra dictum est, Magnif. DD. Priores, & Vexilifer Justitiæ, & Spectabiles Collegæ debeant eas approbare eorum solemni partito, & scutrinio per quatuordecim fabas nigras ad minus, aut per majorem numerum fabarum, prout requiritur; & die sequenti, seu in alio die legantur, & proponantur in publico, & generali Consilio Populi, & Communis Pistorii, & per dictum Consilium approbentur, aut infirmentur, nec possint scrutinari petitiones, nisi per quatuor vices in uno consilio ad plus, & petitiones, quæ non fuissent, aut erunt approbatæ per DD. Priores, & Collegas. Et in uno Consilio proponi non possint, nisi octo petitiones, hoc tamen non habeat locum in petitionibus proponendis pro eleemosynis consuetis, quæ proponi possint arbitrio D. Vexilliferi ultra dictum numerum, & si petitiones per suprascriptos, ut supra dictum, est firmatæ, durante, & vigente officio suprascriptorum Officialium Provisionum non proponerentur, & obtinerentur in Consilio, intelligantur esse, & sint nullæ, & irritæ, & per novos Officiales petitionum reformari debeant, & approbari ut supra. Qui quidem Cives petitionum sint obedientes Magnificis DD. Prioribus, qui possint, & valeant inobedientes ex eis punire, & condemnare eorum solemni partito per duas tertias partes fabarum nigrarum obtinendo, prout eis visum fuerit; nec possint pernoctare extra

Civi-

Civitatem Pistorii absque licentia, & deliberatione eorundem sub pœna librarum centum den. applicanda Cameræ Communis Pistorii. Intervenire possint, & valeant mane introitus dictorum DD. Priorum simul cum alijs Magistratibus, & Civibus, & consequi debeant consuetam distributionem. Congregari debeant qualibet die Dominica, & Mercurij, & qualibet alia die, pro qua tamen una die pro alia fuerit eis præceptum, de commissione dictorum DD. Priorum, & habeant pro eorum salario pro quolibet trimestri libras viginti den. pro quolibet eorum. Et si tempore petitionum firmandarum, ex aliqua justa causa, seu impedimento non posset haberi numerus ad minùs trium ex quatuor Collegijs, qui intervenire debent in eis, pro illa vice tantum, suppleatur numerus eorum cum antiquiore ejusdem officij, & bursæ, & similiter, si non possent interesse quatuor ad minus ex sex Civibus petitionum, pro illa vice tantùm interveniat primus in ordine descriptus post dictos sex, servatis tamen devetis suprascriptis, ad hoc ut Communitas Pistorii ob eorum absentiam in aliquo, detrimentum non patiatur in suis negotijs peragendis. Et circa expensas faciendas pro ornamento Palatii Magnifici Prioratus, pro supellectilibus argenteis, sericis alijsq; similibus, & etiam pro expensis faciendis in domibus Rectorum Civitatis Pistorii, & eorum supellectilibus, non excedentibus tamen libras septuaginta den. tempore cujuslibet Rectoris. Et etiam pro expensis faciendis pro ornamento Plateæ magnæ, & Plateæ Saleæ Civitatis Pistorii, pro reparatione Ecclesiæ Cathedralis, & Campanilis ejusdem, stantijs, salis, lastrone ubi venundantur pisces, domunculis Portarum Civitatis, Ponte Branæ, domibus, & apothecis Communis, Carceribus Stincarum, vijs in Civitate sternendis, domibus meretricum, Ponte asinario, Ponte longo super flumine Umbronis, expensis pro defensione Communis Pistorii quandocumque molestaretur, in rebus alijsq; spectantibus ad Commune Pistorij occasione gabellarum, introituum, & præeminentiarum ejusdem, statuitur quòd omnes petitiones circa supra descripta obtineri sufficiat per duas partes congregatorum in quolibet circulo, & concione. Omnes autem petitiones firmandę super eleemosynis erogandis, & distribuendis per Operam Sancti Jacobi de Pistorio, obtineri debeant inter Dominos Priores, & spectabiles Collegas per decem, & septem fabas nigras, & deinde in Consilio per quinque fabas nigras ex sex, & eleemosynę dandę per Commune Pistorii obtineantur per novem fabas nigras ex decem congregatis, exceptis tamen eleemosynis distribuendis Oratorio Sanctę Marię Humilitatis Civitatis Pistorij. Et super indumentis, & vestimentis ordinandis quolibet anno de mense Septembris Conventui, & Fratribus S. Dominici, S. Francisci Observantibus, aliàs à Giaccherino, & S. Marię de Monte Carmelo, sufficiat, quòd obtineantur per duas tertias partes ut supra, dummodo non excedant summas infrascriptas den. videlicet: Conventui S. Dominici libras centum quinquaginta, S. Francisci libras ducentas, & Carmelitanis libras sexaginta, quibus locis, & personis possit provideri de eleemosyna prędicta, non obstante quavis lege, statuto, & deliberatione, per quam provideretur, quòd infra annum non possit delibe-

rari,

rari, nisi una eleemosyna tantùm cuilibet petenti; & casu, quo non obtinerentur per novem fabas ex decem. Item quolibet anno, tempore Quadragesimali, Magnifici DD. Priores, & Collegæ pro tempore existentes possint eorum partito, & deliberatione providere cuilibet ex famulis Palatij nomine eleemosynæ de starijs duobus grani, singulariter singulis, & non una tantùm deliberatione, & scrutinio, quas eleemosynas recipere, & habere debeant, nulla facta retentione, statutis, capitulis, aut provisionibus quibuscumque in contrarium disponentibus, non obstantibus. Deliberationes verò, quæ fiant in favorem alicujus condemnati, obtineri debeant per novem ex decem congregatis; expensarum verò extraordinariarum petitiones obtineantur inter Magnificos Dominos Priores, & Collegas per fabas decem, & octo nigras ad minus, & successivè in Consilio per novem ex decem Consiliarijs. Et eodem modo, partito, & scrutinio obtineantur provisiones gratiarũ, seu dilationum solutionum faciendarum in favorem aliquorum debitorum Montis pietatis. Et singulæ aliæ deliberationes, provisiones, & partita quæcumque, sufficiat, si obtineantur per duas tertias partes fabarum nigrarum in quolibet circulo, & concione. Hoc declarato, quòd per prædicta non intelligatur derogatum dispositioni, & ordinationi alicujus testamenti, seù Bullæ, & ordinamentorum Sapientiæ Pistorij Eminentiss. ac Reverendiss. Card. Episcop. Theanen. de generosa familia de FORTEGUERRIS ejus institutoris, & fundatoris, seu aliquibus ordinibus eorum, & cujuscumque alterius loci sub tutela, & gubernatione Communis Pistorij existentis in contrarium quoquo modo disponentibus, quæ omnia observari debeant, etiam si contra prædicta reperirentur disponere. Item non possit aggravari Commune Pistorii occasione aliquarũ expensarum de novo faciendarum ultra ordinatas in præsentiarum, nisi priùs extiterint de totidem quantitate introitus, & tunc obtineantur deliberationes pro prædictis per quinque ex sex congregatis, nec propterea intelligantur novæ expensæ solutiones, quę debeāt fieri per Commune Pistorii Communi Florentiæ, nec etiā pro impositis, quas Commune Pistorii à semetipso ordinaret solvi debere; quibus omnibus supra dispositis, & ordinatis, nullo modo, via, aut causa possit per aliquem derogari, & quidquid in contrarium fieret, sit nullum, & non valeat. Nulli etiam liceat perorare, aut aliquid dicere, vel allegare super aliquibus petitionibus proponendis in Consilio, antequam una vice ad minùs fuerint consideratę, & ad partitum missę, & deinde quilibet possit perorare, dicere, proponere, & allegare super dictis propositis quidquid voluerit, & sibi placuerit. Cancellarius etiam teneatur partitum colligere inter petitionum Officiales, Domicelli verò inter Dominos Priores, & Collegas, & in Consilio ipsi Domicelli, & Tubicenes. Circa autem id, quod dispositum est, quòd nullus posit obtinere in eodem anno, nisi unam eleemosynam, declaratur quod annus accipiatur semper die prima mensis Januarij, adeo ut mensis Januarij succedens post eleemosynam obtentam, intelligatur alter annus.

De Syndicatu Cancellarij Communis Pistorii. Rub. VI.

ORdinamus, quòd Cancellarius Communis Pistorii teneatur, & debeat stare ad syndicatum in Civitate Pistorii sub examine quatuor Civium Civitatis Pistorii eligendorum, saltem ultima die exitus officii ipsius Cancellarii per Consilium publicum, prout ipsi Consilio videbitur, & placebit, octo diebus immediatè sequentibus post ejus depositionem officii. Salvò quòd si infra primos tres dies dictorum octo dierum non sibi fuerit, vel contra eum data petitio, vel libellus; tunc, & eo casu ipsi Syndici, elapsis ipsis tribus diebus, possint, & debeant ipsum Cancellarium absolvere, & liberare, & si petitio, vel libellus contra eum porrectus fuerit, infra dictos tres dies, stare debeat ad Syndicatum personaliter in Civitate Pistorii octo diebus continuis, in quibus computentur dicti primi tres, & dictis octo diebus elapsis dicti Syndici teneantur, & debeant, die tunc proximè sequenti secundùm formam Statutorum, sententiam absolutionis, vel condemnationis ferre, & dictus Cancellarius ad dandum, solvendum, & præstandum omnia, & singula, quæ continebuntur in sententia prædicta inviolabiliter teneatur, & quælibet persona contra eum petitionem, seu libellum porrigere possit infra tres dies post ejus depositum officium, ab inde verò in antea, non audiatur. Item dictus Cancellarius in registro pecudineo omnia quæ faciet, & sibi occurrent tempore sui officii, prout fieri solitum erat, ordinet, & stet ad Syndicatum, omni vice, qua finiet ejus officium, non obstante quòd postea fuerit confirmatus ad ipsum officium, & aliter non possit habere ejus salarium; & quando ejus syndicatui respondebit, præstare debeat idoneos fidejussores de observando omnia, quæ fient, & sententiabuntur per ejus Syndicos. Electio autem Cancellarii fiat per S. Celsitudinem.

Quod Commissarius, & quilibet alius Officialis Pistorii teneatur servare Statuta. Rub. VII.

STatutum, & ordinatum est, quòd Commissarius, & quilibet alius Officialis Pistorii, ejusque Comitatus, & Districtus, & eorum familia teneantur, & debeant observare, & observari facere omnia, & singula Statuta Communis, & Populi, & Reformationes respicientes introitum, & administrationem Cameræ Communis Pistorii, & Consiliorum, & alia omnia Statuta, & Ordinamenta Civitatis Pistorii, ad quorum observationem, ipsi, & quilibet eorum tenentur per formam Statutorum, & Reformationum Civitatis Pistorii, sub pœna in ipsis Statutis, & Reformationibus contenta, & ubi in ipsis Statutis, & Reformationibus de inobservatione ipsorum pœna certa non esset apposita, vel determinata, sit pœna librarum quinquaginta denariorum, dictis Commissario, Officialibus, & familiæ, & cuilibet eorum pro quolibet statuto non observato, & qualibet reformatione Consilii non observata, quam quisque ipsorum incurrere debeat, & in ipsa condemnari per Syndicos, qui eos sindicabunt ad favorem Communitatis Pistorii, dummodo ipsa Statuta, & Reformationes reperiantur, et sint in volumine Statutorum, seu Reformationum approbatæ Civitatis Pistorii.

De

De acceptatione Officiorum. Rub. VIII.

STatutum, & ordinatum est, quòd Magnifici Domini Priores, Vexillifer Iustitiæ, & eorum Notarius Civitatis Pistorii teneantur, & debeant dictum eorum officium acceptare, jurare, & fidejussores præstare die prima primi mensis eorum officii inchoandi, prout ex forma ordinamentorum Reformationis officiorum pro tempore vigentis disponetur.

Collegæ verò die sextadecima mensis post eorum extractionem immediatè sequenti.

Consiliarii autem in prima concione Consilii, postquam fuerint extracti.

Provisor, & Camerarius Cameræ Communis Pistorii, die prima Novembris post eorum extractionem, eorumque fidejussores approbari debeant per Magnificum Vexilliferum Justitiæ, & Cives deputatos super approbatione gabellarum, pro tempore existentes, in sufficienti numero coadunatos.

Conductor, Provisor, et Doanerius Canovæ Salis, jurent, et fidejubeant die prima Maii coram Magnificis DD. Prioribus, et Approbatoribus gabellarum, iuxta tenorem Reformationis, et prout continuè observatur.

Scribæ, et Ponderatores Salis, jurent, et fidejubeant die prima eorum Officii, iuxta dispositionem Reformationis Officiorum de tempore in tempus vigentis.

Boni Viri Carcerum Stincarum, eorumque Provisor, die prima Julii, dando fidejussores, ut supra approbandos.

Notarii causarum civilium jurent, et fidejussores præstent approbandos, ut supra, die prima Januarii post extractionem.

Provisor, Camerarius, et famulus pignorum gravatorum, die prima Julii eorum introitus, dando fidejussores approbandos, ut supra.

Operarii verò Sancti Jacobi Apostoli, et eorum Ministri jurent, et fidejubeāt prima die eorum officii, prout disponitur per Reformationē Officiorum.

Et similiter Officiales Sapientiæ, et Ministri ejusdem.

Operarii S. Mariæ Humilitatis jurent prima die eorum introitus, et eadē die jurent, et fidejubeant eorum Ministri cum fidejussoribus ab eis approbandis.

Operarii Sanctorum Zenonis, et Joannis jurent, et fidejubeant prima die eorum cępti officii in manibus Cancellarii Communis Pistorii, & Ministri eorum in manibus dictorum Officialium per fidejussores approbatos per Operarios prædictos.

Quæ omnia juramenta, et acceptationes fiant, et fieri debeant in præsentia, et coram Magnificis Dominis Prioribus, et Vexillifero Justitiæ pro tempore existentibus, excepto juramento faciendo per Operarios S. Jacobi, Officiales Sapientię, et eorum Ministros.

Quicunque verò infra tempus, et tempora suprascripta dicta officia, aut quodlibet eorum, non acceptaverit, juraverit, et fidejusserit, ut supra dictum est, intelligatur esse, et sit ipso jure privatus tali officio, et alius ejus loco extrahatur, et deputetur; quę ut impleantur, spectet ad Magnificos Dominos Priores, et Vexilliferum Justitię, sub pęna librarum vigintiquinque à quolibet

eorum incurrenda, et applicanda ad favorem Communitatis Pistorii.

Hoc tamen expressè declarato, quod officia quęcunque Communis Pistorii, et aliorum locorum ab eo gubernatorum, non possint, nec debeant quoquomodo per Procuratorem acceptari, jurari, et fidejuberi, ex quibus exceptuamus absentes ex causa publica Communis Pistorii.

Juramenta autem, et acceptationes contra formam prędictam factę, et facta non valeant, et sint nullius valoris, roboris, vel momenti, et pro infectis habeantur.

Et quilibet qui acceptaverit quoquomodò aliquod officium publicum Communis Pistorii, et in eo deliquerit, non possit quoquomodo allegare aliquod privilegium, seu exemptionem, qua mediante, posset prętendere non esse subiectum Officio, et Magistratui cuilibet ad id potestatem habenti, sed intelligatur renunciasse dicto Privilegio, seù exemptioni in dicto casu, quandò dictum officium acceptaverit.

Degli Approvatori del Comune di Pistoia. Rub. IX.

SI è statuito, & ordinato, che nell' approvarsi i Mallevadori da darsi nelle Corti degli Uffiziali, tanto nelle cause civili, quanto nelle criminali, e miste, siano, et esser s'intendano Approvatori i Messi, e Cavallari approvati della Città di Pistoia, e de' quali si fa menzione nella Rub. 14. di questo Libro; e nelle promissioni, che fanno di detto Uffizio, e nella malleveria, et obbligazione de' suoi Mallevadori, venga l' obbligo di d. Uffizio dagli Approvatori, e si comprenda ogn'interesse, che per ciò ne seguisse, benchè del d. Uffizio degli Approvatori non sia fatta menzione, nè possino detti Approvatori pretendere altro, che soldi tredici, e danari quattro per ciascuna approvazione, benchè contenesse più persone obbligate; quali Approvatori, mediante la loro approvazione, non siano forzati ad alcun pagamento, se conosceranno i Beni de' Principali obligati, o loro Mallevadori essere bastanti a sodisfare l' obbligazione: parimente, che solo in sussidio, tanto de' Principali, quanto de' Mallevadori non solventi, siano tenuti; e se gli accadesse pagare qualche cosa, abbiano tutte le ragioni, che aveva il Commune di Pistoja, sino in detta quantità, e nell' istesso modo possano, e siano tenuti gli Uffiziali del Comune di Pistoia procedere a farli sodisfare, e per le spese; E siano preferiti a tutti i creditori dopo fatta l' approvazione. Dichiarando, che nel presente Statuto non si comprendano l'approvazioni spettanti a' Magistrati, e Gabelle, quali si lasciano nel vigore delle Riforme, e Capitoli de'Luoghi respettivamente.

De Officio, & Sacramento Præconum. Rub. X.

ORdinamus, quòd Pręcones Civitatis Pistorii teneantur qualibet die juridica ad voluntatem Creditorum per plateam dictę Civitatis per bannum citare, vel notificare quamlibet personam subjectam jurisdictioni Pistorii citandam, vel notificandam personaliter, quę non reperiatur in Civitate, vel Comitatu, vel latitet, super quibus stetur relationi Nunciorum. Forenses

ses verò citari, seu notificari dicto modo per proclama possint solummodo in die Sabbati, excepta causa maleficii, vel si essent debitores Communis Pistorii. In qua relatione si nuncius fuerit convictus de mendacio, ultra refectionem omnium damnorum, & interesse ad favorem tam debitoris, quàm creditoris privetur in perpetuum suo officio, & fustigetur per Civitatem.

Consequantur Pręcones à Creditore pro quolibet banno ut supra, solid. quatuor; debeant item ipsi Pręcones subhastare bona vendenda sub hasta, et consequantur pro qualibet subhastatione solid. decem, excepta ubi bona deliberantur, in qua consequantur mercedem ad proportionem prętii, ut infra, nempe, usque in scut. 100. lib. unam, à scut. 100. ad 200. lib. 2. à scut. 200. ad 1000. lib. 4. & à scut. 1000. in omnem majorem summam, lib. 7. Quę expensę, uti quoque alię occurrentes in subhastationibus, & deliberationibus solvantur, vel ex prętio bonorum, vel ab Emptore, uti continetur in relatione Æstimatorum, aliàs solvantur pro dimidia, ex prętio bonorum, et pro alia dimidia ab Emptore.

Teneantur quoque dicti Præcones publicare banna pro Communi Pistorii in locis consuetis, & quæ emittuntur per Curiam D. Commissarii, publicentur in Platea ante portam Palatii ejusdem D. Commissarii, & in alia Platea nuncupat. la Sala; nec sufficiat publicatio in uno tantùm ex dictis locis, sed utrobique fieri debeat; pro quo effectu Miles socius D. Commissarii, vel Notarius Custodiæ, vel alter eorum, sub pœna lib. 10. pro qualibet contraventione, applicanda Fisco, & Cameræ Communis, teneatur personaliter accedere ad dicta loca, stare debeat integræ publicationi, & legere banna Præconibus ead. publicantibus.

Qui Præcones sint quoque, & esse intelligantur Syndici Communis Pistorii ad vendendum gabellas, & alios quoscumque introitus ejusdem Communis in præsentia, & cum præsentia, & consensu Magnificorum DD. Priorum officii, ut hactenus consuevit, & quolibet anno confirmari debeant à Consilio Populi, uti moris est; præstito post confirmationem per eosdem juramento in manibus Cancellarii Communis Pistorii de bene, & fideliter exercendo eorum officio, juxtà ordinamenta ejusdem Communis.

De exactionibus debitorum Communis Pistorii, & eorum Judicibus. Rub. XI.

Statutum, & ordinatum est, quod D. Commissarius Civitatis Pistorii, & ejus Curia sit, & esse intelligatur Judex competens in exactionibus faciendis de debitoribus Communis Pistorii, seu illorum causa, & occasione, & ideo possit adiri per quoscumque Syndicos, & Officiales dicti Communis, & tam Camerariatus Cameræ, quàm etiam per quoscumq. privatos emptores gabellarum dicti Communis, & gravedinum impositarum, & pro omnibus rebus ad ipsum Commune Camerariatum, & emptores prædictos spectantibus, & eidem debitis dumtaxat. Pro impositis, & emptis respectivè gabellis, taxis, & gravedinibus prædictis sit etiam idem D. Commissarius Judex competens, & adiri possit in exactionibus faciendis per DD. Operarios Operæ S. Jacobi Apostoli, per DD. Officiales Sapientiæ Illustrissimi, ac Reverendissimi Cardinalis

nalis Theanen. Nicolai de Forteguerris de Pistorio, ejusdem Sapientiæ fundatoris, per DD. Operarios S. Mariæ de Humilitate, per DD. Officiales fluminum, & viarum dictæ Civitatis, per Operarios SS. Jo: Baptistæ, & Zenonis, per Officiales Montis Pietatis per Hospitalarios S. Mariæ del Ceppo, S. Gregorii, per Collegium Judicum, & Notariorum Civitatis Pistorii, nec non etiam per Syndicos, & Procuratores deputatos ad exactiones debitorum omnium, & quorumcumque locorum annexorum suprascriptis locis, & cujuslibet eorum Ministros, Procuratores, Syndicos, & quomodolibet deputatos, contra eorum, & cujuslibet eorum quoscunque, & qualescumque debitores; in quibus quidem exactionibus, ut supra faciendis per D Commissarium, & ejus Curiam fiat, & fieri debeat suprascriptis locis, & personis, & eorum annexis, Jus summarium, & propterea de facto ad eorum instantiam procedatur, incipiendo etiam à captura personæ, seu gravamine reali, & cum ijsdem privilegiis, quibus exiguntur debitores Montis Civitatis Florentiæ; & prædicta serventur, non obstantibus quibuscumque feriis quomodolibet ex forma Statutorum inductis, exceptis diebus feriatis in honorem Dei. Et si quis Gabellarius, vel ejus socius, factor, famulus, aut eorum nuncius acceperit aliquid nomine gabellæ, seu pignorationis ultra, vel præter, aut contra formam Statutorum, & ordinamentorum Pistorii, incurrat pœnam librarum quinque denariorum pro qualibet vice, qua plus exegerit, & pro qualibet libra, qua plus petierit, in quam pęnam dictus D. Commissarius condemnare teneatur ipsos delinquentes ad instantiam cujuslibet personæ ad illum recursum habentis, & condemnatos de facto compellere, tam ad solvendum dictam pęnam ipsi Communi Pistorii, quàm ad restituendum illis personis quidquid ab eis plus acceptum, vel exactum fuerit, & de prædictis credatur, & stetur Sacramento accusantis, vel conquærentis cum uno teste de visu, vel cum duobus de publica fama, & procedatur in præsentibus causis summariè, & sinè strepitu, & figura Judicij, solaque facti veritate inspecta; & prædicta vindicent sibi locum, & observentur in omnibus, & per omnia, etiam contra illos gabellarios, socios, vel eorum famulos, qui post ipsam gabellam solutam fecerint aliquem pignorari pro dicta gabella soluta; in cęteris verò exactionibus in futurum faciendis in civilibus causis, & illarum occasione serventur Statuta in materia disponentia. Et quandocumque contigerit probabiliter dubitari, an quis teneatur, vel ne, ad solutionem alicujus gabellæ, cognitio causarum hujusmodi spectet, & pertineat ad DD. tres Judices deputatos vigore literarum Clarissimorum Practicæ secretæ S. C. S. sub die 28. Junij 1566. videlicet ad D. Commissarium, D. Fiscalem, & D. Camerarium Generalem Civitatis Pistorii, qui teneantur, & debeant summariè, & sinè strepitu, & figura Judicii, solaque facti veritate inspecta, sive ante, sive post factam executionem de prętenso debito, ex causa alicujus gabellę eorum sententia declarare, an quis sit, vel non sit legitimus debitor gabellarii prętendentis, & ab eorum sententiis pars, quę prętenderet se gravatam, habere possit recursum solummodo ad Clarissimos DD. Practicę secretę, quo verò ad modum procedendi in causis pręsentibus servetur, & servari debeat in omnibus, & per omnia ordo

ordo traditus in causis similibus in Statuto, de modo procedendi in civilibus Rubrica prima libro secundo.

Quod nullus de Civitate & Comitatu Pistorii possit conveniri coram aliquo Officiali Civitatis Florentiæ, nisi solùm coram Officiali Mercantiæ. Rub. XII.

tionis appellari possit. Et quod in judicio hypothecario, vel reali, quod infra annum continuum à die primæ citationis factæ in causa talis protestationis, vel actus moveretur super talibus bonis per eum, qui citatus reperiretur ad talem protestationem, vel actum, seu ejus succesorem, habeatur hujusmodi protestationem, seu actum faciens, seu ille, cujus nomine fieret, pro possessore, vel detentore bonorum, quæ se dixerit, seu per procuratorem dictum fuerit possidere per quadriennalem sine titulo, & causa justa, ut supra dictum est; & ex hoc solo possit tanquam possesor, seu tanquam, qui dolo desiit possidere, non obstante aliqua probatione, quæ in contrarium fieret, conveniri, condemnari, & arrestari, ad restitutionemque cogi, liquidato jure ex parte actoris in tali judicio, & in omnibus prædictis possit allegari possessio, & uti accessione temporis sui Authoris. Et si quis, cui factum esset præceptum de disgumbrando, comparuerit, & opponeret, & allegaret se possidere nomine alterius, qui non subsit jurisdictioni Communis Pistorii, non audiatur, nec admittatur talis comparitio, vel defensio, nisi ille, pro quo comparuerit, & dixerit se possidere, cum eo conveniat, & hoc aserat, quod pro eo possideat. Si verò quis allegaverit pro se, vel alio tenere, & possidere, & ipse possesor, vel detentor, vel is, cujus nomine dixerit se possidere, non esset subjectus jurisdictioni Communis Pistorii, nisi comparuerit [ut supra dictum est] de suo jure docuerit, & satisdederit secundùm formam Statutorum Pistorii; eo casu de facto cogatur ad disgumbrandum Tenutam, & possessionem, de qua ageretur. Salvo quòd si talis, cui præceptum factum fuerit, esset laborator, fictajolus, vel pensionarius bonorum, de quibus petitur fieri disgumbratio, & velit ipsa bona tenere, & laborare, seu habitare, & de fructibus affictu, & pensione respondere tali Creditori, & infra dictos triginta dies confiteretur talia bona pro ipso Creditore tenere, tunc disgumbrare non cogatur, & ille, cui dabitur, vel data fuerit Tenuta in futurum à Curia Communis Pistorii super bonis, vel in bonis sui debitoris, fructus ipsorum bonorũ lucretur pro damnis, expensis, & interesse usque in libris quinque pro centenario pro primo anno; eo verò elapso, nihil de fructibus lucretur, sed fructus in sortem computare debeat donec ipsa bona in solutum, & ex secundo decreto acceperit, & prædicta locum habeant etiam in Tenutis acceptis, & pro præteritis, & futuris, dummodo annus pro præteritis incipiat currere à die approbationis præsentium Statutorum; & si fructus, vel proventus ipsorum bonorum excederent libras quinque pro centenario, ut dictum est, debeat Creditor excessum in sortem imputare. Teneanturq; Commissarius, & ejus Judex, si petitum fuerit ab eo, cui data esset Tenuta, dare eidem Nuncium Communis Pistorii pro laborerio faciendo, & recolligendis fructibus quandocũque, non obstantibus feriis, dummodo fructus capere, auferre, vel percipere non possit, nisi cum licentia Judicis, & parte citata ad licentiam prædictam. Et si quis habuerit à Curia Communis Pistorii aliquas possessiones alicujus sui Debitoris in Tenutam, & alius Creditor ejusdem petierit etiam ipsas possessiones in tenutam, & voluerit solvere debitum, pro quo ipsas possessiones in Tenutam habuerit; Teneatur cedere ipsi Creditori omnia jura crediti, & hypothecæ, & Tenutæ prædictæ,

pro

quo dictas possessiones in Tenutam habuerit, facta eidem solutione ipsius debiti; nisi is, qui præmissas possessiones in Tenutam habuerit, voluerit solvere creditum secundo Creditori, quo casu ipse secundus Creditor teneatur jura sui crediti cedere, & hypothecæ, facta eidem prius sui debiti solutione. Et dicti Officiales, & quilibet eorum teneantur, & debeant manutenere, & defendere quemlibet possessorem in possessione quousque fuerit de jure ab eo avocata, seu recuperata, salvo jure cujuslibet alterius personæ. Triginta verò dies suprascripti intelligantur statuti utrique Parti ad probandum sibi incumbentia in Causa præcepti, quibus triginta diebus elapsis, neutra Pars audiatur, nisi secundùm quod dictum est supra in Statuto: *De modo procedendi in civilibus*; & eadem probatio requiratur in causa Tenutæ, & revocationis ipsius, quæ requiritur in causa præcepti.

De notificatione litis motæ. Rub. IX.

AD tollendas expensas inutiles, quæ sæpe fiunt occasione alicujus litis motæ, seu denunciationis, quas fieri contigerit in futurum; sancimus, & ordinamus, quòd de cœtero in notificationibus, & denunciationibus litium prædictarum, sufficiat si talis notificatio fiat de commissione Judicis Causarum civilium Communis Pistorii cum cedula, & illius dimissione continentis qualitatem litis motæ, per quem, & ex qua causa, & coram quo Judice, absque eo, quod transmittatur copia Instrumentorum, & actorum in lite factorum; teneatur tamen qui denunciat quidquid gestum est exprimere, & de prædictis fiat relatio in actis Causæ Judicis Causarum civilium Communis Pistorii; quas notificationes, intimationes, & requisitiones Judex committere teneatur, fieri possint, & valeant quocumque tempore etiam feriato in honorem Dei, dummodo notificatæ, & factæ fuerint ante lapsum termini ad faciendum deponere testes in Causa prædicta; & si Auctor notificatus, sivè ille, cui lis denunciata est, velit pro suo interesse litem suscipere, & sibi incumbentia probare, tunc & eo casu terminus datus ad probandum per testes, intelligatur prorogatus per alios quindecim dies utiles, qui terminus non compræhendatur in instancia prædictæ Causæ; quibus quindecim diebus Notificatus suam intentionem probare debeat, & in eo termino dicto No fi ato liceat Testes ab Actore examinatos, cum interrogatoriis ab ipso dandis repetere; eodemque durante, Testes examinati, tam ad instantiam Actoris, quàm Rei, non intelligantur, nec sint publicati, nisi ad instantiam Actoris, & per Actuarios non possit dari copia dictarum attestationum, vel aliquo modo, dicto Reo, vel notificato ostendi, sub pęna perjurii, juxta formam Statutorum.

Et si Auctor notificari facientis, & ille cui sic fuerit lis notificata, in judicio non comparuerit, & Causam super se sumpserit, ipse Reus conventus, & notificari faciens, non teneatur à sententia super tali lite ferenda, appellare, aut aliter Causam invitus prosequi, attamen appellando Auctor laudatus teneatur ad expensas factas in dicta appellatione: sed elapsis terminis datis ex forma Statutorum ad appellandum, & appellationem præsentandum, si Auctor ejus à tali sententia non appellaverit, nec appellationem prosequtus fue-

 rit,

rit, possit, & ei liceat agere contra talem Auctorem suum pro vera sorte rei super qua esset lis mota, & pro suis damnis, expensis, & interesse, incipiendo etiam à captura personæ, vel executione reali; & prout sibi utilius fuerit, etiam quòd nondum sit spoliatus de bonis, & re, super quibus lis esset mota.

Quod Procurator non teneatur satisdare de defendendo Dominum. Rub. X.

PRocurator si intervenerit pro Actore non cogatur satisdare de defendendo illum, pro quo agitat in Causa conventionis, vel reconventionis; si verò pro reo intervenerit non cogatur satisdare judicatum solvi, vel docere se a Constituente relevatum; & nihilominus, his non obstantibus, Procurator tam Actoris, quàm Rei, tanquam legitimus in causa admittatur, nisi talis Procurator pro aliquo non subjecto jurisdictioni Communis Pistorii litigare voluerit agendo, vel defendendo; quo casu etiam si à Constituente fuerit legimè relevatus, non audiatur, nisi satisdederit de judicio sisti, & judicatum solvendo, cum clausulis suis secundùm quantitatem negotii de quo agitur, & de solvendo in Causa reconventionis secundùm infra disposita. Item quælibet persona, & locus non subjecta, vel subjectus jurisdictioni Communis Pistorii, vel ejus Officialibus, si agere, vel experiri velit, aut convenire in causa civili, vel mixta, vel etiam aliquid in ejus favorem fieri etiam per officium Judicis, teneatur, & debeat satisdare in Causa conventionis, & reconventionis de judicio sisti, & judicatum solvendo à die petitionis de satisdando infra duos dies juridicos, & teneatur servare Statuta Communis Pistorii, & secundùm dicta Statuta ei jus reddatur, & si non satisdederit, non audiatur; hoc declarato, quòd intelligantur, & habeantur tanquam forenses quilibet non subjecti in civilibus jurisdictioni Commissarii Pistorii.

De dando Advocatum, vel Procuratorem. Rub. XI.

DOminus Potestas, seu Commissarius, & Judex causarum civilium, à quo petitum fuerit, teneantur petenti dare Advocatum, vel Procuratorem, dummodo sit de Collegio Judicum, & Notariorum, quem petierit in Quæstionibus, seu Causis, quas haberet, vel habere intenderit, cum moderato salario; qui Procurator, seu Advocatus sic datus à Potestate, Commissario, seu Judice, teneatur, & debeat vinculo juramenti sibi ab eis, seu aliquo eorum deferendi sub pœna librarum vigintiquinque, benè, legaliter, & bona fide adjuvare talem petentem in suis Causis, & Quæstionibus. Et etiam teneantur dicti Potestas, seu Commissarius, & Judex Causarum dare petenti Notarium sufficientem de dicto Collegio, quem petierit ad faciendum Instrumenta, & alia Testamenta, & ultimas voluntates, actus appellationis, seu denunciationis, protestationis, requisitionis, obligationis, interdictionis, & prohibitionis, cum plerunq; Notarii propter metum, & timorem odii recusent talia Instrumenta facere; & qui Notarius sic datus teneatur vinculo juramenti, & sub pœna librarum decem, & arbitrii, testamenta, & alia Instrumenta conficere, de quibus habuit in mandatis à Judice, benè, legaliter, & bona fide; & si Notarius timeret facere prædicta, Potestas, seu Commissarius, seu Judex teneantur

tur

tur, & debeant sibi de familia dare pro sui securitate prout expedierit, & si pauperrima persona fuerit, faciat Instrumentum sine pretio. Et nullus Advocatus, seu Procurator aliqua ratione, vel causa, nisi fuerit unicus Advocatus, vel Procurator Partis contrariæ, quem peteret in Advocatum, vel Procuratorem, recusare possit sub dicta pœna de facto, & sine aliqua condemnatione inferenda recusanti, aut non obtemperanti, omni appellatione, & oppositione cessante.

Quod nullus Syndicus Universitatis Communis Pistorii duret ultra annum. Rub. XII.

NUllus Syndicus Communis Pistorii, vel alicujus Universitatis, Comitatus, & Districtus ejus, duret, vel durare debeat ultra annum à die cõstitutionis ipsius computandum, quo elapso, tale officium expiret, nisi in syndicatu, & ejus constitutione majus tempus esset appositum, vel declaratum. Et infra id tempus talis Syndicus possit agere, exequi, & explicare cum effectu omnia, & singula in suo mandato contenta, & omnis contractus, vel quasi, & quilibet actus, qui per talem Syndicum infra dictum tempus fierent secundùm potestatem ei traditam valeant, teneant, & roboris obtineant firmitatem. Et Syndicus factus ad agendum, vel similia pro Communi Pistorii, non possit durare ultra sex menses, & ab ipsis sex mensibus in futurum nil agere possit, ut si quid à dicto anno, vel sex mensibus in futurum, vigore, vel prætextu hujusmodi syndicatus fieret contra prædicta, vel aliqua prædictorum, non valeat ipso jure.

De consiliis dandis per Judices, & Advocatos, & scripturis faciendis sine pretio. Rub. XIII.

QUia interdum Communi Pistorii occurrunt quæstiones, super quibus expedit habere consilium Sapientis, sancimus, quod ad requisitionem DD. Priorum, & Vexilliferi Justitiæ Civitatis Pistorii, vel eorum loco subrogatorum, Collegium, Judicum, & Advocatorum dictæ Civitatis, & ipsi Judices, & Advocati teneantur, & debeant sub pœna librarum vigintiquinque, imponenda per Potestatem cuilibet dictorum Judicum, & Advocatorum consulere in dictis causis Communis in scriptis, & sine scriptis, sinè aliquo salario petendo, vel habendo à dicto Communi. Et omnes Notarii, qui sunt, vel pro tempore fuerint in officiis Civitatis Pistorii, teneantur scribere omnes chartas, & scripturas originales, quæ pro ipso Communi scribendæ occurrerint in eorum officio sine aliquo pretio, sub eadem pœna.

Quod Judex faciat consentire Patrem Filio actori, vel reo. Rub. XIV.

ORdinamus, quod exhibito libello, seu petitione coram Judice Pars adversa instet Judici, ut faciat Patrem Adversarii (si credit eum vivere) consentire Filio actori, vel reo, & Judex certum terminum assignet Actori, vel Reo; ut consensus hujusmodi præstetur, quo elapso, & consensu non exhibito, ritè possit in Causa procedi, quòd si non institeterit ante litem contesta-

testatam, volens postea dicere, vel allegare, seu negare patrem suum mortuum esse, non audiatur, & nihilominus instantia judicii teneat.

Quod debitor conventus non possit alienare de bonis suis, post citationem illi factam.
Rub. XV.

ORdinatum est, quod nullus debitor judicialiter conventus, vel requisitus, post citationem illi factam possit alienare de bonis suis immobilibus, vel obligare aliquid; & si contra fiat, non valeat, & procedatur, ac si alienatio, vel obligatio facta non foret, quantum ad illum, vel illos, ad cujus, vel quorum petitionem citatus fuerit; & hæc locum habeant, si ipse Actor infra mensem post citationem, inceperit prosequi jus suum contra talem Debitorem conventum, licèt non sit expeditus processus.

De non computando diem, quo assignatur terminus, & de citatione ad sententiam.
Rub. XVI.

UT omnis dubitatio, quæ quotidie nascitur tollatur, statutum est, quod in omnibus terminis, & dilationibus, vel citationibus, vel requisitionibus, in quibus datur, vel assignatur terminus, vel dilatio plurium dierum per Judicem, vel Officialem Communis Pistorii, vel ejus parte, & mandato, dies factæ citationis, vel dati termini, & dilationis non computetur in termino, vel dilatione; & hæc locum habeant in civilibus, & criminalibus quæstionibus. Citationes verò, & requisitiones, quæ fierent de mandato alicujus Judicis, vel Rectoris Jurisdictionem habentis ad audiendam, vel videndam ferri sententiam diffinitivam, vel interlocutoriam, vel præceptum, fieri debeant die præcedenti talem sententiam, præceptum, vel commissionem, vel ante, dummodo non excedantur tres dies utiles; quo verò ad alios actus, de quibus non reperirètur determinata Statuta, fiat citatio de mane ante meridiem pro sero, vel de sero pro mane sequenti, secundùm quod Judex sedebit, & aliter facta non valeat. Post sonum autem Ave Mariæ de sero citationes non fiant, nisi citetur personaliter apprehensus, & ante horas duas.

De productione articulorum, & juramento, & examinatione Testium.
Cap. XVII.

IN qualibet Causa, quæstione, vel facto civili, vel mixto coram quocumque Officiali Civitatis Pistorii vertente, quicumque petierit, seu voluerit examinari facere Testes, debeat exhibere cum nominibus Testium, capitula, articulos, & positiones, infra tempus, sive terminum datum ad faciendum Testes jurare, & postea non admittatur per Judicem ad dandum capitula, articulos, seu positiones hujusmodi secundùm dispositionem Rub. *de Judic.* & *mod. proceden. in civil.* ut supra Rub. I. §. *Post quam.* Per hoc tamen non tollatur facultas faciendi interrogationes, quæ de jure fieri possint ubicumque æquitas moverit Judicem, seu Examinatores alios deputatos, & super eis non recipiantur, nec examinentur Testes, si exhiberentur post terminum datum ad facien-

ciendum jurare Testes. Et Testes, qui in aliqua Causa, & facto recipiuntur; debeant jurare, testificari, & dicere, quæ noverint super his, de quibus fuerint interrogati in materia articulorum, & Causæ, & etiam super omnibus, quæ visa fuerint Judici, interrogari debere, quos examinare debeant, vel Judex, vel Actuarii Causæ, aut alius Notarius eorum loco, de consensu Partium eligendus à Judice, si fuerint legitimè impediti, aut recusati uti suspecti; & quorum Testium depositiones ordinatim manu Examinatoris describantur, & ea forma, qua proferuntur verba à Teste, etiam modo rustico, vel barbaro, absque ulla mutatione, & debeant stare secretæ apud Judicem, & Examinatores, & Notarios, donec fuerint publicatæ, publicatione verò facta, teneatur Judex utrique Parti, quandò voluerint, si pro utraque Parte fuerint publicatæ, vel alteri earum, pro qua facta fuerit publicatio, decernere copiam depositionum. Non tamen possit, vel debeat ipse Judex committere Juramentum, vel examinationem Testium alicui, vel aliquibus Notariis, vel Personis in Causis civilibus, vel mixtis, nisi de voluntate Partium non coactarum. In Testibus autem producendis extra Territorium, secundùm formam Statuti *de modo procedendi in civilibus*, fiat commissio secundùm ipsius Statuti formam, & commissio aliter facta non valeat. Et si Partes in concordia existentes voluerint eligere duos Notarios ultra Judicem neutri earum suspectos, qui intersint examinationi Testium, eis liceat, aliàs solus Judex cum Notario Actuario examinet. Et si aliqua ex dictis Partibus requisita ex commissione alicujus Judicis ad videndum examinationem, vel juramentum Testium committere, ut supra dictum est, non comparuerit coram eo, tunc ipse Judex possit ad instantiam Partis petentis, vel etiam motu proprio ea committere duobus ex Notariis legalibus Civitatis Pistorii, qui Testes recipiant, & examinent expensis dictarum Partium, & ex dictis Notariis eorum alter depositiones scribat; Notarii verò non cogantur recipere commissionem prædictam, & quod factum fuerit per eos super prædictis sit firmum. Et si Partes, vel altera earum produxerit articulos, & positiones, citata Parte adversa una die pro alia personaliter, vel domi suæ solitæ habitationis ad respondendum eisdem per verbum *credit*, vel *non credit*, & Pars citata in termino non compareret, & citetur iterum una die pro alia, & in ejus contumaciam, Judex teneatur, & debeat ad voluntatem Ponentis pronunciare eas, & eos habere pro confessatis, vel negatis, ut fuerit utilius Ponenti, dummodo una ex dictis citationibus facta fuerit personaliter, & non aliter ut supra. Nullus tamen Advocatus, vel Procurator in actu responsionis, nisi aliter Judicis arbitrio videatur, assistat Clientibus quoquo modo eos instruendo in Causis, quando fit interrogatio, vel positio medio juramento; & qui contrafecerit, puniatur ad favorem Communis Pistorii in libris decem den. quoties culpabilis fuerit.

De pœna negantis filiationem, paternitatem, & hujusmodi. Rub. XVIII.

PRovisum, & ordinatum est, quod de morte Patris alicujus, vel de tempore mortis, quod quis sit, vel fuerit tabellio, sive Notarius, vel artem Notariatus exercuerit, aut sit, vel fuerit Judex, filiatio, paternitas, & legitimatio

matio filiationis, & paternitatis, quod quis sit, vel fuerit vir, vel uxor, Potestas, vel Judex alicujus Curiæ, Officialis, seu Operarius Operæ Sancti Jacobi Apostoli Majoris Ecclesiæ, vel alterius Ecclesiæ, vel Rector alicujus Cappellæ, possit probari per publicam famam infra quinque dies utiles post terminum datum ad opponendum contra Instrumenta, & jura, & pro legitima, & plena probatione in dictis causis famæ probatio habeatur. Et quicunque per se, vel suum Procuratorem, etiam juraverit in aliquo actu cujuslibet Causæ, & super articulis, & positionibus continentibus prædicta vera esse, aut aliquod prædictorum, intelligatur probasse plenè intentionem suam, absque aliqua alia probatione per Testes, seu aliter de publica fama. Quod si Pars adversa expressè negaverit respondendo, aut opponendo positionibus, vel articulis prædictis, aut alicui eorum, teneatur, & debeat talis negans probare contrarium, juxta formam Statutorum; quòd si non probaverit legitimè negata per eum, puniatur in pœna librarum decem pro quolibet articulo, & positione negata, & nõ probata. Et si in contrarium ejus quod articulatum est, à suprascriptis, aut aliquo eorum, vel similibus fuerit probatum, tunc, & eo casu Actor, seu is, qui ita posuerit, & articulos dederit, incidat in pœnam librarum viginti pro qualibet positione, & articulo, reprobata, & reprobato. Et simili pœna puniatur, si aliquis per se, vel Procuratorem suum in aliqua causa, seu quæstione negaverit Instrumentum processum, vel scripturam esse scriptam, vel scriptum manu publicæ personæ, vel manu ejus qui scripserit, vel subscripserit, vel subscriptus esset in eis; vel negaverit aliquem fuisse Nuncium, præconem, vel Officialem, si postea probatum fuerit, ut dictum est; quam pœnam in quolibet casu prædictorum possit, & debeat Judex, coram quo negatio facta esset, & ejus successor solvi facere Camerario Communis Pistorii, pro ipso Communi recipienti de facto, & sine aliqua condemnatione inde facienda ad instantiam, & requisitionem Partis, contra quam fuerit ipsa negatio facta, seu probaverit ut supra, sub pœna librarum vigintiquinque den. ipsi Judici infligenda tempore sui Syndicatus, non obstante aliquo cursu temporis, & non obstante, quod talis Procurator non habuerit ad prædicta speciale mandatum.

Quæ probationes sufficiant in causa hypothecaria. Rub. XIX.

IN quasi serviana, vel hypothecaria, vel ubicumque dicerentur aliqua bona, vel res obligatæ, vel hypothecatæ, ultra modos inductos à Jure communi ad probandum dominium, vel rem, vel bona fuisse in bonis Debitoris, sufficiat si probetur, Debitorem, cujus bona, vel res esse vel fuisse dicerentur, possedisse, & tenuisse per se, vel Authores suos, ita quod possessio sui, & Authoris jungi possit per decem annos continuos; vel sufficiat probare, quod Possessor conventus habuerit titulum, vel causam à Debitore, vel ejus successore universali, vel singulari dictorum bonorum, & rerum, salvo tamen Adversario jure probandi contrarium.

De resti-

De restituendis expensis Creditori. Rub. XX.

STatuimus, quòd si qua Persona Civitatis, vel Districtus Pistorii non solverit debitum, seu creditum, vel res in termino sibi præfixo, vel in termino inter eos posito à Judice, & Creditor, cui res deberetur, fecerit inde aliquas expensas, illas omnes expensas, quas fecerit, & vecturas, facta taxatione per Judicem, Debitor ei restituere teneatur.

Che le differenze delle Soccite si terminino sommariamente. Rub. XXI.

PEr la sommaria decisione delle differenze, e liti, che frequentemente sogliono nascere per occasione delle Soccite del bestiame di qualsivoglia genere, o in qualsivoglia maniera, viene ordinato, che i Signori Priori, e Gonfaloniere di Giustizia della Città di Pistoia, o qualsivoglia Magistrato, in luogo di quelli surrogato, sieno tenuti, ed obbligati ogn'anno per tutto il mese di Dicembre, per loro solenne partito da ottenersi fra essi legittimamente, con effetto avere eletto tre buoni, e prudenti Cittadini Pistojesi, quali in tal modo eletti s' intendano in virtù della presente Legge avere, ed abbiano autorità di conoscere, e decidere le differenze, e liti predette; da durare per un' anno dal primo giorno del mese di Gennajo indi prossimo futuro.

I quali Cittadini tali differenze, liti, e controversie per occasione delle bestie, e di ciascuna dependenza da quelle, sieno tenuti terminare onninamente a loro arbitrio, come di ragione, e giustizia stimeranno convenire, fra quindici giorni prossimi futuri dal dì, che d' avanti a quelli saranno mosse: Quali determinazioni, e qualsivoglia di quelle, sempre sieno tenuti fare d' avanti al Sig. Podestà, o Commissario della Città di Pistoia, o alcuno di loro, o d' avanti al Giudice di ciascuno di loro, e non altrimenti, nè in altro modo, sommariamente però, semplicemente, e alla piana, e senza osservare alcuna solennità, presenti le Parti, ovvero legittimamente citate un giorno per l' altro ad essere presenti, se vogliono, alla predetta determinazione, e ad informare fra tanto delle loro ragioni.

Dalle quali decisioni, o alcuna di loro non si possa appellare, opporre di nullità, o per qualsivoglia altro rimedio di ragione, o di fatto, recedere, ma da ciascuno debbansi inviolabilmente osservare, e come sentenze, che abbiano fatto passaggio in cosa giudicata, si debbano mandare ad esecuzione da qualsivoglia Rettore, o Ufiziale di Pistoia.

Dichiarando, che tutte le Soccite delle bestie, che si facessero, o sieno fatte secondo la buona consuetudine di Pistoia, sieno, & essere s' intendano alla metà del guadagno, e della perdita dell' istesse bestie; sicchè quelli, a' quali dette bestie saranno date in locazione, sieno tenuti, se interverrà in quelle, o che dell' istesse bestie accada danno, pagare al locatore la metà del danno, e per lo contrario il guadagno, e l' utilità dell' istesse bestie egualmente si divida infra il Locatore, e Conduttore, salvi però i patti fatti infra le Parti.

E nessuno, che ha bestie in soccita da alcuno, possa alienarle senza espressa licenza del Padrone, dal quale l' ha avute, alla pena del furto, come si dichiara nel-

ra nella Rub. 31. lib. 5. *de pœna furum, & latronum*, e non possano tali Conduttori, o Socci godere benefizio alcuno de' Carcerati, e chi contraffarà, sia tenuto alla pena furtiva; Ed il Padrone delle dette bestie vendute, s' intenda ritenere il dominio di quelle appresso di sè, anco dopo l'istessa alienazione fatta senza sua licenza, e possa, e vaglia quelle, e ciascuna di loro de facto vindicare, e recuperare da qualsivoglia persona, che quelle, o quella tenga, o possegga, con tutti i remedj giuridici opportuni. Quelli che anno bestie in soccita sieno tenuti ad ogni volere del Locatore condurle in Mercato qualsivoglia giorno di Sabbato, o giorno a quello surrogato, e ad ora congrua del pubblico Mercato ad arbitrio de' Giudici, sotto pena di lire venticinque, e si creda al semplice giuramento del Locatore, overo del Padrone di quelle; con questa dichiarazione, che tutte le vendite, e compre da farsi in futuro di qualsivoglia bestia a lire di danari, s' intendano fatte di lire di moneta allora correnti, e se si facessero a scudi, s' intendano di lire sette l' uno, se fra le Parti non fusse altrimenti espresso, e convenuto.

Il partito, che in avvenire si farà di qualsivoglia bestia nel giorno di Sabbato, o in giorno in luogo di quello surrogato, si pratichi come appresso, cioè: se fussero bestie atte a lavorare, o someggiare, allora, ed in tal caso a chi sarà dato il partito, abbia, ed avere intendasi ipso jure tempo, e termine sino al giorno del Lunedì prossimo immediatè seguente, ad accettare, o relassare dette bestie, o a pagare il prezzo di quelle in caso che l' accettasse: ma nell' altre bestie abbia tempo sino al giorno di Mercoledì, dal giorno del detto partito, ad accettarlo, o a lassarlo, ed a pagare il prezzo se l'accetterà come sopra, e non più oltre; e nel dare detto partito, sia preferito il Padrone delle bestie, e ricusando, lo deva dare il Conduttore delle medesime. Ma se i partiti predetti, o alcuni di quelli saranno dati fuori del giorno di Sabbato, overo in luogo di quello surrogato, allora, ed in tal caso, quegli, al quale è stato dato il partito, abbiasi, ed avere intendasi otto giorni prossimi indi futuri, a pigliare, o lasare, ed a pagare il prezzo come sopra, avuta congrua relazione d' una cosa all' altra.

In qualsivoglia de' predetti casi le dette bestie debbano depositarsi appresso un Terzo, da eleggersi dal Padrone di tali bestie, in caso che per qualche ragione, causa, o sospetto non volesse fra tanto lasciarle appresso il Conduttore, duranti respettivamente i termini sopradetti, sotto la medesima pena di lire venticinque a qualsivoglia, che contrafacesse, da applicarsi la metà alla Camera del Comune di Pistoia, la quarta al Rettore, che con effetto risquoterà, ed il restante alla Parte, contro la quale sarà contraffatto.

Si dispone in oltre, che chi compera bestie boccine, o bovine, tanto da lavoro, che giovenchi, o lattoni, vitellami, e di qualsivoglia sorta, abbia tempo a pagarle al più giorni otto, altrimenti sia tenuto ad ogni spesa, e danno a favore del Venditore; e non essendo in detto tempo il Venditore pagato, e soddisfatto, abbia il riservo, e dominio sopra le bestie vendute per un mese dal giorno della vendita, mentre altrimenti non fusse tra Contraenti convenuto.

Pari-

Parimente, che il Comperatore per il prezzo delle dette bestie boccine, e bovine di qualsivoglia sorta come sopra, dopo detti giorni otto, possa essere astretto, ed esecutato, tanto realmente, che personalmente, come se fusse debito pubblico, o fiscale; nè li giovi il privilegio militare, nè i bullettini di qualsivoglia Magistrato, nè meno l'esenzione di Pisa, o Livorno; nè possa essere ammesso al benefizio della cessione, nè del miserabile, essendo necessarissima questa provvisione, stanti le truffe, che continuamente si commettono in pregiudizio troppo grave del pubblico commercio.

Similmente s'ordina, che non possano opporsi, nè altrimenti pattuirsi per rescindere, o in qualsivoglia altro modo impugnare la vendita di detti bestiami, se non gli appresso quattro vizzi, difetti, e mancamenti, esclusi tutti gli altri, ed ancorchè fussero convenuti trà il Venditore, e 'l Comperatore, non si devano attendere, dovendosi solo attendere i quattro infrascritti, cioè; primo, *cozzare*; secondo *tragiogare*; terzo *pisciar sangue*; e quarto *il mal caduco*: cioè il primo, e secondo infra tre giorni, il terzo infra giorni otto, & il quarto infra giorni quindici. Dichiarando, che detti tempi respettivamente s'intendano principiati dal giorno della vendita exclusivè. Non possano però opporsi da i Comperatori detti vizzi, o alcuno di essi, se non mostreranno d'avere effettivamente depositato sopra il Monte di Pietà di Pistoia l'intero prezzo del bestiame venduto, e di più per pena lire quattordici, se il prezzo ascenderà dalli scudi diciotto, fino alla somma di scudi trenta; e da scudi trenta in ogni maggior somma, se non mostreranno col prezzo dovuto d'avere realmente depositato ancora lire ventiotto, pure per pena sopra detto Monte, o almeno in mano de' Giudici, se per qualchè impedimento non potesse riceversi il deposito da' Ministri di detto Monte; da applicarsi dette somme penali di lire quattordici, e lire ventiotto a favore delle Monache Convertite di questa Città, in caso, che non si verificassero i vizzi, difetti, o mancamenti che fossero opposti, e da pagarsi immediatamente dopo la sentenza il prezzo al Venditore, e le dette somme penali alle Monache suddette, ogni eccezione rimossa.

Dichiarandosi, che deva osservarsi solamente la presente disposizione, nelle compere, soccite, e vendite delle bestie boccine, e bovine sopra espresse, non ostante qualsivoglia altra legge contraria, o diversa, generale, o particolare, che anche comprendesse la Città, Contado, e Montagna di Pistoia, quali tutte s'intendano abolite, & abrogate.

E se accaderà, che alcuno de' detti tre Cittadini infra l'anno predetto muoja, overo per lunga assenza, o in altro modo sia legittimamente impedito, o se sia allegato a sospetto, in qualsivoglia de' predetti casi, i Signori Priori, e Gonfaloniere di Giustizia, o i loro Luogotenenti sieno tenuti, e debbano immediatamente dopo l'avuta notizia delle predette cose, per loro legittimo partito, surrogare un'altro Cittadino in luogo di tal morto, assente, o impedito per il restante del tempo di dett'anno, e similmente in luogo di quello, che sia stato allegato a sospetto, per la decisione solamente di quella causa, sotto pena a' predetti Sig. Priori, e loro Luogotenenti, di scudi cinque

d' oro per ciascheduno, per ogni volta, che mancheranno d'osservare le predette cose, da levarsi dal loro salario a favore del Comune di Pistoia; nella quale similmente incorra il Cancelliere del Comune di Pistoia per tempo esistente, che non procurerà mandare ad effetto le cose predette.

E tutto ciò, che per due di detti tre Cittadini, assente ancora l'altro e ricercato, o presente e contradicente, sarà fatto, o sentenziato, sia valido, e tenga, e s'eseguisca, come se tutti e tre in concordia sentenziassero, e determinassero le liti.

E per più facile spedizione di tali differenze, i predetti Giudici per sportula di ciascuna sentenza, che daranno, abbiano lire una, soldi sei, e denari otto piccioli per ciascuno, in tutto lire quattro, da depositarsi la metà da ciascuna delle Parti, alle quali sia ancora lecito ricorrere al Signor Gonfaloniere per tempo esistente, e domandare, che sia fatto precetto a detti tre Cittadini di congregarsi nella Casa di S. Jacopo, conforme quivi sieno tenuti congregarsi per esercitar' il loro ufizio. Abbiano i predetti Cittadini la cognizione, e decisione delle cause, tanto per causa di compagnie de' bestiami, quanto di vendita, e dependenze in qualsivoglia modo da quelle; e le sentenze da darsi da detti tre Giudici, si sottoscrivano con il rogo de gli Attuarj delle Cause civili. Nelle predette materie si deva prestar fede a' libri, fogli, Instrumenti, o altre provazioni legittime, conforme alli Statuti della Città di Pistoia. E perchè l'esperienza fa conoscere, che le differenze, che nascono per causa di detti Bestiami vanno sempre crescendo, e che difficilmente si trova chi voglia accettare detta carica di Giudice, per non esser in uso ricevere dette Sportule, però si è statuito, che detti Signori tre Giudici devano conseguire tutte le distribuzioni pubbliche.

De ætate legitima, & obligatione minorum, & consensu mulierum pro dotibus, & restitutione in integrum. Rub. XXII.

ÆTas viginti unius annorum completorum cuilibet sit, & esse intelligatur legitima ætas naturalis, tamquam ætas viginti quinque annorum completorum; excipiuntur tamen obligationes, quæ fiant ex causa privilegiata, vel necessaria, ut in constitutione, vel restitutione dotis: in obligatione Filij familias minoris pro Patre: in conductione bonorum, quæ fiat à Minore ad breve tempus: vel in conductione bestiarum: seu pro pecunia, & rebus habitis pro victu, & bene laborando à Domino: vel pro exercitio mercaturæ aliisque similibus obligationibus ex causa necessaria juxta formam juris, in quibus statuitur, quod Minor possit obligari sine solemnitatibus solummodo post plenam pubertatem, scilicet post 18. annum completum, ante quam ætatem prædictæ obligationes sint omnino nullæ, si non adhibeantur solemnitates, quibus non servatis neque validentur per supervenientem legitimam ætatem, neque instrumentum ullam faciat fidem, non obstante quolibet vinculo, etiam efficacissimo, quo muniretur, & quas obligationes ex causa necessaria post 18. annum declaramus validas, sine solemnitatibus, solummodo in casibus, quando non agatur de alienatione bonorum immobilium Minoris;

noris; statuentes quod debeant adhiberi solemnitates ad validitatem alienationis bonorum, vel renunciationis justam minoris, usque ad 21. annum completum indistinctè, sive agatur de causa necessaria, sive voluntaria; aliàs contractus sit nullus ut infra.

Quilibet Contractus, & obligatio facienda in futurum per aliquam Personam minorem, ut supra, super quibuscumq; obligationibus, alienationibus, sive diminutionibus rerum, & jurium eorum, vel super aliquo prædictorum: & quilibet contractus, vel obligatio in futurum facienda per aliquam Mulierem constante matrimonio super aliqua obligatione, vel alienatione alicujus fundi dotalis, seu specialiter obligati, seu super consensu obligationis ipsius fundi, seu super liberatione alicujus debiti dotis, seu super dividendo jus solidi inter debitores dotis, seu circa aliquod prædictorum, nullo modo valeat, nisi tales obligationes, & contractus facti fuerint coram Operariis Operæ Sancti Jacobi, vel majori parte ipsorum, etiam alijs absentibus, & irrequisitis, vel defunctis, vel contradicentibus, & coram uno legista Judice Collaterali D. Commissarij, & coram Patre talis Minoris, vel Mulieris, vel Procuratore dicti Patris ad hoc specialiter constituto, & si Patre careret, coram Curatore talis Minoris, vel Mulieris (in quo casu debeat in actu à Judice dari Curator specialis tali Mulieri, vel Minori) ipsis Operarijs, & Patre, vel Procuratore Patris, seu Curatore ad Sancta Dei Evangelia, tactis corporaliter scripturis, jurantibus, & exprimentibus se credere causam, propter quam talis contractus, sive obligatio, vel renunciatio procedit, esse veram, & utilem tali minori, vel mulieri, aut convenientem, vel necessariam, sive justam, vel rationi consonam, declarandam à dictis Operarijs, cum juramento, & legitimo partito firmandam, quam causam exprimere debeant; & Notarius, qui de tali Instrumento, vel scriptura fuerit rogatus, etiam de dicta solemnitate, & expressione conficiat Instrumentum, & similiter juret, & exprimat illam credere veram, & rationi consonam; & si aliter conficerentur Instrumenta, vel scripturæ super prædictis, vel aliquo prædictorum, nullam omnino faciant fidem, nullumque sortiri possint Juris, aut executionis effectum contra, & in damnum, & præjudicium dictorum Minorum, & Mulierum, & nihilominus talis Notarius prædicta non observans puniatur in libris centum denar. pro qualibet vice.

Nulla persona decem & octo annorum possit in integrum restitutionem petere occasione alicujus læsionis, vel gravaminis, vel alia quacumque de causa, contra aliquam sententiam, vel Processum factum in Causa principali, vel appellationis post sententiam definitivam quæstionis principalis, vel appellationis; Et si per Judicem appellationis prima sententia fuerit confirmata, vel pronunciatum in causa appellationis tempora fuisse decursa, tunc dictus Judex appellationum teneatur dictam sententiam executioni mandare, non obstantibus aliquibus petitionibus, vel exceptionibus, maximè restitutionis in integrum, vel nullitatis, nisi esset exceptio finis transactionis, vel solutionis, quæ reperiretur esse facta postquam sententia transierit in rem judicatam, de quibus, vel aliquo eorum appareret per publicum Instrumentum. Et

Mino-

Minores, & Mulieres extra Territorium contrahere, vel se quomodolibet obligare, alienare, vel renunciare, nullo modo possint, nisi prius adhibitis suprascriptis solemnitatibus super actum per ipsos, vel ipsas extra Territorium faciendum, vel saltem nisi præfatæ obligationes, & contractus, cum suprascriptis debitis solemnitatibus ratificati fuerint; & Instrumenta, & scripturæ super prædictis, vel aliquo eorum aliter facta, vel factæ nullam omnino fidem faciant in judicio, nullumque sortiri possint effectum Juris, aut executionis; contra, & in damnum, & præjudicium dictorum Minorum, & Mulierum.

De contractu prohibito fieri cum malegerentibus facta sua. Rub. XXIII.

AD petitionem Fratris, Patris, aut Consanguinei ut infra, alicujus, qui malè gereret negocia sua comparentis coram Domino Commiss., vel ejus Judice Collaterali, præfatus Dominus Commiss., & Judex teneantur facere banniri per Bannitorem Communis Pistorii in locis consuetis dictæ Civitatis, quod nullus mutuet, contractum, vel obligationem faciat cum tali Persona, quæ diceretur malegerere facta sua, ut supra; quod bannum duret per unum annum tantùm, & unum mensem, & possit innovari prohibitio tempore novi Commissarii; Et hæc scribantur per Notarium Operæ Sancti Jacobi Apostoli in registro Instrumentorum dictæ Operæ, specialiter tenendo, & in Archivio Operæ conservando, in qua descriptione (facienda saltem infra tres dies post emissum bannum, aliàs istud nullius sit momenti) apponatur annus, mensis, & dies banni, & nomen Notarii, qui illud scripserit; & omnium prædictorum teneatur Notarius dare copiam cuilibet petenti. Debeat tamen bannum emitti ad petitionem Patris tantùm, eo verò non existente ad petitionem Fratris, unà cum alio ex Proximioribus talis malegerentis negocia sua, & si Fratres non haberet ad petitionem duorum ex Proximioribus suis. Quod autem talis persona malegerat negocia sua quantùm ad prædicta, pro plena probatione habeatur sacramentum Patris, Fratris, talis Conjuncti, seu Conjunctorum cum duobus testibus de publica fama deponentibus, sinè citatione Partis. Et contractus gesti, & debitum contractum tempore vigentis banni non valeant, & pignora restituantur, non obstante Statuto *de præcepto guarantigiæ*, & quilibet contrafaciens, ipso jure amittat tale mutuum, & omne jus quæsitum ex contractu, vel obligatione, & compelli possit ad rescissionem, & cassationem talis Instrumenti, & cujuslibet scripturæ factæ.

De credentiis non faciendis filiis familias. Rub. XXIV.

STatuimus, quod nemo de Civitate Pistorii, vel de suo districtu, vel aliunde in futurum faciat, vel fieri faciat, aliquam credentiam, vel præstãtiam alicui filio in patria potestate constituto, & nondum à Patre diviso, nec fidejussorem ab eo super hoc recipiat, nec ipsum Filium principalem debitorem, nec constitutorem, vel fidejussorem super hoc recipiat; excipimus tamen filios, qui sunt Doctores, milites in espeditione, medici, notarii, mercatores, campsores, seu cambiatores, nisi fuissent remoti à Patribus à mercatura,

ante

ante mutuum sibi factum, quibus exceptis, credentia, & præstantia fieri non possit sinè consensu Patrum; quæ omnia locum habeant in mutuis, & in omnibus aliis obligationibus, & contractibus; & filii familias pro affictibus, laborerijs terrarum, & pensionibus possint obligari, & obligentur, & in omnibus, & singulis contractibus, & quasi contractibus, promissionibus, & stipulationibus, quas facient cum Communi Pistorii, vel ejus Syndicis, vel alio Rectore, vice, & nomine dicti Communis, obligentur, ita quod quantùm ad prædicta præsens capitulum non habeat locum. Et filii familias laboratores terræ in omni contractu obligentur, sicut obligantur publici Mercatores. Et ubi prohibiti sunt obligari, non possint etiam obligati esse dicti filii familias post mortē patris, & quando fuerint effecti sui juris. Si quis autē filius familias ætatis ultra decem, & octo annorum fecerit aliquod exercitium circa aliquam artem, & illa occasione contraxerit debitum non excedens summam viginti-quinque librarum, possit ipse filius familias pro dicto debito conveniri, non obstante quod non intervenerit consensus patris; quæ intelligantur de filio familias, qui stat ad aliquod exercitium cum aliquo magistro. Et quilibet intelligatur mercator, qui principaliter, vel ut socius retinebit apothecam apertam ad aliquam artem, vel mercaturam. Filii autem spurii, & naturales non possint se tueri beneficio, & privilegio concesso filiis familias per hoc Statutum.

Degli Eredi, & Eredità del Debitore da convenirsi. Rub. XXV.

SI è statuito, e ordinato, che qualsivoglia maschio di diciotto anni finiti sino a venti, al quale di ragione si deferisse, o per avanti si fusse deferita l'eredità, o possessione de' beni per testamento, overo ab intestato, se terrà, o possederà l'eredità, o la successione, overo beni di essa, e beni, che li possedeva, o teneva il Defunto al tempo della sua morte, e ricercato da qualchè Creditore ereditario, o legatario, che gli paghi il debito, o il legato, overo lasci la successione, o i predetti beni, mancherà di pagare, o di lasciare la possessione, o detenzione di detti beni nel termine di giorni quindici dal dì della requisizione fattagli, e di poi sia trovato in qualche modo possedere, o tenere tali beni, o alcuno di essi; s' intenda come vero successore obbligato realmente, e personalmente a sopportare, e pagare con effetto tutti i carichi, debiti, & obblighi ereditarj, fideicommissi, e legati, non ostante qualsivoglia eccezione, rilasso, o dimissione di detti beni, che dopo fatta fusse.

E ciascuno maggiore di vent' anni s' intenda, e sia vero, semplice, ed assoluto erede, se persevererà per quindici giorni nella possessione de' beni ereditarij.

Ancora la Donna, finiti, che averà diciott' anni sino a vent' uno, se terrà, o possederà la successione, o beni, che teneva, e possedeva qualche persona defonta al tempo della sua morte, e che le sieno deferiti per ragione ereditaria, o prima, o dopo la detta età di diciott' anni, se ricercata non pagherà, o non lascerà nel detto termine di giorni quindici i beni ereditarj, s' intenda avere accettata l' eredità, e successione, e sia obbligata effettivamente a guisa di

sa di vera erede à tutti i debiti ereditarj, e ne possa essere astretta realmente; ma non in persona.

E qualunque ancorchè Donna, come erede, o successore per sè, o per Procuratore, Tutore, Curatore, o Attore accetterà un' eredità, o successione, riscuoterà un credito, o pagherà un debito ereditario, farà quietanza, overo cederà per Instrumento, scrittura, o atti pubblici le ragioni dell' eredità, come vero successore, sia effettivamente obbligato a tutti i debiti, legati, fideicommissi, e carichi ereditarj, e possa il maschio realmente, e personalmente essere convenuto, e la donna realmente come erede, senza doversi pronunziare, che sia erede, non ostante la repudiazione dell' eredità, e l' accettazione di essa fatta da altri, e questo quanto al comodo, e benefizio solamente de' Creditori dell' eredità, e de' Legatarj, i quali ne' predetti casi possano convenire, e forzare i predetti Esattori a sodisfargli nel medesimo modo, come se fossero veri eredi, e non avessero rifiutata l' eredità.

Il Convenuto, e Citato una volta in persona, o due volte a casa come erede, o successore d' alcuna Persona desunta a petizione di un Creditore, o Legatario, sia tenuto comparire d' avanti al Giudice, che l' ha fatto citare, e precedente l' interrogatorio della Parte contenente la causa, dalla quale possa apparire, se l' Interrogante abbia in ciò interesse, fra cinque dì utili dal dì della citazione, o requisizione fattali, per sè stesso, o per Procuratore, con mandato speciale a negare solamente, o a confessare solamente, o a dire se vuole valersi del tempo a deliberare se voglia essere erede, o no, e non con modo alternativo, o disgiuntivo, sia tenuto rispondere se egli sia erede, overo successore, o no della Persona defunta, della quale si proponesse essere erede, e questo, ancorchè tal Procuratore volesse essere ammesso solo a' preparatorj della causa, qual Procuratore non sia udito, se avanti tutte le cose non produrrà tal mandato, e tutte quelle cose, che si facessero altrimenti, sieno ipso jure nulle.

E se negherà d' essere erede, o successore, subito ad instanza di chi lo domanderà, con tutti i rimedj di ragione, sia forzato dare cauzione sotto buona malleveria di quella quantità, che parrà all' arbitrio del Giudice, riguardata la qualità del fatto, e la condizione della Persona da doversi tassare, purchè non sia maggiore di lire cinquecento, nè minore di lire cinquanta, nella quale sia condannato tal negante, se sarà provato ch' egli sia erede, o successore universale, o possessore de' beni.

Quando poi averà risposto volere il tempo a deliberare, allora, se non sarà stato dato il Curatore all' eredità, deva darsi, come sotto verrà ordinato; Ma se intimato come sopra con interrogazione, non comparirà, o comparendo non risponderà nel soprascritto termine, assegnato di piu un termine d' altri tre dì giuridici, per un Trombetto per pubblico bando mandato nella piazza grande, e su la piazza della Sala, e nel vicinato di quello, che doverà rispondere, in sua contumacia sia pronunziato erede, possessore de' beni, o successore dal Giudice della sopradetta Causa, e fatta tale pronunzia, si proceda contro di lui come contro erede, o successore de' beni, anco quanto a' Legati, e fidei-

fideicommissi, ed in quella maniera, che si poteva contro il Defunto, ed in quel medesimo modo sia sottoposto in avere, ed in persona.

Quale pronunzia non possa essere impugnata per alcun remedio d' appellazione, o di nullità.

E le predette cose, cominciando dal §. *Ed il convenuto, o citato* non abbiano luogo nelli abitanti fuor della Città, Contado, e Distretto di Pistoia.

Il Figliuolo nondimeno, ed il Nipote, che abiterà con la Madre, o con l' Avola, le quali per le loro doti averanno presi in pagamento i beni del Padre, o Avolo di lui, contuttochè insieme con lorò, o con alcun di loro goda de' beni predetti, non per questo s' intenda essersi mescolato nell' eredità paterna, o avita, nè sia obbligato in alcun modo a' debiti, legati, o fideicommissi, purchè la Madre, o l' Avola predetta abbiano dentro al termine d' un mese dal dì della morte del Marito, o del Figliuolo respettivamente, presentato in atti una comparsa, nella quale vengano enunciati i beni, quali pretendono pigliare in pagamento per le loro doti, con la qualità, e quantità de' medesimi, altrimenti non suffraghi al Figliuolo, o al Nipote la coabitazione sopraddetta con la Madre, o con l' Avola.

E perchè i beni dell' eredità non sieno defraudati, devano il Sig. Commissario, e suo Giudice a petizione di qualsivoglia Creditore d'alcuna eredità, immediatamente che sarà domandato, far fare una descrizione de' beni mobili, sotto pena a ciascuno di loro per qualsivoglia volta di lire cinquanta, per la quale sieno sottoposti a' Conservadori di Legge della Città di Firenze; e fatto l' Inventario, devano depositarsi, e consegnarsi i beni inventariati appresso a un Terzo di commissione del Sig. Commissario, o suo Giudice, da eleggersi da alcuno de' Creditori, se però quello, appresso al quale si ritroveranno detti beni, non darà idonea cauzione da approvarsi per il Sig. Commissario, o suo Giudice di mantenere, e conservare i predetti beni ad mandata della Corte.

OMnes, & singuli Notarii, & Judices ordinarii tam de Civitate, Comitatu, vel Districtu Pistorii, quàm etiam aliunde, rogati conficere aliquas scripturas, vel instrumenta publica, possint, & eis liceat facere præceptum guarantigiæ de debito, vel re contenta in talibus scripturis, vel instrumentis in hunc modum, videlicet. Præcepit SER JOANNES DESIDERII DE FORTIGUERRIS DE PISTORIO Notarius, & Judex Ordinarius volenti, & confitenti quod solvat præfatum debitum, vel rem prædicto N. infra terminum in prædicta scriptura contentum, vel quod defendat dictam rem, seu Instrumentum, & scripturam, prout in eis continetur attendat, & observet. Et præfatum Instrumentum, & præceptum, seu scriptura guarantigiam continens, ut supra celebratum, & celebrata intra quoscumque, tam in Civitate Pistorii, quàm ejus Montanea, & Districtu, seu ubique locorum vel inter Pistorienses, vel Districtuales, vel inter Pistoriensem, & Districtualem, vel cum Forensibus, non obstante pendentia litis in alio loco motæ coram quocumque Judice, post decem dies post terminum in scriptura contentum, & si terminum non habuerit, post decem dies à die requisitionis factæ ex parte Judicis competentis, ad instantiam creditoris, continentis quod solvat debitum, vel rem in ipso præcepto contentam, omnibus Juris remediis in persona, & bonis, seu rebus, etiam incipiendo à captura personæ, ac etiam pronunciando, & dando Tenutam in bonis Debitoris, aut quomodolibet obligati ad voluntatem creditoris, seu recipere debentis, & etiam cessionarii, executioni mandetur, & mandari possit, & debeat contra debitorem, fidejussiores, & quoslibet alios obligatos principaliter, vel accessoriè absque aliqua citatione; & sententiæ post transitum in rem judicatam, non possint exequi, nisi elapsis decem diebus continuis, Tenuta verò non possit concedi sine præcedenti citatione.

Et intelligatur principaliter obligatus si per se, vel per Procuratorem, aut alium legitimum Administratorem, præceptum receperit, vel instrumentum, seu obligationem guarantigiam continentem fecerit, vel ratam habuerit.

N Et

Et nulla persona, quæ debitum personaliter non contraxerit, seu præceptum non receperit, ut supra dicitur, capi possit, nisi fuerit hæres, & nisi postquam se hæredem fecerit, dixerit, aut allegaverit quoquomodo in aliqua scriptura, aut fuerit convictus, seu probatus hæres, juxta formam Stat. Rub. *de Hered. conven.* vel aliter quomodolibet possit, & debeat capi, & contra eum procedi, ac si præceptum guarantigiæ personaliter receperit; in executionibus verò realibus sufficiat justificare gravatum esse hæredem in ipsa instantia executionis, contra quem hæredem procedi possit solummodo post decem dies, postquam eidem fuerit notificata qualitas obligationis, & tenor instrumenti, seu scripturæ.

Et contra dicta præcepta, vel Instrumenta, scripturas, seu Contractus, vel debita, & obligationes guarantigiam continentes, nec finis, solutio, termini mutatio, aut aliqua in totum, vel in partem satisfactio, simulatio, dolus, vel metus, vel alia exceptio, defensio, nec aliquid possit opponi, objici, aut protestari, vel quoquomodo impugnari, vel fieri per modum actionis, aut Officij Judicis, quo præfata executio, vel satisfactio in totum, vel in partem retardari, differri, aut impediri possit, nisi ostensa fuerit ipsa scriptura damnata, vel cancellata, vel Instrumentum finis, solutionis, cassationis, vel satisfactionis, aut per scripturam manu creditoris, vel alterius personæ pro eo scribentis de ejus consensu, & voluntate, in qua scriptura tertiæ personæ sint suscripti duo Testes ad minus.

Si quis capere fecerit aliquem debitorē, vel quomodolibet obligatum pro debito, vel occasione alicujus obligationis ex Instrumento guarantigiato, vel ex quacumq. causa, & ex quocumq. debito, ex quo juxta formam Statutorum capi possit, teneatur Actor curare dictā capturam scribi in actis Curiæ, quæ executionem fecerit; si quis verò captus, vel gravatus, ut supra, voluerit executionē justificari, vel dicere de nullitate tam ex causa nō descriptionis ad Bastardellū, de qua in Lib. I. Rub. XVI. vel quia executio fuerit facta ab aliis executoribus, quàm D. Commissarii, seu quia gravamentum fuerit recommendatum apud personas de familia gravati, de qua in Rub. XVIII. Lib. I. vel quacumque alia causa, teneatur, & debeat infra decem dies à die facti gravamenti, aut capturæ notificationē actori facere per unum ex Nunciis Communis Pistorii cum relatione manu Notarii causarum civilium; & aliter, vel post dictos decem dies facta notificatio de justificando non valeat, nec debeat per eam impediri dicta captura, aut gravamentum; nec eorum executio, & satisfactio; salvo tamen jure in dicto casu tali debitori capto, vel gravato, si quod haberet, intentando in ordinario Judicio. Qua notificatione, & relatione ipsius facta, & scripta, teneatur, & debeat Actor capturam ipsam, vel gravamentum justificare infra duos dies juridicos à die talis notificationis, & ejus relationis, proponere, & declarare rem, causam, & quantitatem, pro qua facta sit executio, & producere omnia instrumenta, & jura quæ voluerit, infra tempus tamen quatuor dierum currentium, & alia omnia facere, & probare quæ expediant ad legitimationem dictæ capturæ, aut gravamenti. Non sit tamen necessaria productio, aut publicatio attestationum

infra

infra dictos duos dies juridicos, dummodo testes de novo produci non possint ad prædicta, nisi pro parte capti, aut gravati aliquid proponeretur, vel allegaretur, propter quod immineret alicui partium aliqua probatio facienda, quæ sine allegatione, aut propositione hujusmodi, non expediebat, quo casu utrique Parti liceat super his de novo testes producere, & per illos de jure suo probare infra terminum instantiæ competentem.

Si verò aliquis diceret se indebitè captum, liceat eidem facere depositum in pecunia numerata, vel re, pro qua captus, vel detentus fuerit penès Camerarium pignorum gravatorum, qui teneatur infra triduum à die sibi notificati Decreti, solvere dictum depositum illi, & quibus fuerit sibi commissum, & si fuerit in mora restituendi, D. Commissarius teneatur ipsum Depositarium cogere summariè ad restituendum depositum, non obstantibus quibuscumque feriis, etiam inductis in honorem Dei. Quod si quis captus fuerit pro re immobili, quæ de sui natura deponi non potest, captus possit deponere æstimationem rei, juxta taxationem faciendam per Judicem, sive præstet fideiussorem idoneum approbandum per executores Communis Pistorii cum decreto D. Judicis, seu per Judicem causarum civilium, & annullata dicta captura, immediatè dicto capto restituatur depositum, quacunque appellatione, & inhibitione non obstante.

Et si quis pro quocunque debito captus, debitum confiteatur, & agnoscat, confitendo expressè se verè esse debitorem, & non tacitè, consignando pignus, & non habeat pecuniam paratam ad solutionem, possit, & ei liceat consignare Camerario pignorum gravatorum tot bona mobilia, ex quorum venditione fiat retractus sortis principalis, & expensarum, & tunc à carceribus liberetur.

Si autem ex dictis bonis consignatis creditum integrum, & accessiones expensarum non retraherentur integraliter, Provisor pignorum teneatur de suis propriis pecuniis satisfacere creditori usque ad integram summam crediti, & expensarum prædictarum, & quicumque notificationem fecerit ut supra, suo creditori, quòd justificet gravamentum, si post exhibitam justificationem, & parti notificatam, intra decem dies continuos non contradixerit, habito pro consignato gravamento, condemnetur in expensis; Quo deposito facto, illicò captus relaxetur; Nec depositum possit aliquo modo depositum staggiri, aliqua ratione, vel causa sequestrari, vel impediri, quominus ad creditorem perveniat, statim postquam declaratum fuerit de jure debitorem capi potuisse; Et talis captus relaxari non possit, nisi solverit debitum, vel deposuerit ut supra, vel nisi fuerit pronunciatum capi non potuisse.

Judex dictas quæstiones, capturæ, & depositi terminare debeat infra tempora causarum executivarum incipienda, prout supra, in Statuto *De modo procedendi in Civilibus*, & à pronunciatione in favorem talis capti, non possit appellari, vel de nullitate dici, objici, aut aliquid aliud opponi, quin ipsa pronunciatio suum sortiatur effectum, juri tamen crediti per talem pronunciationem nullum possit præjudicium generari. Et in dicta pronunciatione

condemnet Victum Victori in expensis, nisi justa causa eum excusaret, quæ exprimi debeat in sententia.

Si verò apparuerit dictum captum de jure capi non potuisse Actor, per se, vel alium etiam generalem Procuratorem, teneatur solvere dicto capto solidos viginti den. pro quolibet die, quo steterit dicta occasione intra carceres, ad quorum solidorum viginti solutionem cogi possit omnibus Juris remediis, incipiendo etiam à captura personæ in quocumque loco, etiam in Domo propria, & non obstantibus quibuscumque feriis quoquomodo inductis.

Quibus quidem debitoribus currat præscriptio taciturnitatis, quoad executionem de facto impediendam, facienda ut supra, per spatium viginti annorum, nisi infra dictum tempus per Judicem causarum pronunciata fuerit Tenuta contra debitorem, vel ejus bona, vel lis mota, aut querimonia facta, vel citatio, aut contumacia rei accusata, vel præceptum à Judice competente factum de solvendo, personaliter receperit, de quibus, vel altero prædictorum appareat per acta Communis Pistorii manu Notarii eorumdem scripta.

Et facta captura de aliquo debitore, Miles socius de ea rogatus ad instantiam creditoris, teneatur, & debeat die sequenti mittere tales captos ad carceres Stincarum Communis Pistorii intra ferros sub pœna librarum centum den. pro qua sit suppositus Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, & Clarissimæ Practicæ Secretæ S. C. S.

Nullus tamen pro aliquo debito, cujuscunque quantitatis, possit in aliqua Ecclesia, vel Claustro Ecclesiæ, nec in Domo, aut apotheca suæ habitationis, & residentiæ capi personaliter.

Nullus pariter pro debito civili capi possit in Palatio DD. Priorum. Nec aliqua mulier personaliter capi, vel detineri possit pro aliquo debito, vel contractu, ad quod teneretur, aut aliquo modo obligata esset, exceptis tamen casibus, in quibus per formam Statutorum permittitur posse capi contra formam præsentis Rubricæ, quibus per prædicta non intelligatur derogatum.

Et omnis captura contra prædicta facta, sit ipso jure nulla, & captus contra prædictam prohibitionem, statim relaxetur, absque aliqua solutione, non obstantibus quibuscumque sequestrationibus, exceptionibus, appellationibus, aut petitione consilii sapientis.

De executione Instrumenti conditionalis, & ejus liquidatione. Rub. XXXIX.

IN quolibet judicio reali vigore alicujus Instrumenti, vel juris conditionalis, sufficiat tempore pronunciationis, vel executionis dictæ pronunciationis probare, & liquidare existentiam talis conditionis per juramentum dicto tempore præstitum sine aliqua solemnitate, dummodò postea infra tempus mensis liquidetur per probationes faciendas ad justificationem talis præcepti, vel dictæ pronunciationis; Et ante talem liquidationem, ut dictum est, per probationes faciendas, non possit talis immissus in possessionem

cape-



capere, vel colligere fructus aliquos in præjudicium, vel contra voluntatem possessoris talium bonorum.

De rejecta excussione bonorum. Rub. XL.

NUlla excussio bonorum principalis, seu fidejussorum, aut correorum alicujus debitoris, vel eorum hæredum, aut bonorum quovis modo obligatorum in qualibet causa, aut quæstione Civili, mixta, ordinaria, executiva, summaria, aut qualibet alia, requiratur; sed excussione omissa, & ejus exceptione non obstante, perveniri possit tam contra principalem, fidejussores, correos, quàm quoslibet alios quomodocunque obligatos, ac bonorum possessores, & ea opposita non retardetur, nec retardari possit judicium, processus, seu executio.

Quod debitor debitoris non possit gravari, nisi certo modo. Rub. XLI.

NUlla persona in qualibet Curia, & Tribunali, mandato, ordine, vel commissione alicujus Judicis, Rectoris, seu Officialis ad petitionem alicujus, qui se diceret creditorem creditoris ejusdem personæ, queat modo aliquo, jure, vel causa personaliter detineri, vel capi, nec realiter conveniri, nisi prout, & secundùm quod posset ad petitionem sui creditoris, & hoc demum, & elapsis primò quindecim diebus à die requisitionis, eo modo, & forma, quo capi, aut conveniri posset ad petitionem sui creditoris; Et prædicta vindicent sibi locum tam pro juribus exequibilibus, quàm pro omni alio jure, & credito liquidando antequam capiatur, aut gravetur debitor debitoris, & liquidato secundùm formam Statutorum, & non aliter. Teneatur tamen talis requirens, requisitionem, & causam expediri facere in termino viginti quinque dierum juridicorum à die oppositionis initiandorum, & ipsam requisitionem notificari facere suo debitori tempore factæ requisitionis, aliàs dicti quindecim dies, & instantia ipsa non currat, & quicquid in contrarium fieret, sit ipso jure nullum; Et si facta requisitione, aut sequestro debitor debitoris sequestrati, & requisiti, præstiterit fidejussorem de judicio sisti, & judicatum solvendo, & de consignando sequestro ad omne mandatum Judicis, Rectoris, seu Officialis, præceptum, sequestrum, & requisitio licentietur, & facta contradictione per debitorem, procedatur eo modo, & forma, prout infra de terminis faciendis.

Quod principalis possit conveniri à fidejussore post terminum. Rub. XLII.

STatuimus, quòd si aliquis fidejusserit pro aliquo, & principalis non solverit in termino statuto, fidejussor possit contra illum, pro quo fidejusserit, agere, quod trahat ipsum de obligatione, & conservet eum indemnem, & hoc habeat locum tam in præteritis, quàm in futuris debitis. Et si infra terminum sibi assignatum à Judice, (qui terminus sit unius mensis ad summum) non traxerit eum de dicta obligatione, puniatur ad favorem Communis Pistorii per D.Commissarium in solidis quinque denariorum pro qualibet libra debiti, & nihilominus ipsum fidejussorem de ipsa obligatione extrahe-

trahe-

trahere compellatur. Et possit, & debeat talis principalis ad petitionem fidejussoris exequi realiter, & personaliter, & donec ipsum extrahat de obligatione prædicta detineri, non obstante aliquo Statuto, vel reformatione in contrarium faciente, aut disponente. Fidejussor ex causa censuum, vel affictuum elapso quinquennio à die fidejussionis initiando, possit ad ejus beneplacitum semper emere, & acquirere jura census, & principalis emptor census semper teneatur vendere dicto fidejussori, & ejdem jura sua cedere ad gabellam dicti fidejussoris; qui principalis emptor pro prædicta venditione, & jurium cessione non teneatur, nisi de suo dolo, dato, & facto tantùm, & nihilominus semper censum, & affictum prædictum principali venditori, & ejus hæredibus revendere teneatur, solutis tamen prius affictibus decursis, & gabellis solutis, una cum sorte principali. Si verò fuerint plures confidejussores, admittatur ille, qui primò emere, seu jura acquirere voluerit. Et quando inter venditorem census, & ejus fidejussorem fuerit conventum quòd venditor teneatur illum eximere infra certum terminum, ordinatum est, quòd ipse venditor census possit à tali obligatione se liberare, vel redimendo ipsum censum, vel præstando idoneum, seu idoneos fidejussores pro conservatione indemnitatis primi fidejussoris, qui fidejussor primus, respectu emptoris Census non liberetur.

De solutionibus factis pro alio. Rub. XLIII.

STatutum, & ordinatum est, quòd quicumque solvit, vel solverit in futurum Communi Pistorii, vel Camerario ejusdem Communis, vel Exactori, vel Officiali pro Communi Pistorii præposito ad exactionem alicujus pecuniæ faciendam pro aliquo loco, vel speciali persona, Universitate, vel Populo, vel personis singularibus, aliquam pecuniæ quantitatem, vel rem, pro aliqua condemnatione, vel datio, sive collecta vel libra, sive impositione aliqua, sive pro complemento libr. vel pro aliqua alia causa: si fuerit fidejussor, & fuerit conventus solvere, & de solutione apparuerit per publicum Instrumentũ, vel per libros Cameræ Cõmunis Pistorii, possit id, quod solvit, petere à d. Populo, Cõmuni, Universitate, & à quolibet ipsorũ Populorum, vel Universitatum insolidum, quando pro Populo solvit, vel à specialibus personis, quando pro specialibus solvit, & sortem, & expensas, insimul, & interesse. Et teneantur ad justitiam constituti prædicta reddi, & solvi facere sinè juris solemnitate, & judiciorum strepitu, & dilatione, & litis contestatione homines dictorum locorum, & speciales personas gravari, & capi facere, & detineri in carceribus donec solvant, & eorum bona capi, & detineri facere, & ipsa vendi, & in ipsis executionem facere donec integrè satisfaciant; & procedere teneantur, & debeant ad voluntatem solventium, & eorum hæredum, & contra hæredes eorum, pro quibus solutum fuerit. Et prædicta possint fieri etiam diebus feriatis, & nullis obstantibus feriis in aliquo capitulo constitutis Communis, vel Populi; & Instrumentum talis solutionis, seu liber Communis Pistorii, in quo solutio prædicta appareret scripta, habeatur tanquam guarantigia, & Instrumenta guarantigiata, & simili modo executio-

cutioni mandentur, & sufficiat ad ostensionem coactionis, si Instrumentum solutionis dicat, quòd sic solvens coactus fuerit. Item si quis fidejussor, vel pro alio obligatus solverit alicui personæ speciali debitum, quod recipere debeat, possit illud recipere, & repetere, & teneantur ad justitiam constituti illum, pro qua facta est solutio, & hæredes ejus, ad voluntatem solventis, & hæredum ejus, capere personaliter, & detinere, & capi, & detineri facere, & in carceribus poni, & capi etiam res talis debitoris, & in ipsis executionem facere, & ipsas vendere, & in solutum dare solventi, & hæredibus ejus, ita quòd omni modo fiat solutio; & in his procedatur diebus feriatis, & non feriatis, & non obstantibus feriis, vel aliquo capitulo Communis Pistorii, dummodo præcedat intimatio solutionis, faciendæ per tres dies ante factam executionem. Et ad probationem jurium solventis, vel fidejussoris, requiratur, & sufficiat probare præcedentem obligationem, & solutionem factam inter ipsum principaliter obligatum, & fidejussorem, & creditorem, si de solutione appareat per publicum Instrumentum, vel scripturam privatam factam modo, & forma, quibus dicitur in Statuto *Delle cause sommarie* inter creditorem, & solventem. Et quicunque fidejussor, vel pro aliquo obligatus fuerit, post terminum solutionis decursum, & ipse, vel ejus hæredes denunciaverint debitori, vel hæredibus ejus, quòd ipsum, vel ipsos liberent, & indemnes conservent, post unum mensem elapsum post denunciationem procedatur per eos, qui sunt ad justitiam constituti contra eosdem debitores, & eorum hæredes in detinendo, & in carceribus ponendo, & bona eorum vendendo, ut superiùs dictum est, in illis, & de illis, pro quibus facta est solutio debiti alicujus, & in omnibus ad voluntatem denunciantis, & obligati, diebus feriatis, & aliis non obstantibus feriis in aliquo capitulo Communis Pistorii constitutis. De his autem, & de omnibus, & singulis supradictis excipiuntur hi, qui essent obligati, vel fidejussores pro defensione, & occasione aliquatum rerum immobilium, qui tamen sequta sententia evictionis, possint uti privilegio suprascripti Statuti, casu quo infra quindecim dies post dictam evictionem sequtam non sint conservati indemnes ab eorum principalibus, quæ omnia observari debeant in præteritis, & futuris. Et bona principalis debitoris intelligantur, & sint obligata fidejussoribus suis pro omni quantitate, quam eum solvere contigerit, vel pro qua sua bona darentur in solutum, vel alio modo sibi vendicarentur, ex die fidejussionis, & d. hypotheca sit expressa, & æquè habeatur, ac si principalis sua bona pro conservatione indemnitatis illis expressè obligasset.

De recuperatione debiti, & expensarum à confidejussoribus. Rub. XLIV.

QUilibet pro alio intercedens, seu secum obligatus, debitum solùm ad se spectans, & damna passa occasione præfatæ intercessionis, à cæteris secum intercessoribus, vel correis pro rata portionis, deducta sua parte, recuperare, & exigere possit sinè aliqua petitione porrigenda, omnibus juris remediis, etiam per capturam personarum faciendam, non obstantibus quibuscumque feriis, & diebus feriatis, præterquam in honorem Dei inductis, & hoc

& hoc post quatuor dies post notificationem, & requisitionem factam aliis correis de solutione, ut supra per eum facta.

Quod pro debito universitatis singulares personæ capi possint. Rub. XLV.

SI qua persona Civitatis, Comitatus, vel Districtus Pistorii deberet recipere aliquam pecuniæ quantitatem ab aliquo Communi, vel Universitate, & ipsum Commune, vel Universitas cessaverit dictam pecuniam solvere, liceat ipsi creditori facere capi, & detineri omnes, & singulos homines, & personas dicti Communis, vel Universitatis, quousque fuerit eidem de suo credito satisfactum; & procedatur, & procedi possit contra eos, & quemlibet eorum, prout, & sicut procedi potest, & posset contra alias singulares personas, & debitores in persona, & bonis ad voluntatem creditoris, & non aliter, non obstante aliquo Statuto.

Quod nullus possit exequi sinè licentia, & una sufficiat tempore Rectoris. Rub. XLVI.

STatuimus, quòd nulla persona Civitatis, Comitatus, vel Districtus Pistorii, seu de alio Districtu, possit, vel debeat capi in Civitate, vel Districtu Pistorii, nisi de licentia, & placito D. Commissarii, vel Judicis causarum civilium, vel Priorum, & Vexilliferi Justitiæ dictæ Civitatis, & qui contrafecerit, puniatur ad favorem Communis Pistorii in libris quinquaginta, salvo eo, quod dicitur in constituto Communis *de furibus, latronibus, & malefactoribus imbannitis*. In capturis autem, & sequestrationibus, vel tensinis, & staggimentis personarum, bonorum, rerum, & jurium, quæ fieri possent per formam Statutorum, & ordinamentorum Communis Pistorii, unica tantùm sufficiat specialis, aut generalis licentia, & brevis, tempore cujuslibet Rectoris Civitatis Pistorii; justificari tamen debeat quodlibet prædictorum, secundùm formam Statutorum.

Quod detenti in Carceribus pro Communi, non possint staggiri. Rub. XLVII.

NUllus qualitercunque captus, seu quacumque occasione pro debito Communis Pistorii, vel habentium causam ab eo, possit ad petitionem alicujus privatæ personæ recommendari, seu staggiri pro debito ipsius privatæ personæ, vel alia quacumque causa, quam prætenderet contra ipsum captum, donec personaliter steterit detentus, nisi pro pignore non remisso; & tale staggimentum, recommendatio, seu sequestratio non valeat ipso jure; nec Superstes carcerum teneatur scribere, nec possit aliquis Officialis, vel Notarius dictam sequestrationem scribere, & contrafaciens, puniatur in libris centum.

De executione Legatorum. Rub. XLVIII.

OMnia, & singula Legata, & Fideicommissa singularia, & universalia, ex quacumque ultima voluntate, relicta quibuscunque personis, vel locis, etiam piis, tam sæcularibus, quàm religiosis executioni mandentur, & man-

mandari possint quemadmodum instrumenta guarantigiata certum terminum continentia, & mors defuncti habeatur pro certo termino, pro cujus liquidatione, & probatione sufficiat juramentum Actoris jurantis Testatorem decessisse, quamvis hæreditas, vel successio non fuerit adita, vel apprehensa. Hæresq; vel successor post triginta dies requisitionis factæ de solutione legatorum, si non solverit, capi possit. Instantia verò in dictis causis sit, & esse intelligatur viginti dierum juridicorum, & incipiat à die contradictionis, eoque modo, & forma observetur, & fiat in omnibus, & per omnia, prout supra dicitur in Statuto *De mod. proc. in civil.* circa Causarum executivarum instantiam, nec sit opus Judicis pro assignatione termini dd. triginta dierum. Hæc autem instantia pereat contradictori, & in dictis causis sit vigintiquinque dierum utilium, prout in executivis, & incipiat currere à die petitionis revocationis termini assignati.

De tensinis faciendis, & prosequendis. Rub. XLIX.

STatutum, & ordinatum est, quòd si quis citatus fuerit, & contumax fuerit, pro tali contumacia, & etiam pro executione Instrumentorum guarantigiam continentium, & laudorum, sententiarum, & præceptorum executionem merentium, & pro quibuscumque Juribus exequibilibus, possit fieri tensina de bonis suorum debitorum summariè, & de plano, sine strepitu, & figura Judicii, & sola facti veritate inspecta, per Nuncios tam executionũ, quàm citationum Communis Pistorii; sed solùm sufficiat licentia generalis, prout supra in Rub. XLVI. Qua tensina facta creditor eam prosequi teneatur hoc modo, videlicet; quòd ipsa facta accomodari debeat penes idoneam personam, & si fuerit Vicarius, vel alius Officialis Comitatus, teneantur inviti tensinas recipere; Nuncii verò teneantur, res tensitas si fuerint habiles ad tradendũ, ipsi Depositario tradere, si voluerit eas sibi tradi. Qui Depositarius teneatur res tensitas salvare ad mandata Judicis, & creditoris; & debeat citari debitor tempore d. tensinæ factæ quatenus infra triduũ compareat corã Judice defensurus dictam tensinam, quam creditor teneatur scribi facere in actis Curiæ infra duos dies à die factæ tensinæ, nec aliter eam justificare teneatur, nisi si, & casu quo debitor ita eidem notificare fecerit eo modo, & forma, & prout ut supra dictũ est in Stat. *De Præcepto Guarantigiæ, de Captura, & gravamento.* Quibus sic actis Judex teneatur, & debeat ad instantiam creditoris præstita ab eo fidejussione idonea, dictam tensinam, & res, & bona tensita eidem creditori ad tenendum tradere infra sex dies proximè sequturos, nisi contradictio inde penderet, & Contradictor apparuerit. Qui contradictor si fuerit alius creditor, qui voluerit concurrere ad commodum dictæ tensinæ pro Jure sibi competente, quod assereret, se potiora, & meliora Jura habere, tunc Judex dictam causam decidere, & terminare teneatur intra instantiam infrascriptam, sub pena librarum quinquaginta: si verò debitor fuerit contradictor, nullo modo in suis exceptionibus, seu defensionibus, quando esset, aut erat contumax, possit audiri, nisi primò refectis expensis, & præstita per eum idonea

fidejussione de judicio sisti, & judicatum solvendo; quibus peractis res transitæ restituantur, & fidejussor illo casu intelligatur depositarius quantitatis fructuum, & bonorum tensitorum. Si fuerit facta contradictio per debitorem contra tensinam, eo casu instantia pereat debitori, qui tensinam passus fuerit, qui teneatur intra instantiam dictam, causam expediri facere.

Et contra Instrumenta guarantigiata nullæ exceptiones, aut defensiones admittantur, nisi quæ permittuntur objici, & opponi per Statutum *de Tracept. guarantig.*

Depositarius autem teneatur dictam tensinam ad tenendum dare creditori infra secundam diem ad mandata Judicis, sub pœna librarum quinquaginta eidem de facto auferenda ad favorem Communis Pistorii, absque aliqua condemnatione inde facienda. Et si electus Depositarius, seu Vicarius, vel alius, cui fuerit recommendata tensina, non denunciaverit infra triduum post terminum præcepti elapsum pro fructibus petendis, accipiendis, & vendendis, quòd debitor non voluerit sibi fructus consignare, & sic fregerit tensinam, ultra condemnationem dictarum librarum quinquaginta, teneatur creditori, ad cujus instantiam facta est tensina, solvere illam summam, pro qua facta fuit; Creditor verò antequam dictam tensinam acceperit ad tenendum, debeat ut supra fidejussorem præstare de ipsam ad mandata Judicis restituendo. Si verò nullus esset contradictor, tunc, & eo casu, elapsis dictis tribus diebus, recepta ab eo fidejussione idonea, qui tensinam fieri fecerit, de eam, & bona tensita, ut supra dictum est, restituendo, præfatus Judex teneatur, & obligatus sit sub infrascripta pœna; dictam tensinam, & res, & bona tensita in solutum, dicto creditori dare, & concedere pro vera sorte sui crediti, & pro expensis cum reservatione quindecim dierum, infra quos præfatus debitor [solvendo primò, & ante omnia debitum, & expensas] illam recuperare possit, servato ordine infrascripto: Quòd Judex ad instantiam creditoris teneatur eligere duos bonos Viros de Civitate Pistorii, qui vinculo eorum juramenti teneantur, & debeant dictas res tensitas æstimare, & ipsos cogere ad ipsam æstimationem faciendam, & referendam, qua estimatione facta, & relata, d. Judex det res ipsas tali creditori, ut supra, pro concurrenti quantitate sui crediti, & pro expensis, sub eadem pœna librarum quinquaginta denariorum eidem de facto imponenda tempore sui syndicatus per Syndicos, qui eum syndicabunt, absque aliqua condemnatione inde facienda, residuum verò, si quod esset, rerum tensitarum, debitori restituatur.

Quæ quidem tensinæ fieri possint, & in eis procedi quocunque tempore, etiam feriato, exceptis tamen feriis in honorem Dei inductis, & Judice pro Tribunali non sedente, & possit tensiri granum, vinum, blada, & fructus cujuscumque generis, & qualitatis ubicunque reperirentur, & omnia, & quæcunque res, & bona mobilia à libris duabus supra, & ab inde infra tensina, aut captura, nullo modo fieri possit, exceptis tamen creditis pro gabellis, & nihilominus actus sit ipso jure nullus.

Et tensina facta colonis, & laboratoribus terrarum, non præjudicet aliquo modo Dominis bonorum, qui non obstantibus dictis tensinis, possint, & eis liceat

liceat facere secare, triturare, & vinum colligere, absque aliqua pœna, pro libito eorum voluntatis, non permittendo tamen ratam spectantem creditoribus per ipsos colonos auferri.

In quibus causis sit, & esse intelligatur instantia vigintiquinque dierum currentium, exceptis diebus inductis in honorem Dei, incipiendorum à die contradictionis, vel petitionis, revocationis, aut confirmationis, intra quos ipse Judex teneatur, & debeat causam ipsam sub pœna suprascripta decidere, & terminare. Nulla tamen tensina possit, vel debeat accomodari penes aliquem de domo ejus, de cujus bonis sit tensina. Et quicumque contra quem, seu in cujus bonis, aut fructibus fuerit facta tensina, & sequestratio, accipiet sua propria auctoritate, aliquam ex rebus tensitis, aut sequestratis sine licentia Judicis, & Curiæ post tensinam factam, & eidem notificatam personaliter, vel ad domum per Nuncium Communis Pistorii, & seu ipsam tensinam, & sequestrum fregerit, incidat, & incidisse intelligatur in pœnam lib. 25. & ità de facto mulctetur, & condemnetur per Rectorem cognitionem habentem, ad instantiam tamen creditoris, & non aliter, & credatur juramento ipsius Vicarii deponentis tensitum debitorem, aut creditoris cum uno teste omni exceptione majore, juranti, & deponenti talem debitorem fregisse tensinam; cujus pœnæ medietas applicetur Communi Pistorii, quarta pars creditori accusatori, & reliqua Rectori exigenti.

Et nihilominus cogatur omnibus Juris remediis per talem Rectorem restituere, & reducere in pristinum statum quicquid abstulerit, & asportaverit ex rebus, ac bonis tensitis, seu sequestratis, non obstante quod tensina facta non fuerit solemniter relata juxta formam Statutorum; Et creditores intra annum à die factæ tensinæ possint reclamare de tensina rupta criminaliter eo modo, quo hucusque consuetum fuit, & etiam civiliter; quo casu D. Commissarius, sive ejus judex constito sibi summariè, & sola facti veritate inspecta de tensina rupta per acta, teneatur de facto, & nulla solemnitate servata, relaxare contra debitorem, qui dictam tensinam fregit, mandatum executivum reale, & personale pro non facto, quod mandatum exequi debeat, non obstantibus quibuscumque feriis, prout si fuisset relaxatum pro debito condemnationis Cameralis, omni appellatione, seu recursu remoto, quibus non obstantibus exequi possit dictum mandatum, & D. Commissarius, seu ejus Judex pro dicta relaxatione mandati consequi debeat libras duas denariorum.

Et elapso anno nullus audiatur pro tensina rupta; Declarando, quòd si facta fuerit tensina Patrisfamilias, & aliquis ex ejus filiis cum eo habitantibus fregerit tensinam, intelligatur Pater dictam tensinam fregisse, similiterque si unus ex fratribus in communi habitantibus, quibus facta est tensina illam fregerit, omnes fregisse tensinam censeantur.

Item ordinatum est, quòd facta tensina valoris ejus quantitatis, quam actor percipere tenetur, debitor, cujus bona essent tensita, non possit per aliquem Rectorem, vel Curiam capi, nec detineri personaliter, nec aliqua alia tensina fieri pro eodem debito, nec è converso; & si tensina, pro tota quantitate debiti facta non esset sufficiens, alia fieri possit usque ad integram quantita-

tem debiti, unica tamen solutione expensarum, de quibus dictum est supra, & in aliis capitulis interveniente, & non plus, licèt plures essent tensinæ. Si autem creditor peteret, & vellet secundùm veram quantitatem æstimationis res tensitas sibi adjudicari, tunc, & eo casu sibi dari, & adjudicari possint, & debeant per dictos Rectores, seu alterum eorum infra viginti dies, & secundùm quòd supra dictum est, quæ si non sufficerent, tunc licitè possit ad requisitionem creditoris, alia tensina fieri, aut ad capturam personalem debitoris procedi, & exequi usquequò fuerit creditori satisfactum, procedendo de una in aliam, ut dictum est, & prædicta servari debeant per dictos Rectores, & eorum Curiam sub pœna librarum centum den. ut supra applicandarum.

De forensibus non detinendis ad petitionem alterius forensis. Rub. L.

STatutum, & ordinatum est, quòd nullus forensis, qui post contractum debitum per eum veniret ad habitandum, & habitaverit in Civitate, aut Comitatu Pistorii, ad petitionem alterius forensis possit, aut debeat personaliter capi, aut detineri, vel in persona, aut bonis gravari, inquietari, vel molestari in Civitate Pistorii, vel Comitatu pro aliquo debito contracto extra Civitatem, & districtum Pistorii, non obstante quod solutio talis debiti fuisset, aut esset destinata, & promissa in Civitate, aut Comitatu Pistorii, & etiam non obstante quòd ipse forensis conveniretur suo, seu alieno quovis nomine. Et quantùm ad præsentem materiam forenses agentes contra hujusmodi forenses dicimus, & intelligi volumus omnes, qui non sunt in civilibus causis suppositi, & subjecti jurisdictioni D. Commissarii Pistorii, exceptis Civibus Florentinis pro eorum creditis principalibus, & non pro juribus eis cessis.

De beneficijs forensibus concessis. Rub. LI.

PRovisum, & ordinatum est, quòd quilibet forensis, qui veniret ad habitandum in Civitate Pistorii habeat, & habere intelligatur immunitatem, & exemptionem ab omnibus, & singulis oneribus, & gravedinibus quibuscunque realibus, personalibus, & mixtis, & aliis quibuscunque, & cujuscunque qualitatis per decem annos initiandos à die sui adventus, & non possit aliquo respectu pro impositis, gravedinibus, & oneribus quibuscunque acatastari, allibrari, sive describi in aliquibus libris Æstimi sive Catastri Communis Pistorii alicujus portæ, vel in aliquo alio ad hoc quomodolibet deputato, & omnis descripto, & adnotatio dicta occasione facta non valeat, & non teneat, & sit ipso jure nulla, & possit, & debeat cancellari per quemcunque, penes quem tales libri essent. Et nihilominus tali occasione non possit gravari, inquietari, seu molestari quomodolibet per aliquem Officialem, vel Rectorem Communis Pistorii sub pœna tali Officiali librarum centum, & nihilominus tale gravamentum debeat statim tolli, & revocari, ipsoque jure non teneat, sed ipse gravatus in pristinum statum reponi debeat, & Nuncius, qui talem privilegiatum gravaret incidat ipso facto in eandem pœnam,

nam, & scribi debeat in libris Communis debitor dictæ quantitatis quotiescunq; contrafecerit, & denunciatum, & probatum fuerit Cancellario Communis Pistorii, vel Notario Cameræ, & in eandem pœnam incidat, qui sollicitaverit, vel procuraverit talia fieri; prædicta verò immunitas non habeat locum in gabellis. Et habeant etiam locum prædicta in his, qui venerint pro residuo temporis, quod superest, à die adventus eorum usque ad decem annos. Et dicti sic privilegiati teneantur facere se describi mandato, & commissione Dominorum Priorum, & Vexilliferi Justitiæ Civitatis Pistorii manu Notarii eorum Officii, seu Cancellarii Communis Pistorii, & talis descriptio sit sufficiens probatio, quod ipse descriptus sit de privilegiatis, sed tamen non sit necessaria, sufficiat bene ad probationem dicti privilegii. Nullus forensis, qui sit de extra Civitatem, & Districtum Pistorii, qui venerit ad habitandum in Civitate Pistorii, & esset debitor alicujus personæ, vel loci de extra Civitatem, & Districtum Pistorii, scilicet alicujus personæ, vel loci, qui, vel quæ non sit subjecta in civilibus jurisdictioni D. Commissarii Pistorii, possit in d. Civitate per aliquem Rectorem, & officialem ejusdem Civitatis prætextu, vel occasione alicujus debiti, obligationis, seu contractus celebrati extra territorium dictæ jurisdictionis antequam talis forensis venisset ad habitandum in ipsa Civitate, & jurisdictione, aliquo modo capi, arrestari, impediri, aut quomodolibet gravari, vel inquietari in persona, vel bonis directè, vel indirectè sub pœna librarum ducentarum tali Rectori, vel Officiali, qui tale gravamen inferret, applicanda pro dimidia Cameræ Communis Pistorii, & pro alia dimidia Cameræ Communis Florentiæ, & in eandem pœnam incidant Nuncii, & birroarii, qui talem forensem caperent, vel arrestarent quomodolibet, & in persona, & bonis gravarent, & nihilominus arrestatio, & gravamentum sint ipso jure nulla, & debeant illico de facto revocari. Et persona, ad cujus petitionem prædicta, vel aliquod prædictorum facta forent ipso jure sit privata juribus suis, & omni debito, ad quod teneretur eidem ipse gravatus. Intelligatur etiam ultra alios modos probandi legitima probatio, quotiescunque talis gravatus, etiam verbo notificaverit, seu notificari fecerit, quòd ad petitionem ejus sit gravatus, si ille talis, cui facta fuerit ipsa notificatio, non venerit infra tres dies ad dandum licentiam de revocando, & tollendo gravamen illatum, & hæc probatio sufficiat solùm, & dumtaxat quo ad hoc, ut ipse, cui notificatio fuerit facta, intelligatur esse, & sit suis juribus privatus, ut supra est dictum. Et DD. Priores, & Vexillifer vinculo juramenti teneantur adjuvare quemcũque gravatum contra formam prædictam, & super id congregare Consilium, & de ejus defensione facienda proponere, & juxta vires operari, quod hujusmodi gravamina omninò tollantur. Quæ omnia etiam locum habeant in forensibus, qui venerunt tempore præterito, pro debitis contractis ante eorum adventum ad Civitatem Pistorii; salvo quod prædicta non vindicent sibi locum pro debitis, ad quæ tenerentur alicui Civi de intus Civitatis Florentiæ cum ipsis principaliter contractis, non autem intelligendo de his, quæ, vel quorum jura ad eos pervenissent ab aliquo, qui non esset de intus Civitatis Florentiæ. Hoc semper salvo

quod

quòd d. immunitas dd. forensibus concessa se non extendat, nec locum habeat in bonis accatastatis Pistorii, si qua emerent forenses, sed talia bona transeant cum onere suo. Item nullus forensis de extra Civitatem, & Districtum Civitatis Florentiæ, & Pistorii possit per aliquem Rectorem, vel Officialem Civitatis Pistorii occasione alicujus maleficii commissi extra Civitatem, & Districtum Civitatis Florentiæ, & Pistorii cujuscumque qualitatis existat, inquiri, denunciari, accusari, vel quomodolibet inquietari, sed possit libere, & licitè stare, & morari in Civitate, Comitatu, & districtu Pistorii, absque aliqua molestia, vel inquietatione inferenda per aliquem Rectorem, vel Officialem prædictos, vel aliunde per aliquam personam. Salvo, & excepto, quòd si maleficium commissum extra Civitatem, & Districtum Florentiæ esset perpetratum, seu commissum contra aliquem de Civitate, Comitatu, & Districtu Florentiæ, vel Pistorii, tunc vel in persona, vel de bonis alicujus eorum puniatur, ac si Pistorii commisisset. Et quicunque forensis, qui venisset, aut veniret ad habitandum in Civitate Pistorii, sive fuisset factus Civis per reformationem, sive alio modo civilitatem acquisiverit, sive habuerit, vel non habuerit aliquod Officium, privilegium, sive præeminentiam tanquam Civis, sive habitans, & discesserit à Civitate Pistorii, taliter quod ibi onera non subeat, sit ipso jure privatus omni privilegio, præeminentia, & immunitate, quam dicta occasione adeptus fuisset.

De comitatino, qui venerit ad habitandum in Civitate Pistorii. Rub. LII.

AD hoc, ut Civitas populetur, statutum, & ordinatum est, quòd quilibet comitatinus, vel districtualis Pistorii, vel quicunque alius, undecunque sit, qui venerit deinceps ad habitandum in Civitate Pistorii, & in ipsa Civitate ædificaverit, & construxerit de novo, vel emerit domum precii librarum centum, vel ab inde supra, & in ipsa habitaverit continuè cum sua familia per quinquennium continuum, à dicto termino quinquennii elapso, sit ab inde in antea Civis dictæ Civitatis, & pro Cive habeatur, & reputetur, & gaudeat, & gaudere possit, & debeat beneficio dictæ Cittadinantiæ Civitatis Pistorii in omnibus, & per omnia, ut alii Cives dictæ Civitatis, præterquàm ad officia ipsius Civitatis; & circa prædicta servetur reformatio facta per Consilium Graduatorum.

De his, qui sunt, vel erunt facti Cives per reformationem in Consilio. Rub. LIII.

STatutum, & ordinatum est, quòd quicunque de Comitatu Pistorii, vel undecunque, factus fuerit, vel sit Civis Civitatis Pistorii, vel fieret in posterùm, teneatur, & debeat infra tres menses postquam factus fuerit Civis, venire ad habitandum cum sua familia in Civitate Pistorii, & ibi stare, morari, & habitare continuè cum ipsa familia, tanquam alii Cives, & facere Artem suam, & tanquam alii Cives Pistorienses factiones faciat; & teneatur quilibet eorum, antequam Civis fuerit creatus, non fictitiè emere unam domum, sive quoddam casamentum valoris saltem scutorum centum; nec prædictis possit derogari, nisi fiat specialis mentio, & tunc obtineatur per quinque ex
sex

sex Consiliariis congregatis Populi, & Communis Pistorii, in quo petitio proponeretur; & si postmodum redierit ad habitandum in Comitatu, prout ante, & ibi familiariter habitaverit per sex menses continuos, privetur beneficio civilitatis. Hoc autem Statutum non præjudicet Civibus Florentinis factis, aut faciendis Civibus Pistoriensibus, qui tamen debeant potiri beneficio Civitatis Pistoriensis, absque eo, quod teneantur ad contenta in hoc Statuto; Et nullus possit habilis fieri ad officia, qui antequam proponatur in Consilio fidem non fecerit Cancellario se habere in domibus, seu terrenis sub dominio Pistorii pro scutis quingentis.

De feriis, & diebus feriatis. Rub. LIV.

AD honorem, & reverentiam Omnipotentis Dei, Beatæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei, statuimus, & ordinamus, quòd omnes, & singuli dies Dominicæ, & alii dedicati Majestati Altissimi, ac venerationi B. V. Mariæ, & Sanctorum, ac Sanctarum Dei, inferius describendi, ab omnibus debeant celebrari, & custodiri, & intelligantur esse, & sint feriati, non solùm quoad executiones faciendas, sed etiam quoad Jus reddendum; exceptis tamen casibus, quibus per specialem formam Statutorum permissum est executiones facere, & procedere in dictis diebus, quibus derogare non intendimus. Dies itaque Dominicæ, & omnium Festivitatum infrascriptarum sint feriati, videlicèt.

De Mense Januarii.

1. Circumcisionis Domini; 6. Epiphaniæ Domini; 14. S. Felicis; 17. Sancti Antonii; 20. Sanctorum Fabiani, & Sebastiani; 25. Conversionis S. Pauli.

De Mense Februarii

2. Purificationis B. M. Virginis; 5. Sanctæ Agathæ; 22. Cathedræ S. Petri; 24. S. Mathiæ.

De Mense Martii.

12. S. Gregorii; 19. Sancti Joseph; 21. S. Benedicti; 25. Annunciationis Beatæ V. Mariæ.

De Mense Aprilis.

2. Sancti Francisci de Paula; 29. Sancti Petri Martyris.

De Mense Maii

1. Sanctorum Philippi, & Jacobi; 3. Inventionis Sanctæ Crucis; 8. Sancti Michaelis Archangeli; 22. Sancti Atthonis.

De Mense Junii.

13. Sancti Antonii de Padua; 24. Nativitatis S. Joannis Baptistæ; 29. Sanctorum Petri, & Pauli.

De Mense Julii.

2. Visitationis B. V. Mariæ; 17. Venerationis B. V. Mariæ Humilitatis, & dies præcedens, & sequens; 25. Sancti Jacobi Apostoli cum octo diebus ante, & post; 26. Sanctæ Annæ.

De Mense Augusti.

4. S. Dominici; 5. Dedicationis S. Mariæ ad Nives; 10. S. Laurentii; 11. San-

11. Sancti Ruphini; 15. Assumptionis B. Mariæ Virginis; 16. Sancti Rocchi; 24. S. Bartholomæi, & dies præcedens, & sequens; 26. S. Felicis; 28. Sancti Augustini; 29. Decollationis S. Joannis Baptistæ.

De Mense Septembris.

8. Nativitatis B. V. Mariæ; 14. Exaltationis Sanctæ Crucis, & dies præcedens, & sequens; 21. Sancti Matthæi; 29. Dedicationis Sancti Michaelis; 30. Sancti Hieronymi.

De Mense Octobris.

4. Sancti Francisci; 18. Sancti Lucæ Evangelistæ; 28. Sanctorum Simonis, & Judæ.

De Mense Novembris.

1. Omnium Sanctorum, & dies præcedens, & sequens; 11. Sancti Martini; 17. S. Gregorii Thaumaturghi, 21. Præsentationis B. V. Mariæ; 22. Sanctæ Cæciliæ; 25. Sanctæ Catherinæ; 30. Sancti Andreæ.

De Mense Decembris.

4. Translationis B. V. Mariæ Humilitatis; 6. Sancti Nicolai; 7. Sancti Ambrosii; 8. Sancti Zenonis, & dies præcedens, & sequens; Conceptionis B. V. Mariæ quando celebratur ex voto; 10. Sanctæ Eulaliæ; 13. Sanctæ Luciæ; 21. Sancti Thomæ; 25. Nativitatis Domini Nostri, & dies præcedens; 26. Sancti Stephani; 27. Sancti Joannis Apostoli, & Evangelistæ; 28. Sanctorum Innocentium; 31. Sancti Silvestri.

FESTA MOBILIA.

Dies Cinerum, omnes dies Quadragesimæ de mane usque ad horam decimam octavam tantùm inclusivè in Civitate, omnes dies Veneris Mensis Martii, omnes dies Hebdomadæ Sanctæ, dies Paschatis cum septem sequentibus, dies Rogationum de mane tantùm in Civitate, Ascensionis Domini, Pentecostes, & dies præcedens, & duo sequentes. Festi Sanctissimi Corporis Christi, dies Processionum infra Octavam Sanctissimi Corporis Christi de mane tantùm in Civitate, dies Octavæ ejusdem festi. Qui omnes dies festivitatum prædictarum, & alii supra denominati intelligantur esse, & sint feriati inducti in honorem Dei, B. V. Mariæ, & gloriam ipsius in Sanctis suis.

Dies autem feriati, tam causa Reipub. quàm Messis, & qualibet alia, sunt infrascripti; videlicet.

A die vigesima prima Junii per totum dictum mensem, & à die decima Julii, usq. & per totum dictum mensem à die prima Octobris usq. per totam diem vigesimam ejusdem mensis; dies Creationis Ser. Cosmi Medices Magni Ducis Etruriæ primi 9. Januarii; dies Creationis Clementis Septimi Papæ Max. de eadem familia 19. Novembris; dies Creationis Clementis IX. Pont. Max. de familia Rospiliosia die 20. Junii; dies Jovis Berlingaccii, usque ad totam diem Cinerum.

In quibus omnibus, & singulis diebus feriatis prædictis, nullus Civis, vel habitans in Civitate, Comitatu, aut Districtu Pistorii, possit capi, gravari, aut quomodolibet detineri, nec aliqua executio fieri pro quolibet debito, sub pœna librarum centum Nuncio, Birroariis, & parti contrafacienti, & cui-

libet

libet ipſorum, ac etiam Officiali, cujus pœnæ medietas ſit Communis Piſtorii, quarta pars ipſius capti, & executi, & alia Rectoris exigentis.

In omnibus autem aliis diebus infra annum occurrentibus Judex cauſarũ civilium Communis Piſtorii ſedere teneatur cum doctorali toga ad ſolitum bancum juris, nempe ad menſam lapideam pro jure reddendo ſolùm, & dumtaxat ſemel in die, videlicet de mane, exceptis diebus Rogationum, Proceſſionum infra Octavam Sanctiſſimi Corporis Chriſti, Sabathinis, Conſiliorum, & Graduatorum quando Conſilium, & Graduati congregantur de mane, tunc de ſero ſedere teneatur, & quilibet dies, in quo ſemel ſedebit, intelligatur Juridicus. Inſuper ſint feriati infraſcripti dies, quoad executiones faciendas tantùm, & non quoad jus reddendum: De menſe Februarii dies S. Blaſii: de menſe Aprilis dies Sancti Vincentii Ordinis Sancti Dominici: de menſe Maii dies Sancti Sigiſmundi, Sancti Bernardini, & Sancti Philippi Nerii: de menſe Septembris dies Sancti Nicolai de Tolentino, & Sanctorum Coſmi, & Damiani: de menſe Novembris dies Sancti Caroli: de menſe Decembris, dies Sancti Anſani: & omnes dies principalium feſtivitatum Eccleſiarum Parrochialium Civitatis Piſtorii, à quibus ipſæ denominantur.

Et ſi contigerit D. Judicem abeſse, vel ægrotare, tunc, ut Jus reddi poſſit loco ipſius ſit ſubrogatus per legem D. Fiſcalis pro tempore exiſtens, & participet in omnibus, & per omnia de emolumentis, tam in cauſis civilibus, quàm in criminalibus, & mixtis, quæ eo tempore ad dictum Judicem pertinerent, non poſſit tamen (durante dicta ſubrogatione) ſe intromittere in cauſis confiſcationum, & ſcorporationum, in quibus intelligatur facta prorogatio quouſque ipſe ſubrogatus extiterit. Quo verò ad Actuarios abſentes, vel abſuturos, ſeu infirmos, aut alio impedimento detentos, Domini Priores; & Vexillifer Juſtitiæ poſſint concedere licentiam ſubſtituendi alios per quindecim dies, & toties quoties opus fuerit, & duraverit impedimentum, vel abſentia, dummodo non ſubſtituatur aliquis, qui non fuerit aliquando viſus de burſa Actuariorum, nec tranſcendat dicta licentia prædictum terminum quindecim dierum; Et dicti Notarii cauſarum civilium ſcribant dies juridicos, in quibus redditur jus, ut diſcerni poſſint à continuis, & etiam de per ſe ſcribant dies, in quibus Judex ſedet ad bancum pro jure reddendo tempore feriato in cauſis præmiſſis, & eorum ſcripturæ ſtetur de dictis diebus, & teneantur ſub virtute præſtiti juramenti, & pœna ſolidorum viginti pro quolibet die non ſcripto, eis de facto, & abſque aliqua condemnatione inde facienda, cum omni diligentia dictos dies ſcribere; & ſufficiat ſi dicti dies reperiantur ſcripti per unum ex dictis Notariis.

De ſuſpicione, & fuga. Rub. LV.

Dominus Commiſſarius, vel Judex cauſarum civilium ad requiſitionẽ cujuſcumque creditoris, vel recipere debentis pro affictu, penſione, laborerio terræ, cauſa præſtantiæ pro benè laborando, &c. teneatur & debeat capi facere & detineri perſonaliter, & in carcerem poni, & in rebus & bonis gravari, tenſiri, & ſequeſtrari pro ſuſpicione & fuga, omnes & ſingulos

debitores cujuſcunque quantitatis pro qualibet cauſa, & pro quolibet debito, etiam non liquido (liquidando tamen in inſtantia cauſæ) accepto tamen priùs à creditore juramento de ſuſpicione, & conſtito ſummariè de credito, quocunque tempore, non obſtantibus quibuscumque feriis, exceptis diebus Dominicis, & Sabbathinis; & contra forenſes obſervetur Statutum Rub. ſequenti incipient. *Quod nullus poſſit capi &c.*

Et ſi Dominus, qui recipit affictum dubitaverit de affictuali ſuo, vel de eo, cui terram ad medium locaverit, ſeu conceſſerit, quod affictum, vel redditum recipere non poſſit, D. Commiſſarius, ſivè D. Judex teneatur tenſiri facere fructus rei, unde affictus, ſeu redditus redditur, & aliorum bonorum Affictualis, vel Conductoris, accepto priùs juramento à Domino de dubitatione & ſuſpicione, & adhibeatur plena fides libro, ſeu libris locatoris, vel Domini, eo modo & forma, quibus fides adhibetur libro Mercatorum, & Artificum Civitatis Piſtorii; & capi, ſeu gravari, tenſiri, vel ſequeſtrari faciens, teneatur executionem juſtificare infra duos dies, ſi requiſitus fuerit, in qua juſtificatione non ſit neceſse probare, quòd captus, vel gravatus ſuam conditionem deterioraverit à tempore contractus celebrati citra, nec etiam ſit neceſse realiter jura ſua producere, ſed ſufficiat tunc ea enunciare, & deinde in termino inſtantiæ producere ſi opus fuerit.

In quolibet autem caſu prædictorum, ſi executus idoneè ſatis dederit de judicio ſiſti, & judicatum ſolvendo, relaxetur expenſis capifacientis, eidem reſtituendis in caſu, quo executio confirmata fuerit; quæ omnia locum habeant, non obſtantibus aliis Statutis, & proviſionibus in contrarium diſponentibus, & ſolùm, & dumtaxat in Curia D.Commiſſarii, & non alibi, ſub pœna nullitatis actorum, & cujuslibet executionis, & non aliàs, nec alio modo.

Quod nullus poſſit capi die Sabbathi, vel publici Mercati. Rub. LVI.

STatutum, & ordinatum eſt, quòd nullus Civis, Comitatinus, & Diſtrictualis Civitatis Piſtorii, & nullus forenſis cujuſcunque Status exiſtat, poſſit diebus Dominicis, Sabbathinis, vel publici Mercati Civitatis Piſtorii gravari, inquietari, vel modo aliquo moleſtari realiter, & perſonaliter pro aliquo debito Communis Piſtorii, vel ſingularum perſonarum, vel alterius cujuſcunque Communis, Populi, vel Univerſitatis, & etiam Communis Florentiæ, vel occaſione gabellarum, vel fraudis gabellæ alio tempore commiſſæ, quàm die Sabbathi, vel publici mercati, nec etiam pro aliqua re commiſſa contra Nuncios infra hebdomadam quomodocunque per directum, vel indirectum in eundo, ſtando, vel redeundo ad Civitatem, ſeu in, & de Civitate Piſtorii dictis diebus mercati: ſicque præſens Statutum ſanè, & realiter intelligatur, & intelligi debeat ſine aliqua interpretatione damnoſa alicui, quem gravari contigerit realiter, vel perſonaliter aliquo dictorum dierum. Et quilibet Officialis, qui contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit quoquo modo, incidat in pœnam librarum centum denariorum Cameræ Communis Piſtorii pro dimidia, & pro alia dimidia Communi Florentiæ applicandam; & in ſimilem pœnam incurrat ille, ad cujus petitionem gravamen

vamen fuerit illatum. Et quilibet Nuncius, qui dictis diebus aliquem gravaret, incidat in pœnam librarum vigintiquinque ut supra applicandarum, & per quemlibet Rectorem, & Officialem Civitatis Pistorii sinè aliquo processu exigendarum, & nihilominus talis gravatus subito debeat restitui, & in pristinum statum reponi; & quilibet famulus, vel birroarius aliquem gravans contra formam prædictam superiùs adnotatam, incidat in pœnam librarum decem den. pro qualibet vice, ut supra, exigendam, & applicandam, & talis gravatus ipso jure intelligatur liberatus à debito. Prædicta verò non vindicent sibi locum modo aliquo in condemnatis, seu exbannitis Communis Pistorii pro maleficio, vel quasi, per aliquem ex Rectoribus Civitatis Pistorii, de quorum condemnatione appareat in Camera Actorum dictæ Civitatis; & si aliquis dictis diebus detineretur pro aliquo maleficio, vel quasi, non possit aliquo modo sequestrari, vel recommendari ad petitionem alicujus aliquibus de causis suprascriptis, & similiter si quis detineretur in aliquo dictorum dierum pro aliqua informatione, vel testimonio. Nec etiam in dictis diebus per directum, vel indirectum quis possit capi, vel personaliter detineri, vel aliquo modo inquietari, molestari, seu gravari quantumcunque suspectus, & fugitivus allegaretur, & juraretur; exceptis tamen forensibus, qui dictis diebus capi possint pro debitis ubilibet contractis cum Civibus, Comitatinis, vel Districtualibus Pistorii, & jurari possint suspecti, & fugitivi. Per prædicta verò non intelligatur derogatum præcedenti Statuto de feriis, & diebus feriatis, & contentis in eo quoad diem Sabbathi, vel alium diem loco Sabbathi subrogatum, prout est in diebus præcedentibus festivitates ex præcepto Ecclesiæ celebrandas, quæ in die Sabbathi occurrunt.

Quod debitores imbanniti pro debito possint venire ad Civitatem Pistorii, & non detineri infrascriptis diebus. Rub. LVII.

AD honorem Sanctorum Jacobi, Bartholomæi, & Sanctæ Crucis, statutum, & ordinatum est, quòd omnis debitor Civis, & de Civitate Pistorii, vel Districtu, & etiam quilibet forensis de alieno Territorio, & Districtu, qui quacunque de causa sit debitor, vel aliter quomodocunque obligatus etiam pro pignore non remisso, & condemnatione pecuniaria Officii Farinarum Florentiæ, præterquàm pro maleficio, vel quasi, possit licitè, & inpunè venire, stare, & morari in Civitate Pistorii in festo S. Jacobi, & octo diebus ante, & octo post dictum festum: & die vigesima quarta Maii, & duobus præcedentibus, & duobus sequentibus ob reverentiam, & propter memoriam sanctæ pacis inter Civitatem Pistorii, & alias Civitates, & loca convicina eam oppressantes: & die S. Bartholomæi, & die S. Crucis de mense Septembris, & die una ante, & una post, quamvis talis debitor pro debito esset bannitus, nec possit in dictis diebus detineri, gravari vel molestari in persona, vel bonis cum nunciis, & birroariis per aliquem Rectorem, & Officialem Communis Pistorii. Et quilibet Officialis teneatur denegare licentiam detinendi, aut gravandi aliquem debitorem dictis diebus, vel bannitum pro debito, ut dictum est; quam si dederit, non valeat, & sit ipso jure nulla, & contrafaciens

ciens, puniatur in libris decem pro qualibet vice. Quæ omnia etiam locum habeant in præcepto guarantigiæ facto Civibus,& Districtualibus Pistorii,& forensibus alieni Districtus debitoribus suprascriptis, qui, ut supra dictum est, dictis diebus detineri, aut in rebus molestari, & inquietari non possint, salvis semper, & exceptis casibus supra in Statuto de feriis expressis,& contentis, quibus per prædicta non derogatur.

De nundinis faciendis in Civitate Pistorii. Rub. LVIII.

QUolibet anno, fiant nundinæ in Civitate Pistorii, quæ incipiant die decima mensis Septembris, & durent per totam diem decimam octavã dicti mensis, quibus durantibus, liceat omnibus, & singulis venire ad Civitatem Pistorii, & inde discedere liberè, & securè sine aliquo impedimento, adeò quod nullus de Civitate, Comitatu, & Districtu Pistorii possit in dicta Civitate, Comitatu, & Districtu conveniri, cogi, capi, gravari, citari, detineri, arrestari, vel quomodolibet impediri, vel molestari in persona, vel bonis pro aliquo debito publico, vel privato, ad quod teneretur alicui Personæ, Communi, Collegio, vel Universitati, etiam si esset debitor Communis Florentiæ, vel Pistorii, & etiam pro gabella, vel fraudibus gabellæ aliàs commissis.

Et in dictis diebus quilibet possit conducere, & conduci facere ad Civitatem Pistorii quascunque merces, res, & bona quælibet pro vendendo, & mercando, quæ venirent, & conducerentur de extra Civitatem, Comitatum, & Districtum Pistorii, liberè, licitè, & impunè, & illas reducere, & extrahere de Civitate, Comitatu, & Districtu Pistorii, absque pedagio, vel gabella, dummodo tales res, merces, & bona, etiam bestiamina cujuscunque generis sint de rebus, quæ conducantur de extra Civitatem, Comitatum, & Districtum Pistorii, & asportentur extra dictam Civitatem, Comitatum, & Districtum infra dictum tempus, & terminum, si non venderentur per talem reducentem, quæ verò venditæ essent, durante dicto termino, possint per ementes retineri in Civitate,& extra Civitatem asportari ipso termino durante, absque pedagio, vel gabella. Hoc semper declarato, quod si quæ ex dictis mercibus, & rebus emerentur, vel venderentur extra Civitatem, & muros Pistorii dictis temporibus, non gaudeant privilegio dictæ immunitatis, sed teneantur ad solutionem gabellarum consuetarum; & similiter si quis portaverit, vel conduxerit extra dictam Civitatem, & Districtum panem, vinum, & oleum causà vendendi ad minutum, non gaudeat dicto privilegio. Hoc etiam declarato, quòd prædicta non vindicent sibi locum in rebellibus, vel exbannitis, & condemnatis pro maleficio Communis Florentiæ, & Pistorii, qui talibus diebus capi, & detineri possint. Et ut prædicta innotescant, Operarii S. Jacobi Apostoli teneantur, & debeant per totum mensem Februarii quolibet anno ea omnia notificare, & notificari facere omnibus, & singulis in locis, & circumstantiis infra octoginta milliaria à Civitate Pistorii, ut eis videbitur expedire, & similiter in Civitate Pistorii per quatuor dies Sabatinos de mense Julii.

Quali-

Qualiter alteri per alterum acquiratur. Rub. LIX.

EX quolibet actu, etiam sine scriptura, facto per quemlibet privatum, & non Notarium recipientem nomine alterius ubicunque locorum, etiam extra locum suppositum Communi Pistorii, acquiratur, & acquisita intelligatur obligatio, dominium, actio, & possessio, usucapien., & præscribendi conditio, & jus quodlibet etiam sine aliqua cessione, seu ratificatione inde facienda cuilibet etiam ignoranti, cujus nomine receptum fuerit; juri tamen quæsito prædicto, vel ex prædictis quærendo renunciari possit, & ille, qui sic receperit, teneatur etiam actionem ex inde cedere ad voluntatem illius, pro quo receperit, & de ipsis juribus facere, prout, & sicut requisitus fuerit per eum, cujus nomine talem actum fecisset, hac lege in præteritis, & futuris valente.

De transmissione obligationis ad hæredes. Rub. LX.

OMnes, & singuli contractus promissionis, vel obligationis de terris, & possessionibus, seu juribus quibuscumque factis, & faciendis, transmittantur ad omnes hæredes, vel successores, & possessio etiam defuncti semper, & quandocumque, ipso jure in hæredes, vel successores transeat.

De præscriptione, seu de præsumptione solutionis. Rub. LXI.

STatuitur, quòd spatio triginta annorum continuorum, debita pura cujusque generis præsumantur soluta, & ideo expirata intelligatur omnis actio, petitio, prosecutio, officium Judicis, realis, & personalis, vel mixta, & hypothecaria, civilis, vel prætoria; & tale tempus contra omnes currat, exceptis minoribus decem octo annis, absentibus à Civitate, Comitatu, & Districtu Pistorii, quibus durante dicta minori ætate, absentia, captivitate, &c. non currat præscriptio, sed interim dormiat. Et exceptis mulieribus viduis familiariter stantibus, & viventibus in bonis viri, vel cum filiis, quibus in juribus suæ dotis, & augmenti, & donationis propter nuptias interim tempus aliquod non currat. Exceptis etiam juribus, & actionibus competentibus occasione locationis domorum, apothecarum, terrarum, & aliarum rerum locatarum ad pensionem, vel affictum, vel alio quocunque modo, quibus currat præscriptio quindecim annorum, postquam tales res locatas dimiserit conductor, scilicet decursis dictis quindecim annis, talia debita præsumantur soluta! Necnon exceptis Aromatariis, Merciariis, Mercatoribus, vel aliis Bottegariis, & etiam famulis cujusque generis, pedissequis, aliisque salariatis, quibus pro eorum creditis currat præscriptio quinque annorum; Nempe dicto temporis spatio præsumantur de eorum credito satisfacti, intelligendo quoad salariatos, quod tale tempus incipiat à die dimissi servitii; pro tempore verò, quo steterunt in servitio, quando discedant, possint petere salarium pro quinque annis solummodo, & pro antecedenti tempore præsumantur satisfacti, nisi probent in contrarium. Præmissa verò omnia intelligantur nisi infra tempora prædicta triginta, quindecim, vel quinque annorum respectivè, fuerit possessio, vel tenuta data, vel lata sententia, vel juramentum

ca-

calumniæ præſtitum, vel lis conteſtata, vel præceptum factum per aliquem Officialem Communis, vel pro Communi Piſtorii de ſolvendo, vel obſervando contenta in inſtrumentis publicis, vel privatis, vel querimonia, vel lis inde mota, vel repreſaliæ conceſsæ, vel aliter interrupta, de quibus conſtare debeat per publicam ſcripturam factam, vel ſumptam ex actis Communis Piſtorii, vel agitatis coram aliquo Rectore, vel Officiali habenti de prædictis jurisdictionem; ſalvis tamen contentis in Statuto diſponente circa diſpoſitionem bonorum condemnatorum, & exbannitorum, ſeu ceſſantium à factionibus Communis Piſtorii, & ſalvis etiam aliis caſibus ſpecialiter proviſis in aliis.Statutis. Si quis verò tenuerit, & poſſederit per ſe, vel authores ſuos, & anteceſsores rem immobilem pacificè, & quietè per triginta annos, non poſſit ulteriùs moleſtari, vel inquietari, ſed in ea defendatur, & prædicta præſcriptio non præjudicet perſonis ſupra exceptuatis, nec intelligatur per prædicta derogatum Statuto *De præcepto guarantigiæ*.

De reſtituenda carta debiti, & libris exibendis. Rub. LXII.

ORdinamus, quòd ſoluto debito D. Commiſſarius, & quilibet alius Officialis teneatur ad poſtulationem debitoris, qui ſolverit, eidem reſtitui facere cartam, & etiam facere receputam, ſeu quietantiam debiti ſoluti; & ſi debitor, vel ejus hæredes peterent exiberi libros Actoris, ſive petentis, vel ejus authoris, teneatur Actor illos exhibere, & ſi non exhiberet Judex teneatur, & debeat ad petitionem dicti debitoris eidem ſtatuere certum terminum, infra quem debeat exhibere, & non exhibendo abſolvatur Reus à petitis, & condemnetur Actor in expenſis; & ſi talis Actor diceret ſe non habere libros, & Reus id probaverit, vel quòd fuerint ſibi viſi per duos Teſtes, vel quòd Actor tales libros in judicio aliàs produxerit, in tali caſu Judex teneatur, & debeat pronunciare, de cætero talibus libris non fore fidem adhibendam, & ipſum in expenſis condemnare; & in omnibus caſibus ſupradictis talis Actor cadat à jure talis crediti, & illud petere non poſſit.

De editione Inſtrumentorum. Rub. LXIII.

QUicunque in aliqua lite, cauſa, vel quæſtione, quæ coram aliquo Judice Cauſarum civilium verteretur, allegaverit, vel producere voluerit aliquod inſtrumentum, quod aſſereret ſe non habere, teneatur quilibet Notarius, qui tale inſtrumentum fecerit ipſum Judici exhibere, ut produci poſſit per allegantem Judici, coram quo quæſtio erit, licèt tale inſtrumentum factum non fuerit inter talem allegantem, vel producere volentem, ex ejus auctoritate, & mandato, vel ad eum ſpectare non videatur, ſi ſolvat talis petens primò pretium quod convenerit.

De cogendo Teſtes ferre teſtimonium. Rub. LXIV.

SI qua perſona requiſita fuerit in quibuſcunque cauſis tam Civilibus, quàm Criminalibus ferre teſtimonium veritatis, D. Commiſſarius, & quilibet Rector Civitatis, Comitatus, & Diſtrictus Piſtorii teneatur, & debeat

beat talem personam sic requisitam ad voluntatem cujuscunque petentis omnibus remediis, cogere testimonium veritati perhibere super eo, super quo requisitum fuerit. Et quicunque Laicus de Civitate, Comitatu, & Districtu Pistorii recusaverit perhibere testimonium veritati, Rector, & Officialis super hoc requisitus teneatur & debeat, talem, seu tales sic requisitos recusantes punire, & condemnare in libris quinquaginta ad favorem Communis Pistorii, nisi se de Jure excusaverint.

Si qua verò persona per se, vel per aliam personam, pretio, vel precibus, vel alio modo machinando corruperit testes suos, vel adversæ Partis, ita quod per illam corruptionem testis ille dicat falsitatem, constito deinde de falsitate, puniatur pæna librarum centum, & ulteriùs, tam corrumpens, quàm corruptus puniatur pœna falsi, prout in Statuto *de pœna falsi*, & aliis pœnis arbitrio Judicis statuendis secundùm qualitatem causæ, & personæ; & depositio talis testis, non valeat, & non teneat.

Quod Consanguinei, & Consortes habentes controversiam, teneantur eam compromittere. Rub. LXV.

STatutum, & ordinatum est, quòd si aliqua discordia, vel quæstio esset, vel oriretur inter patrem, & matrem, filios, & filias, & fratres carnales, ac consobrinos, vel patruum, & avunculum, & nepotem, & neptem, vel amitam, vel materteram, socerum, & generum, & eos qui sunt in tertio gradu affinitatis, vel consortes domus, qui sint de eadem stirpe ex parte patrimonii, vel ex linea masculina in quocunque gradu, vel ex linea, & parte, seu conjunctione fœminina, seu fœminæ usq; in tertium gradum, secundùm Jus Canonicum, de quacunque re, vel causa orta, vel orianda, teneatur præcisè Judex, coram quo quæstio verteretur, & esset, ad requisitionem alterius partium ipsos litigantes ante testium publicationem cum effectu compellere ad eligendum arbitros, & amicos communes, consanguinitate, vel propinquitate utriq; conjunctos, qui videantur idonei, & alteri parti non suspecti, vel duos Doctores unum pro qualibet parte, vel alios, quos voluerint; in quos eorum quæstiones, & differentias tam ortas, quàm oriundas compromittant (quæ specificari debeant in compromisso) recepta ab ipsis partibus securitate per obligationem, & hypothecam eorum bonorum tantùm de observando, & adimplendo omnia, & singula, quæ laudata, & arbitrata fuerint per dictos arbitros, & amicos communes.

Ad occurrendum litibus, ac ut lites citiùs terminentur, quando eliguntur Arbitri, & Arbitratores necessarii, semper in electione talis observetur modus, ut quisque exhibeat suam notulam, in qua sint descripti saltem decem Viri habiles ad officia Civitatis, & ætatis triginta annorum, & non consanguinei, vel affines usque ad quartum gradum inclusivè de Jure Canonico, nisi sint conjuncti æqualiter utrique parti, vel altera pars consenserit, nec etiam procuratores partium, vel quælibet partium exhibeat notulam, ubi sint descripti quatuor Doctores, Pistorii commorantes; & unaquæque pars debeat eligere unum ad suum libitum ex descriptis ab alia parte; liceat tamen partibus

bus ante exhibitionem listarum nominare quatuor suspectos, qui si reperiantur descripti, debeant removeri, & cancellari, & alii eorum loco describantur. Quoad Tertium procedatur prout infra; declarantes quòd causæ omnes semel compromissæ, sivè per compromissum necessarium, seu voluntarium semper efficiantur compromissibiles. Teneantur arbitri prædicti decidere, & terminare lites, & differentias, & quæstiones in eos compromissas intra terminum unius mensis à die eorum electionis, qui possit tamen prorogari à partibus prædictis; & si in primo termino non essent concordes, elapso illo, D. Judex Causarum civilium cogat partes ad eligendum Tertium, & ad dandum pro qualibet earum novam listam sex hominum, vel trium Doctorum, ut supra, & possint partes prædictæ nominare tres suspectos pro qualibet, qui si reperiantur descripti in dictis listis, debeant cancellari, & loco eorum subrogari alii. Et si contingat partes prædictas in dictis listis in aliquem rescontrare, ille intelligatur Tertius coarbiter. Et non facta rescontratione, Partes ad earum electionem accipiant unum pro qualibet lista, qui secretò per D. Judicem ponantur in marsupio, & ex ibi positis unus extrahatur, qui sic extractus intelligatur electus Tertius coarbiter cum eadem auctoritate concessa in compromisso primis arbitris, cum termino unius mensis, initiando à die suæ electionis ad laudandum, & terminandum ut supra, qui terminus etiam ut supra à partibus prorogari possit; & quicquid per dictos arbitros cum interventu Tertii concorditer, & unanimiter fuerit laudatum, & judicatum, suum plenè sortiatur effectum. Si autem in termino prædicto dicti Arbitri, & Tertius, vel duo ex eis in concordia non laudaverint, incidant in pœnam librarum quinquaginta pro quolibet, applicandam Fisco, & Communi Pistorii. Quia demum omnis labor optat præmium, Judex, inspecta causarum, & personarum qualitate, ante contractum compromissi, & statim quod pronunciaverit locum esse compromisso (à qua pronunciatione non possit appellari) taxet, & statuat honestam quantitatem pro deposito faciendo in manibus Notariorum banci causarum civilium, & ad id faciendum cogat Partes, & post latum laudum declaret summam mercedis Arbitrorum pro ea quantitate, quam, habita ratione personarum litigantium, & arbitrorum, ac causæ, existimaverit; ad quam solvendam cogat non solùm depositarium pro eo quod habet in manibus, sed etiam Partes pro eo pluris quod judicaverit supra depositum factum; quemadmodum etiam solùm exolvi faciat, si minorem summam judicaverit, quàm depositum fuerit reliquo restituto dictis partibus. Et si non lauderent, vel alter eorum, salarium depositum, restituatur partibus pro rata; qui arbitri intra triduum à die eorum electionis sibi intimandæ debeant, vel acceptare, vel recusare onus compromissi, & non recusando, intelligatur acceptasse.

Quæ omnia etiam habeant locum in pupillis compromittentibus cum auctoritate tutoris, qui tutores compellantur auctorari, & compromittere, qui Judex provideat cautè ne in electione arbitrorum sit inæqualitas, vel deceptio alicujus partis. Et si partes non essent concordes in concipiendo compromissum, Judex eligat unum jurisperitum partibus non suspectum de Civi-

vitate Pistorii, qui formet compromissum prædictum, sicut melius poterit, & ei justius visum fuerit, ita quod valeat, & teneat de jure.

Prædicta verò locum non habeant in mutuis, depositis commodatis, unde extarent publica Instrumenta præceptum guarantigiæ continentia, vel testamentis, vel legatis testamentorum, & ultimarum voluntatum, & laudis, & pronunciationibus arbitrorum, vel arbitratorum, & aliorum quoruncunque jurium liquidorũ, de quibus non possit aliqua persona compelli ad compromittendum, sed debeant executioni mandari. Et quia inter arbitratores, & amicos communes compromittitur, ut partes a litigiis discedant, & parcant laboribus, & expensis, compromissa fiant in arbitros, & amicos communes per Partes vallata promissionibus, & obligationibus opportunis; in quibus inter cætera contineatur, qualiter Partes promittunt non opponere contra sententiam, præceptum, vel laudum talium arbitrorum, & amicorum communium de nullitate, vel iniquitate, vel petere sententiam, vel laudum, vel præceptum reduci ad arbitrium boni viri, & nihilominus prolata sententia, laudo, vel præcepto facto, ipsi compromittentes, vel aliquis eorum nituntur talem sententiam, laudum, vel arbitrium reduci ad arbitrium boni viri, vel alio simili modo, propter quod laudata, arbitrata, vel præcepta nituntur enervare, cassare, vel annullare, seu contra laudata, vel pronunciata, vel arbitrata, vel præcepta quomodolibet venire; ne talia in posterum committantur, & laudata, pronunciata, seù præcepta in suo robore perseverent, provida deliberatione statutum, provisum, & ordinatum est, quòd à sententiis, pronunciationibus, laudis, præceptis, vel diffinitionibus à talibus arbitratoribus, & amicis communibus latis, seu factis, non possit appellari, vel aliquo modo contradici, aut aliquid de nullitate, vel iniquitate proponi, vel peti reduci ad arbitrium boni viri, vel aliquid aliud, propter quod contra ipsum laudum, pronunciationem, vel præceptum veniatur. Liceat tamen quando aliqua Partium à dictis Laudis, & pronunciationibus arbitrorum sentiret se gravatam (quando tamen in laudo prolato non intervenissent omnes tres arbitri concorditer, & unanimiter) petere, quòd super læsionibus prætensis deveniatur ad novum compromissum, sive adeundo Judicem, sive reclamando per publicum Instrumentum ad instar modi, qui servatur in appellationibus, & Judex in casu prædicto cogat Partes ad noviter compromittendum, juxta modum, & ordinem, ut supra decretum; & si in Instrumento compromissi non fuerit appositus terminus à Partibus, duret per sex menses, quod intelligatur quoad compromissa inter extraneos, quia inter Conjunctos, terminus est unius mensis, ut supra. Et si contigerit, quòd per secundos arbitros primum Laudum in totum, vel in partem revocaretur, si tamen in revocatione omnes tres non essent concordes, possit deveniri ad novvum compromissum super partibus revocatis, ut supra. Et in partibus, ubi adesset conformitas, statim executioni mandentur. Et quòd in novis compromissis componendis, debeant specificari causæ gravaminis, & in omnibus partibus de quibus in novo compromisso non fuerit facta reclamatio, Laudum intelligatur firmum, & confirmatum. Itẽ pro faciliori Partium commodo statuerunt,

runt, quòd si altera ex Partibus semel personalitèr citata, vel per duas vices domi, non comparuerit, & exhibuerit listas pro eligendo arbitro, seu tertio, juxta modum suprascriptum, & fuerit contumax, tunc Judex loco Partis cōtumacis eligat unum ex listis exhibitis per Partem comparentem. Et quia forsitan contingere posset, quòd compromissum factum semel, vel bis ex quacunque causa expiraret, tunc provisum, & ordinatum est, quòd Partes, quæ ex dispositione Statuti compromittere tenentur, debeant compelli iterum, & toties quoties fuerit petitum, donec lis, & causa semel compromissa decidatur, & intentio Statuti adimpleatur.

De notificatione laudorum. Rub. LXVI.

EX nullo Laudo, vel arbitrio, seu arbitramento, vel sententia arbitrali, quæ, vel quod in futurum daretur per aliquem, seu aliquos arbitros, nullum jus alicui quæratur, nec executioni mandari possit, vel aliquis conveniri, vel molestari. Nisi tale Laudum, arbitrium, vel arbitramentum, fuerit latum, vel datum Parte, seu Partibus, contra quam, seu quas latum appareret, præsentibus, & etiam si mulier esset, sufficiat ejus præsentia. Vel nisi Pars, contra quam latum fuerit, per cedulam personaliter, vel ad domum suæ solitæ habitationis [quòd certa die, & ad determinatum locum cum designatione, & nominatione notarii, inde rogati, comparere deberet] ad laudum, arbitrium, seu arbitràmentum audiendum, fuisset citata per Nuncium Communis Pistorii mandato talium arbitrorum, seu arbitratorum, de qua citatione appareat per publicum Instrumentum, & tali die, & loco, & manu talis Notarii laudum prædictum latum reperiretur. Vel nisi tali Parti, vel ejus successori, etiamsi esset mulier, personaliter notificatum fuerit per publicum Instrumentum cum toto tenore dicti laudi, vel ad domum habitationis, & tunc in præsentia saltem duorum de convicinia, seu de eadem cappella, vel loco, de quo esset talis, cui notificabitur, de continentia talis laudi, arbitrii, seu arbitramenti infra triginta dies à die ipsius laudi, arbitrii, seu arbitramenti lati, & dati continuè numerandos; de qua notificatione, quod sic fuerit facta, stetur Instrumento publico inde confecto de ipsa notificatione facienda, in quo contineantur nomina, & pronomina dictorum duorum de convicinia, sive cappella, vel loco. Sufficiat etiam, & pro legitima notificatione habeatur, si ambæ Partes, vel earum aliqua laudum prædictum in totum, vel in partem infra triginta dies, à die ejus prolationis per publicum Instrumentum ratificaverit, quoad præjudicium ratificantis. Et si fieret talis ratificatio in præsentia alterius Partis, pro notificatione habeatur ei facta, in cujus præsentia fieret, dummodo infra dictos triginta dies fiat, & pro ratificato habeatur. Sufficiat etiam, si infra dictos triginta dies à die dati laudi, arbitrii, seu arbitramenti lati, seu promulgati inter aliquos habitantes in Civitate Pistorii, per Nuncium Communis Pistorii, & de commissione, & mandato Judicis causarum civilium personaliter, vel ad domum habitationis illis, contra quos laudum latum fuerit, notificatum fuerit cum cedulæ dimissione laudum esse latum, in quo contineatur laudum esse latum, inter quos, & per

per quos arbitros, seu arbitratores, & tempus lati laudi, & nomen, & pronomen Notarii, qui de ipso confecerit Instrumentum. In laudis verò, quæ lata fuerint contra aliquos de Comitatu, vel districtu Pistorii non habitantes in Civitate Pistorii, sufficiat, si notificatio, & cedula in forma suprascripta fiat, & dimittatur ei, cui notificabitur, personaliter, vel ad domum ejus solitæ habitationis, & casu quo contigerit eum non habere domum habitationis apertam dimittatur Rectori, vel Syndico talis Communis, villæ, castri, seu loci, de quo erit ille, cui facienda erit notificatio, seu ad domum ipsius Rectoris, vel Syndici; de qua notificatione, relatione, & aliis supradictis stetur, & stari debeat relationi talis Nuncii, quæ reperiatur in actis talis Judicis, qui hujusmodi notificationis commissionem fecerit, vel ejus successoris, & nõ sit necesse docere de aliquo mandato Syndici, vel Rectoris. Et si lauda prædicta deberent notificari forensibus, vel aliis non habitantibus in Civitate, Comitatu, seu districtu Pistorii, sufficiat quod fiat notificatio modo, & forma, quibus citantur forenses, & fiant citationes ipsis forensibus, seu non habitantibus, vel habentibus domum in Civitate, Comitatu, & Districtu Pistorii, cum cedula ad valvas Palatii dicti Judicis, & per præconem, sono tubæ præmisso, in platea Communis Pistorii, & in platea Salæ, denunciando laudum latum esse, inter quos, & per quos arbitros, & arbitratores, & tempus lati laudi, & nomen, & pronomen Notarii, qui de hoc fecerit Instrumentum. Et si fuerit hæreditas jacens habitantis in Civitate Pistorii, fiat notificatio laudi cum cedula, ut supra, domi defuncti, & vicinis, & Ecclesiæ vicinali, & idem fiat de hæreditate jacente comitatinorum, & districtualium. Facta verò notificatione per alteram ex partibus, vel ejus procuratorem, vel mandatarium, vel ad ejus petitionem, ut dictum est, habeatur, & intelligatur quoad totum laudum, & arbitramentum, & ejus continentia pro legitima ratificatione, in præjudicium ipsius notificantis, seu pro quo fuerit notificatum, ac si fuisset idem in totum ratificatum in qualibet sui parte. Terminus autem appositus in laudo ad aliquid dandum, solvendum, faciendum, vel restituendum, incipiat currere à die factæ ratificationis, ut prædicitur, vel scientiæ, vel alterius actus, qui habeatur pro ratificatione talis laudi, & interim nulla fiat molestia in persona, vel rebus, & si fieret, vel etiam prædictis non servatis in suo casu, possit de nullitate opponi, dici, querelari, appellari, & peti reduci ad arbitrium boni viri, non obstante aliqua renunciatione, vel pacto, quæ aliquo modo contra prędicta facta esse reperirentur. Quæ quidem notificationes fieri, & committi fieri possint, quolibet tempore quantumcunque prohibito, & feriato, & non obstantibus aliquibus feriis in aliquo capitulo constitutis, in quibus Judex teneatur, debeat, & obligatus sit ad petitionem cujuscunq; petentis dare, & concedere licentiam, & committere, quòd dicta lauda possint notificari, & notificentur, sub pœna dicto Judici contrafacienti librarum decem pro qualibet vice, pro qua sit suppositus Conservatoribus legum Civitatis Florentiæ.

 De ge-

De generali executione laudorum. Rub. LXVII.

QUodlibet laudum, arbitrium, arbitramentum, sententia, pronunciatio, & definitio vigore alicujus compromissi lati, & dati ab aliquibus arbitris, seu amicis communibus, possit, valeat, & debeat in omnibus, & per omnia, ac si esset Instrumentum guarantigiatum, executioni mandari in rebus, & personis, etiam incipiendo à captura personarum ad voluntatem illius, in cujus favorem tale laudum, vel aliquod prædictorum latum fuerit; dummodo fuerit latum partibus præsentibus, vel ipsis citatis, vel notificatum seu ad notitiam deductum, prout supra in Statuto *De notificatione laudorum*; omni appellatione, nullitate, iniquitate, reductione ad arbitrium boni viri, oppositione, contradictione, exceptione, vel defensione rejectis, & remotis; salva tamen restitutione in integrum minoribus, quorum nomine si aliquid fuerit oppositum, per Judicem rejiciatur, & super eo non procedatur. Et solutio, vel satisfactio alicujus sententiæ latæ, & datæ ab aliquo Judice alicujus Curiæ Communis Pistorii, vel arbitrii, vel arbitramenti lati, & dati ab aliquibus arbitris, seu arbitratoribus, non possit in totum, aut in partem probari, nisi per scripturam publicam, vel scriptam privatam manu creditoris confitentis sibi in totum, vel in partem satisfactum fuisse, vel manu tertiæ personæ, prout, & sicut disponitur in Statuto loquente *De scripturis mercatorum, & artificum*.

Quod Instrumenta non fiant per Notarios forenses, vel non suppositos Jurisdictioni Communis Pistorii. Rub. LXVIII.

STatuimus, quòd in Civitate Pistorii, vel Districtu non possit fieri aliquod Instrumentum super aliquo contractu venditionis, alienationis, cessionis, mutui, depositi, donationis, vel alicujus alterius generis contractus, vel obligationis, cujuscumque generis, vel qualitatis existat, per aliquem Notarium forensem, vel Notarium, qui non sit suppositus jurisdictioni Communis Pistorii. Prædicta verò locum non habeant contra Notarios matriculatos, & descriptos in arte, & matricula Judicum, & Notariorum Civitatis Florentiæ, qui quidem Notarii sic matriculati possint ipsa Instrumenta conficere, nisi essent ibi in aliquo officio, quo casu subjaceant præsenti Statuto, & quod contrafieret sit ipso jure nullum, & de tali Instrumento reddi non possit jus per aliquem Officialem Communis Pistorii, & nihilominus Notarius rogatus de tali contractu incidat in pœnam librarum quinquaginta pro qualibet vice, applicanda Officialibus, seu Conservatoribus legum Civitatis Florentiæ. Salvo quod omnes Officiales Communis, & Civitatis Pistorii, qui nunc sunt, & pro tempore fuerint; possint, & eis liceat conficere scripturas ad eorum officium tantùm pertinentes. Si quis verò dixerit, aut opposuerit aliquem Notarium, non esse de numero Notariorum, & matriculæ, & repertum fuerit ipsum Notarium esse de dicto numero, talis opponens puniatur per Rectorem Civitatis Pistorii in libris quinquaginta den.

Quod forenses, & non suppositi Jurisdictioni Communis Pistorii non possint advocare, vel procurare in Civitate, vel Comitatu Pistorii. Rub. LXIX.

ORdinamus, quòd nullus Doctor, vel Notarius forensis alicujus districtus possit, vel debeat aliquo modo advocare, vel procurare pro aliqua persona in Civitate Pistorii coram Commissario, Prioribus, & Vexillifero justitiæ, vel Judice causarum civilium, vel aliquo ex eis, seu aliquo alio Officiali Civitatis Pistorii, seu advocationis, vel procurationis officium exercere, sub pœna librarum quinquaginta pro qualibet vice, & à quolibet Doctore, vel Notario forensi Communi Pistorii solvenda, & id quod fecerit non valeat ipso jure, nisi prius licentiam obtinuerit à generali Consilio per ejus legitimum partitum, & statim solverit solitam matriculam librarum quatuordecim Collegio Judicum, & Notariorum Civitatis Pistorii.

Quod Notarii Rectorum, & Officialium Civitatis Pistorii, nihil accipiant pro scripturis. Rub. LXX.

STatutum, & ordinatum est, quòd nullus Notarius de familia Commissarii, vel alicujus forensis Officialis Civitatis Pistorii audeat, vel præsumat accipere aliquod salarium per se, vel alium pro aliquibus originalibus, scripturis, vel exemplo, sub pœna librarum vigintiquinque pro qualibet vice retinenda de salario illius, de cujus familia fuit talis Notarius contrafaciens, nisi fuerint exempla scripturarum ad ejus officium spectantium, pro quibus accipere possit salarium ordinatum per formam ordinamentorum Communis Pistorii; & in copiis omnium processuum teneatur in fine describere totam summam, quam receperit, cum juramento, quòd ampliùs non receperit; & si talis descriptio summæ receptæ cum prædicto juramēto ab eo fuerit omissa, possit in syndicatu pro qualibet vice condemnari pęna librarum quinquaginta applican. pro una tertia parte Accusatori, pro altera Rectori, qui exactionem fieri fecerit, & pro reliqua Cameræ, & ulteriùs præsumatur contrafecisse legi S. C. R. disponenti de mercedibus similium Officialium.

Quod Notarii forenses reponant scripturas, & acta in Camera. Rub. LXXI.

STatutum, & ordinatum est, quòd quilibet Notarius, & Officialis, qui fuerit in aliquo officio, tam in Civitate Pistorii cum D. Commissario, quàm cum D. Capitaneo Montaneæ superioris, & cum Dominis Potestatibus Potestariarum Larciani, Tizzanæ, & Montalis, & earum annexorum, & fecerit aliquas scripturas, & acta quæcunque tam civilia, quàm mixta respicientia ejus officium, teneatur & debeat, eas & ea respectivè relaxare in Camera Communis Pistorii in manibus Notarii ipsius Cameræ ante exitum sui officii, sub pœna librarum ducentarum den. sibi de facto auferendarum per quemcunq; Rectorem, & Officialem Communis Pistorii, Montaneæ, & potestariarum, etiam post finitum syndicatum in quolibet tempore, & nihilominus quibuscunque scripturis per eum factis, non repertis in Camera post ejus officium finitum, nulla fides adhibeatur; & ipse Officialis, qui dictas scripturas

turas

turas fecerit, & non restituerit, sive consignaverit, ut supra dictum est, non possit aliquo tempore esse in aliquo officio Civitatis Pistorii sub pœna prædicta; & Cancellarius teneatur hujusmodi non restituentem describere in aliquo ex libris Cancellariæ Communis Pistorii, in quo postea describantur cæteri similes; qui Cancellarius teneatur infra quindecim dies à die scientiæ de electione, & extractione Rectorum Civitatis Pistorii, & Montaneæ, & Potestariarum notificare eis nomina Officialium prædictorum, & qualiter ad Civitatem Pistorii, & Montaneam, ac Potestarias venire non possunt, sub pœna librarum vigintiquinque ipsi Cancellario retinenda de suo salario. Nec propterea per prædicta intelligatur permissum alicui Officiali Rectorum Civitatis Pistorii facere aliquas scripturas, nisi prout permissum est in præcedentibus Statutis, & per formam aliorum Statutorum Civitatis Pistorii; & prædicta intelligatur, etiam quoad Militem socium D. Commissarii, & aliorum Rectorum prædictorum. Qui miles socius D. Commissarii, & Rectores suprascripti, & eorum Officiales teneantur, & debeant ultima die sui officii præsentare DD. Prioribus, vel eorum loco subrogatis in præsentia Cancellarii, & Notarii Cameræ Communis Pistorii libros executionum missarum, & quoruncunque pertinentium ad eorum officium per eos factos tempore eorum officii, subscriptos, & authenticatos, sub pœna librarum ducentarum den. imponenda per Syndicos, qui eos syndicabunt; qui Syndici non possint absolvere Commissarium, Capitaneum, & Potestates nisi dicta consignatione ipsorum librorum facta, alias ipsi Syndici perdant salarium, & eis non solvatur.

Quod quilibet Rector, & Officialis forensis teneatur scripturas factas in criminalibus repræsentare. Rub. LXXII.

STatutum, & ordinatum est, quòd D. Commissarius Civitatis Pistorii, & D. Capitaneus Montaneæ superioris, & quilibet alius forensis, qui etiam jure delegato quomodolibet jurisdictionem exerceret in Civitate prædicta, & eorum, & cujuslibet eorum officiales, & notarii, teneantur & debeant omnia & singula acta, & scripturas factas coram eis, vel eorum curia, vel scriptas per eos in causis maleficiorum, vel quasi, principalibus, vel appellationis, vel nullitatis, consignare publicè in publico inventario de eis solemniter facto manu ipsius Notarii, qui ipsa acta, & scripturas scripserit, coram Dominis Prioribus, & Vexillifero Justitiæ Civitatis Pistorii; videlicet, Commissarius per quatuor dies ante exitum sui officii, & Capitaneus Montanæ per sex dies ante finem sui officii, alii verò quibus jure delegato competeret jurisdictio, infra quindecim dies post latam sententiam, sub pæna librarum quingentarum den. cuilibet contrafacienti; quæ acta, & scripturæ poni debeant per Dominos Priores in uno sacculo, & sigillare sacculum debeant sigillo Communis, & sigillo Rectoris, qui eas consignaverit. Qui DD. Priores, & Vexillifer teneantur & debeant dicta acta, & scripturas salvare, & custodire, & eas consignare novo successori ipsius Rectoris, vel Officialis, qui eas consignaverit, ea die, qua suum officium intraverit. Quæ acta, & Scrip-

scripturæ nullo modo possint, vel debeant de dicto Palatio extrahi, vel modo aliquo dissigillari, donec novo successori prædicto dentur, sub pœna librarum centum cuilibet contrafacienti. Quibus datis, & consignatis dicto novo successori, termini, & dilationes in eis contenti, sint & esse intelligantur in eodem statu, in quo erant tempore consignationis, & sigillationis eorum; & talis successor habeat terminum viginti dierum immediatè sequentium, ultra tempora in Statutis expressa, & processus, qui fierent post consignationem prædictam, reducantur in scriptis, & publicentur per eum, vel eos, qui ipsum processum scripserint, & non in cedulis, & consignentur dicti processus in scriptis dicto novo successori prima die sui introitus in præsentia DD. Priorum, & Vexilliferi Justitiæ, vel saltem duorum ex eis; & de prædictis consignationibus faciendis, & qualibet earum fiant publica Instrumenta per Notarium DD. Priorum. Et dictus successor teneatur dicta acta, & scripturas sibi consignatas restituere, & reponere in Cancellaria DD. Priorum, saltem infra tres menses à prima die sui officii, sub pœna suprascripta. Nec etiam possit d. D. Commissarius, & ejus Judex ultimis quatuor diebus sui officii quoquomodo in civilibus causis procedere, nec aliquam sententiam, pronunciationem, vel declarationem, seu executionem facere, vel fieri facere; in criminalibus verò possint procedere usque ad finem sui officii ad singulos actus, salvo quòd infra decem dies ultimos ante finem sui officii nullam sententiam, vel pronunciationem ferre possit in criminalibus quæstionibus, seu causis; & si ferrent, id quod factum fuerit, vel esset, non valeat ipso jure, & non teneat, salvo, & excepto, quàm pro rebellionibus, & pro turbatione Status Communis Florentiæ, & ejus jurisdictionis, libros verò processuum suorum ei consignatos restituere teneatur, & debeat Notario Cameræ temporibus suprascriptis, videlicet viginti dierum ultra tempora in Statutis expressa. Capitaneus verò Montaneæ teneatur omnes, & singulas condemnationes in publicam formam tradere ipsi Notario Cameræ, antequam sit absolutus ab ejus syndicatu suprascriptas manu Notarii, & Officialis Maleficiorum dicti Capitanei in membranis, in qua subscriptione dicat esse omnes condemnationes factas tempore sui officii; & quod alias non fecerit, & donec prædicta faciet salarium dicti Capitanei registrari non possit, nec debeat per dictum Notarium Cameræ, nec per Camerarium solvi, sub pœna perjurii. Qui Capitaneus teneatur, & debeat facere deveniri in Camera Communis Pistorii, omnes, & singulas condemnationes per eum factas, & faciendas tempore sui officii de quibuscumque comparentibus, vel eos carcerare in carceribus Communis Pistorii. Et si prædicta non fecerit, debeat ipse Capitaneus Montaneæ de prædictis syndicari, & ipse condemnationes computari in suo salario, de quibus omnibus Notarius, & Camerarius prædicti rimari debeant; & donec prædicta facta, & observata non fuerint eidem Capitaneo, ejus salarium solvere non debeant, vel registrare, aut absolutio sequi possit, & Cancellarius Communis Pistorii, teneatur omnibus Capitaneis dictæ Montaneæ, ultra juramentum infra decem dies eorum officii notificare dictum Statutum; & si prædicta non fecerit, ipse Cancellarius ea omnia dare, & solvere debeat de suo Communi Pistorii.

De In-

De Instrumentis non conficiendis per Notarios diebus festivis. Rub. LXXIII.

STatutum, & ordinatum est, quòd nullus Notarius possit, vel debeat Instrumenta conficere, vel rogare diebus Dominicis, vel Paschalibus, videlicet, Resurrectionis Domini cum duobus sequentibus, die Pentecostes cum duobus sequentibus, die Ascensionis Domini, die omnium Sanctorum, die Circumcisionis, & Epiphaniæ, die Nativitatis Domini cum tribus sequentibus, Apostolorum, Doctorum Ecclesiæ, Beatæ Mariæ Virginis, & Sanctorum Martini, & Laurentii, sed dictas festivitates omnes custodire debeant. Nec aliquis Notarius, seu Notarii stantes, & morantes in Civitate, Comitatu, & districtu Pistorii, possint modo aliquo conficere, vel rogare Instrumenta, ut supra, etiam sub prætextu matriculæ Civitatis Florentiæ, vel alterius loci, sub pœna librarum vigintiquinque à dictis Notariis solvenda pro quolibet Instrumento per eos rogato, & qualibet vice contrafecerint, applicanda pro tertia parte Communi Pistorii, pro tertia parte Rectori illam exigenti, & pro alia tertia parte Accusatori. Salvo quòd in dictis diebus, & quolibet eorum possint testamenta, & ultimas voluntates conficere, rogare, & Instrumenta mandati matrimonii paces, treguas, & lauda, quando ultima dies compromissi in aliquem ex supradictis diebus incideret, & similiter Instrumenta appellationum, quando ultima dies data ad appellandum caderet in aliquem ex dictis diebus. Et Instrumenta talibus diebus rogata contra formam prædictam non valeant, & non teneant ipso jure, & executionem non mereantur, & eis nulla fides adhiberi debeat, etiam non obstante quòd per partes fuerit talibus feriis, & diebus feriatis renunciatum.

Quod Notarii teneantur denunciare, quod scriptum est. Rub. LXXIV.

OMnes Notarii Civitatis Pistorii teneantur testamenta, & ultimas voluntates, quæ & quas scripserint de cætero, in quibus legata, seu relicta fuerint, denunciare illis, quibus relictum est, videlicet Communi, Operibus, & pauperibus personis, & eisdem dare testamentum exemplatum, vel saltem illam partem testamenti, seu ultimæ voluntatis cum institutione hæredis, qua efficaciter legata, & relicta exigere possint, & ipsis Notariis solvant mercedem suam, sicut conveniens erit. Quæ omnia dicti Notarii teneantur facere infra mensem post obitum Testatoris, aliter puniatur contrafaciens in pœnam librarum vigintiquinque pro qualibet vice applicanda ad favorem Monialium, nuncupat. *le Convertite*.

De fide habenda cedulis repertis in abbreviaturis Notariorum. Rub. LXXV.

STatutum, & ordinatum est, ob varios casus, qui contingere possunt, ac etiam ob negligentiam Notariorum defunctorum, & qui in diem pro tempore deficiunt in non ponendo, & non scribendo Instrumenta, quæ rogant, & conficiunt in actis, cedulis, seu protocollis, sed ea dimittunt, & relaxant in eorum puris originalibus, filzis nuncupatis, quòd talibus filzis originalibus, quæ reperiuntur, vel in futurum quomodolibet reperirentur inter

ter

ter abbreviaturas talium notariorum, facta de eis comparatione literarum per Proconsulem Collegii Notariorum Civitatis Pistorii, & quatuor Notarios idoneos dicti Collegii, non attinentes, nec consanguineos, nec alicui partium suspectos, per ipsum Proconsulem eligendos, cum literis, & caracteribus aliorum instrumentorum talis Notarii consistentibus in aliis actis, cedulis, seu protocollis ipsius Notarii titulatis, & per eum subscriptis, seu saltem solum titulatis, aut solùm subscriptis, credatur ut infra. Quæ comparatio fieri debeat citata parte adversa ad contradicendum, & expediri à die petitionis infra decem dies ex tunc proximè futuros, & mediante corporali juramento præfatorum sic comparentium, & credentium talia sic comparanda esse propria manu scripta ipsius Notarii, inter cujus abbreviaturas reperta fuerint. Quibus filzis, seu scripturis sic comparatis detur, & adhibeatur plena, & indubia fides, & liberam executionem mereantur, & executioni mandari debeant tanquam instrumenta guarantigiata, non obstante quod in dictis filzis, & scripturis sic comparatis non sint obligationes, renunciationes, anni Domini, mensis, & locus, & alia, quæ requiruntur de jure, & ex forma Statutorum in similibus instrumentis, dummodo in eis sint nomina, & pronomina contrahentum, adeo quod constet, & constare possit de corpore, & etiam in eis sint res, vel quantitas, de qua ageretur, & testes; quam comparationem sic factam, dictus D. Proconsul approbet, & confirmet, & desuper imponat ejus auctoritatem, & decretum. Hoc declarato, quòd omnes cedulæ, protocolla, & acta talium notariorum non titulata, seu non subscripta manu propria talium notariorum, intelligantur filzæ originales, & illis nulla fides adhibeatur, nisi de eis, cùm quæstio nasceretur, facta fuerit comparatio literarum modo, & forma superiùs dictis, & quatenus Instrumenta, & acta prædicta essent titulata, vel saltem subscripta, ut supra, licèt aliena manu essent scripta, eisdem, ut superiùs adhibeatur plena fides, & exequantur. Et Notarii Civitatis, & Districtus Pistorii de cœtero teneantur vinculo juramenti, & sub pœna librarum vigintiquinque den. pro qualibet vice ponere, & describere in eorum cedulis, protocollis, & actis titulatis, ut supra, omnia Instrumenta, quæ rogabunt infra duos menses post illorum celebrationem, ex tunc proximè futuros, nisi aliqua justa causa eos excusaret. Et si quod Instrumentum deinceps confectum produceretur in judicio, quod non esset descriptum in actis, cedulis, seu protocollis titulatis, aut subscriptis, ut supra, seu in filzis originalibus, puniatur Notarius de eo rogatus in libris vigintiquinque den. applican. prout in Statuto sub Rub. *de abbrev. not.* dicetur. Et nullus Notarius possit, audeat, vel præsumat rogare aliquod Instrumentum, seu testamentum, vel alterius cujuscumque qualitatis, nisi primò scriptum fuerit, sub eadem pęna, & applicatione. Nec possint Notarii prædicti rogare Instrumenta matrimonii, in quibus fieret mentio, quòd dos promittitur juxta tenorem scriptæ parentelæ, nisi primò, & ante omnia reperiretur dicta scripta penes eos, & eam receperint, quam registrare teneantur in tali Instrumento, sub pęna cuilibet contrafacienti librarum centum den. Commissiones autem cedularum, actorum, & jurium Notariorum defunctorum fieri possint, & valeant, per

R D.Com-

D. Commissarium, vel ejus Locumtenentem, & etiam per Proconsulem Collegii Notariorum Pistorii, aut alterum eorum, prout disponitur per Statuta dicti Collegii, & Artis. Quæ Statuta non contraria prædictis, ut supra dispositis, & infra in volumine præsentium Statutorum disponendis, servari debeant tanquam Statuta populi Communis Pistorii, & ita ea omnia vigore præsentis capituli approbata, & confirmata esse intelligantur. Et ut melius possit extendi in testamentis, & in cæteris quibuscunque contractibus mens ipsorum testatorum, & contrahentium, statuerunt, quòd omnes Notarii teneantur sub pœna suprascripta applicanda ut supra, conficere omnia testamenta, ultimas voluntates, & Instrumenta vulgari, ac materno sermone, excepto principio, & clausulis in fine apponi solitis, & exceptis testamentis, ultimis voluntatibus, & Instrumentis Juris consultorum, & Notariorum, in quibus præsumitur scientia, & peritia terminorum Juris.

Hoc tamen declarato, quòd prædicti Notarii non possint in Testamentis, & ultimis voluntatibus ab eis rogatis, sibi, & suis ascendentibus, & descendentibus legatum aliquod adscribere, nisi adsit subscriptio ipsiusmet Testatoris de quantitate, vel qualitate rei legatæ, et si dictus Testator scribere nescierit, vel non potuerit, talis subscriptio fieri possit manu duorum Contestium, sub pœna nullitatis rei legatæ, & scutorum vigintiquinque, applican. pro quarta parte Monialibus, nuncupat. le Convertite, pro quarta parte Rectori exigenti, pro quarta parte Collegio Judicum, & Notariorum Civitatis Pistorii, & pro alia quarta parte Hæredibus Testatoris.

De pretio, & mercede copiarum Instrumentorum. Rub. LXXVI.

Litibus, & differentiis, quæ sæpe sæpiùs oriuntur occasione pretii, & mercedis alicujus Instrumenti laudorum, testamentorum, codicillorum, aliorumque rogituum sumendorum à Notariis de eis rogatis providere volentes; statutum, & ordinatum est, quòd nullus Notarius, sive quævis alia persona, quæ penes se habeat Instrumenta quælibet, seu contractus, scripturas, aut acta Notariorum, possit accipere, aut consequi pro copia Instrumẽtorum infrascriptorum cæteratorum aliquid, ultra, vel præter infrascriptas quantitates: Pro copia Instrumenti venditionis bonorum immobiliũ ascendentium ad summam librarum centum quinquaginta, & ab inde infra, solidos triginta den: à libris centum quinquaginta, usque in libras tercentas, solidos quadraginta: à libris tercentis, usque in quingentas inclusivè, solidos quinquaginta: à quingentis usque in mille, libras quatuor den: à mille in duo millies, libras septem: à duobus millibus, usque in tres millies, libras decem: & à tribus millibus usque ad mille ducatos inclusivè, libras quatuordecim: à scutis mille, supra, quęcunque esset summa, libras viginti unam den. Teneanturque, & debeant dicti Notarii ad voluntatem petentis dicta Instrumenta dare extensa in publicam formam; & tunc habeant, & habere debeant, ultra suprascriptas quantitates supra taxatas, ad rationem solidorum decem den. pro qualibet libra suprascriptarum quantitatum, singula singulis congruè referendo. Pro copia verò testamentorum, codicillorum, aut legatorum acci-

pere

pere debeant, & possint juxta taxam suprascriptam, teneatur tamen dare copias cuilibet volenti, & petenti illam partem testamenti, codicillorum, seu legatorum, quæ extrahi peteretur; & tunc secundùm æstimationem, & continentiam dictæ partis copiatæ, solvatur dicto Notario ad ratam prætaxatam. Pro copia laudorum, quia secundùm importantiam, & laborem illorum providendum est, & differentiæ de facili oriri possent, stetur, & stari debeat de prædictis, declarationi Judicis causarum civilium, habito per eum colloquio secretè cum peritis in arte, aut palam, advertendo semper ad scalam suprascriptarum quantitatum; Pro copia Instrumentorum treguæ, & pacis libras duas den. Pro Instrumentis divisionum bonorum immobilium solvatur, & accipere possint ad rationem solidorum quinque pro qualibet libra suprascriptæ scalæ venditionis bonorum. Et si quæstio oriretur circa valorem bonorum, stetur declarationi dicti Domini Judicis, ut supra. Pro copia Instrumentorum recognitionum debiti quantitatis librarum centum quinquaginta den. vel ab inde infra, solidos viginti den: à libris centum quinquaginta in quingentas inclusivè, solidos triginta: à quingentis in mille, libras duas den. à mille in duo millies, libras duas, & solidos decem: à duabus millibus in quatuor millies inclusivè, libras tres den. & à dicta summa, usque in quãcunque summam, libras quatuor den. Si autem lis, vel differentia nasceretur super prædictis de aliquo suprascriptorum Instrumentorum quorumcunque, stetur, & stari debeat in omni casu declarationi dicti Domini Judicis, modo, & forma, quibus supra; qui Dominus Judex declarare teneatur, & debeat infra duos dies à die porrectæ querimoniæ, seu petitionis per alteram Partium prædictarum. Et idem observetur si de aliis quibuscunque Instrumentis nasceretur differentia circa precium eorum.



Pro Rogitibus autem Instrumentorum per Notarios Civitatis Pistorii servetur Taxa, & Tariffa infrascripta pro mercede.

Pro rogitu Instrumenti appellationis fol. 14.
Mandati ad agendum, & defendendum fol. 12.
Mandati ad exigendum, & alios actus fol. 20.
Recognitionis debiti, aut mutui usque ad libras 300. fol. 16.
A libris 300. usque ad mille fol. 25.
A libris mille ad omnem summam fol. 40.
Et de quietationibus generalibus fol. 25.
Pro rogitu locationis ad modicum tempus fol. 20.
Ad lineam, vel in perpetuum fol. 30.
Societatis, & Soccitæ cum Juvatico ——— lib. 14.
Divisionis etiam per viam laudorum usque ad scutos mille fol. 40.
A mille usque ad 5000. fol. 60.
A 5000. ad omnem summam lib. 6.
Pro rogitu cessionis jurium ascendentium ad scutos centum inclusivè fol. 25
A scutis centum ad omnem summam fol. 40
Venditionis, emptionis, censuum, & affictuum, & ipsorum jurium usq; ad libras 200. fol. 15.
A libris 200. ad 500. fol. 20.
A libris 500. ad 1000. fol. 30.
A libris 1000. ad 3500. fol. 40.
A libris 3500. ad 10500. fol. 60.
A libris 10500. ad omnem summam lib. 7.
Pro rogitu donationis inter vivos reguletur ut supra est dispositum de laudis, & divisionibus
Pro confessione dotium usque ad libras centum fol. 14.
A libris 100. usque ad mille fol. 20.
A 1000. usque ad omnem summam fol. 40.
Pro rogitu compromissi fol. 26.
Pro rogitu laudi fol. 40.
Pro rogitu instrumentorum extensorum, & non cæteratorum ad voluntatem partium, & non aliter, d. Notarii consequantur duplicem mercedem supradictam.
Pro rogitu omnium instrumentorum, quæ non sunt remissibilia ad Archivium publicum Florentinum fol. 30.
Pro rogitu omnium aliorum instrumentorum remissibilium ad dictũ Archivium Florentinum ad minus libras duas.
Pro rogitu aliorum instrumentorum excedentium pro mercede libras duas, servetur Taxa, & Tariffa prædicta.
In dictis autem mercedibus ut supra ordinatis non compræhendantur Taxæ Archivii publici Florentini.

De instrumentis dotalibus deperditis. Rub. LXXVII.

QUoniam multa instrumenta dotalia non reperiũtur posita in actis, vel scripta in cedulis, & hoc accidere potest ob multos humanos, & fortuitos casus, & ob negligentiam Notariorum defunctorum, & ea propter multæ mulieres, & multæ viduæ caderent in maximum periculum, cùm causa dotis favorabilis sit de jure. Statutum, & ordinatum est, quòd si qua

si qua mulier, vel ejus hæres, seu legatarius, vel creditor ipsius mulieris coram Judice de hoc querimoniam porrexerit, ipse Judex teneatur compellere Operarios Sancti Jacobi Majoris Ecclesiæ, qui pro tempore fuerint, eligere vinculo juramenti quatuor ex melioribus hominibus habentibus ætatem quinquaginta annorum, vel ab inde supra, de Civitate Pistorii, si maritus fuisset de Civitate Pistorii, vel consueverit habitare Pistorii; & si de comitatu, de illo Communi, de quo fuisset ille maritus, vel de propinquiori Communi, qui non sint consanguinei talis mulieris, vel mariti, vel eorum hæredum usque in tertium gradum. Qui quatuor homines compellantur vinculo juramenti dicere, & declarare quantitatem dotis, quam credunt, vel sciunt fuisse datam per talem mulierem suo viro, vel uxori, vel utrique, & tempus quo credunt fuisse confectum soleum, vel Instrumentum matrimoniale, visa primò per eos expositione, quæ dicta occasione coram Judice facta fuisset per ipsam mulierem, seu ejus hæredem, vel legatarium, seu creditorem ejus, & auditis omnibus volentibus aliquid contradicere his, quæ continentur in ipsa expositione. Et banno primò misso per præconem Communis Pistorii publicè per Civitatem, vel in Communi unde fuisset maritus per præconem Communis Pistorii, in quo banno contineatur nomen, & pronomen mulieris, vel hæredum petentis, mariti, & cappella, & locus unde est, vel fuerit maritus, & quantitas dotis, & si qua persona vult contradicere, compareat infra octo dies, & receptis testibus secretè, & palam cum scriptura, vel sine, prout placuerit ipsis quatuor hominibus: id, quod dictum, vel declaratum fuerit, per ipsos quatuor, vel tres ex eis concordes valeat, & teneat, & executioni mandetur. Salvo quòd si aliquo tempore appareret Instrumentum dotis; & si aliquid esset dictum, & declaratum, quòd non contineatur in instrumento dotis, detrahi debeat, & restitui, & si minus, debeat suppleri; quam declarationem facere debeant dicti Cives electi, sub pœna lib. vigintiquinque den.

De reperiendis, & recuperandis scripturis Communis. Rub. LXXVIII.

STatutum, & ordinatum est, quòd D. Commissarius Civitatis Pistorii, tam ex officio, quàm ad petitionem Cancellarii dictæ Civitatis, seu alterius personæ, etiam de Populo, auctoritatem habeat reperiendi, & recuperandi scripturas Communis ab omnibus, qui dictas scripturas detinuerint, sub pœna in ejus arbitrio reposita, debeatque eas post recuperationem transmittere ad Cancellariam publicam dictæ Civitatis.

De Instrumentis publicis in libro Communis scribendis. Rub. LXXIX.

PRovisum, & ordinatum est, quòd D. Commissarius faciat jurare omnes Notarios Civitatis Pistorii, quòd ipsi scribent in libro Communis omnia Instrumenta pertinentia, aut quæ videbuntur pertinere ad Commune Pistorii, de quibus rogati essent, & infra quindecim dies, postquam requisiti fuerint, & qui semel juraverint, non teneantur postea jurare, & Camerarius Communis Pistorii det eis justum, & conveniens pretium, si

ea

eà ſcripſerint infra tempus prædictum, ſi autem poſtea, nullum pretium recipiant à Communi, qui Liber benè cuſtodiatur, & nemini oſtendatur ſine licentia D. Commiſſarii, & DD. Priorum, vel eorum alterius; Inſtrumenta verò, quæ fient de cætero, eorum tempore, faciant deſcribere, & authenticè ponere in eodem libro. Et teneatur dictus D. Commiſſarius infra primum menſem ſui officii facere regiſtrare, & ſcribere in actis Communis Piſtorii omnia privilegia Notariorum vivorum, & mortuorum, quæ habere poſſent non regiſtrata, & ab inde in futurum non poſſit opponi, & ſi oppoſitum fuerit, non audiatur, quod aliquis eorum non ſit Notarius, vel eorum ſcripturas fuiſse confectas à non Notario. Idem dicimus de ſcripturis Notariorum, quorum privilegia non fuerint regiſtrata, dummodò publicè exerceant artem Notariatus in Civitate Piſtorii, vel diſtrictu, vel exercuerint, ſalvo quòd eorum Inſtrumenta poſſint reprobari; & de eorum privilegiis exhibendis, banniatur ſub certa pœna.

De Inſtrumentis fictitiis, & ſimulatis. Rub. LXXX.

Cum multæ alienationes, & obligationes factæ reperiantur temporibus retroactis, & in futurum reperiri poſſent per vim, metum, fictitiè, & ſimulatè, ſtatutum, & ordinatum eſt, quòd ſi aliqua perſona, quæ talem alienationem feciſſet, vel in futurum faceret alicui perſonæ, & ejus hæredes, & quælibet alia perſona, contra quam tales alienationes, vel obligationes productæ eſſent hactenus, vel producerentur in futurum, vellet dicere talem alienationem, obligationem, vel contractum ſuper his factum fuiſſe per vim, vel metum, vel fictitiè, vel ſimulatè, poſſit querimoniam ſuam proponere coram DD. Prioribus, & Vexillifero Juſtitiæ, qui teneatur ſub pœna librarum decem den. pro quolibet, & qualibet vice infra quinque dies à die porrectæ querimoniæ citari facere ſemel perſonaliter, vel ad domum publicè in convicinia duabus vicibus ſub diverſis diebus perſonam, quæ recepiſset per ſe, vel alium, vel in futurum reciperet talem alienationem, vel obligationem, coram ipſis DD. Prioribus, & Vexillifero Juſtitiæ, & quæ produxiſſet, vel in poſterùm produceret talem alienationem, obligationem, vel contractũ, Et ſi talis perſona comparuerit poſt citationem, & non contradixerit, vel ſi non comparuerit per ſe, vel legitimam perſonam, pronuncient, & pronunciare debeant ipſam alienationem, obligationem, vel contractum fuiſse factum per vim, & metum, ſeu fictitiè, aut ſimulatè, & eſſe caſſum, vanum, & nullius efficaciæ, vel valoris, & pro caſſis, & vanis haberi. Si autem comparuerit, & contradixerit, teneantur DD. Priores, & Vexillifer Juſtitiæ ſub dicta pœna infra alios quinque dies à die contradictionis numerandos, proponere dictam querimoniam in Conſilio Populi, & facere ibi legi petitionem, & contradictionem, & denunciari facere Partibus, quod veniant, ſi volunt ad dicendum in tali Conſilio quicquid volunt ſuper prædictis; & quicquid obtentum fuerit per duas partes Conſiliariorum in dicto Conſilio exiſtentium, plenam obtineat firmitatem, non obſtante aliquo Statuto in contrarium loquente, in quo Conſilio præſtetur ſacramentum per quemlibet

Conſi-

Consiliarium ad Sancta Dei Evangelia;& si Deus,& Beatus Jacobus eum adjuvet, ante cujus Beati Jacobi imaginem præstetur,quod se concordabit in eo, quod crediderit verum esse, & contra id, quod crediderit verum esse non arrengabit, vel se concordabit. Et si qua persona hactenus vendidisset, vel venderet in futurum, vel alio titulo alienasset aliquam rem, & post ipsam venditionem, vel alienationem possederit per decem annos ipse, vel ejus hæredes, vel habens causam ab eo ipsam rem venditam, & alienatam,talis venditio, vel alienatio intelligatur fictitia, & simulata ipso jure, & pro fictitia, & simulata habeatur, non obstante quòd venditor,vel alienans constituerit, se ipsam rem venditam, vel alienatam ipsius emptoris nomine possidere, dummodo ambæ Partes præsentes fuerint, vel stare potuerint dicto tempore decem annorum in Civitate Pistorii, dummodo Partes vivant per dictum tempus decem annorum, nec compræhendantur minores, quibus durante minori ætate dictum tempus decem annorum non currat, & si in termino prædicto non fuerit ad minus per unam vicem reclamatum. Et D.Commissarius Civitatis Pistorii, & ejus Judex, & quilibet eorum possit de prædictis Instrumentis fictitiis cognoscere, & procedere per viam ordinarii judicii, & non aliter.

De emptione facta in fraudem usurarum. Rub.LXXXI.

SI qua persona emerit, vel vendiderit terram, vel affictum, vel aliud in fraudem usurarum, celebratum fuerit, contractus rescindatur; Quæ locum habeant contra creditores usurarios tantùm,& non contra illos,de quorum bonis, vel redditibus venditis quomodocunque directè, seù indirectè reciperetur usura.

De renunciatione non numeratæ pecuniæ. Rub. LXXXII.

STatutum,& ordinatum est, quòd si qua persona fuerit confessa in Instrumento sibi pecuniam fuisse numeratam,vel res aliquas recepisse, & renunciaverit exceptioni non numeratæ pecuniæ,vel rei non acceptæ,non audiatur postmodum,volens dicere, sibi pecuniam non numeratam fuisse, vel rem non acceptam, nisi infra tertiam diem à die facti Instrumenti conquesta fuerit coram D. Commissario de pecunia, vel re sibi non numerata, vel tradita, in quo casu possit summariè cognosci, omni solemnitate omissa; & si talis conquerens super hoc in fraudem repertus fuerit, condemnetur in duplum ejus, de quo conqueretur, ad favorem Communis Pistorii.

De alimentis. Rub. LXXXIII.

PAter, Mater, Avus, Proavus, Avia, & Proavia alimentis indigentes,suos inferiores etiam emancipatos,vel aliter à Patria potestate liberatos,sufficientes, & idoneos in facultatibus possint compellere realiter,& personaliter ad alimenta sibi præstanda secundùm modum suarum facultatum summariè, quocunque tempore, etiam feriato.

De alimentis futuris. Rub. LXXXIV.

QUoniam, ſicut legitur in Divinis Scripturis, viduarum, orphanorum, & pupillorum, tam maſculorum, quàm fœminarum coadjutores eſſe debemus, & maximè nè fame pereant; ſtatutum, & ordinatum eſt, quòd D. Commiſsarius, & ejus Judex cauſarum civilium, teneantur, & debeant cognoſcere ſuper alimentis futuris omni tempore, non obſtantibus feriis ſinè libelli oblatione, & litis conteſtatione, & alia juris ſolemnitate; & ipſas quæſtiones ſummariè terminare, & definire debeant, ſicut eis juſtum videbitur, non obſtante aliqua appellatione, vel nullitatis propoſitione, quæ fieret, & non obſtante aliquo Statuto Communis, vel Populi; & à pronunciatione, ſeu ſententia lata pro alimentis, non poſſit appellari, nec aliquid de nullitate opponi, & prædicta omnia, & ſingula etiam ſerventur in quibuſcunque alimentis futuris officio Judicis debitis, vel jure actionis pauperibus perſonis præſtandis.

Quòd nulla mulier perſonaliter vadat coram D. Commiſsario, vel Capitaneo. Rub. LXXXV.

PRo honeſtate, & pudicitia conſervanda, ſtatuimus, quòd nulla mulier Civitatis, vel diſtrictus Piſtorii vadat coram D. Commiſsario Civitatis Piſtorii, nec ejus Judice, vel aliquo Officiali Communis Piſtorii pro aliqua civili, vel criminali cauſa, nec conveniantur, ac conveniri poſſint mulieres prædictæ perſonaliter coram ipſis Rectoribus, Officialibus, vel Judicibus; Sed poſſint coram eis omnia per procuratorem facere, quem conſtituere teneantur in primo actu: procuratores autem earum poſſint de calumnia jurare in animam ſuarum principalium de veritate dicenda, & capitulis, & quibuſcunque actibus (etiamſi eſſent de illis, in quibus mulieres prædictæ poſſent cogi perſonaliter comparere) reſpondere poſſint; in quibus omnibus ſufficiat procuratorem mittere, & quicquid per ipſum procuratorem factum fuerit, valeat, & teneat coram dictis Rectoribus. Nec poſſint cogi aſcendere dictæ mulieres Palatium D. Commiſsarii, vel alicujus Officialis pro aliqua confeſſione facienda, vel teſtimonio reddendo in cauſis civilibus, vel criminalibus, ſed Judex dictarum cauſarum, & ejus Notarii, & quilibet alius Officialis, cujus cognitio negocii fuerit, teneantur ire in Eccleſiam Majorem pro ipſarum confeſſione, & teſtimonio recipiendo; quæ omnia valeant, & teneant, non obſtante aliquo capitulo conſtituti generali, vel ſpeciali. Salvo quòd ſi Rectores prædicti, aut aliquis eorum viderent procedendum eſſe contra aliquam mulierem ad tormenta, poſſint, non obſtante præſenti Statuto, contra eam facere, & in Palatium venire, & coram ſe comparere occaſione prædicta.

De certioranda muliere. Rub. LXXXVI.

ORdinamus, quòd Notarii cùm fecerint mulieres contractibus conſentire, vel jurare ſe firmum habere contractum, teneantur eas certiorare de jure ſuo, dicendo, quòd non poterint venire contra conſenſum proprium, vel juramentum, & de renunciatione fiat, & obſervetur idem.

De con-

De consensu, & obligatione mulieris, & de datione facienda per virum de bonis suis. Rub. LXXXVII.

SI qua mulier major decem & octo annis consenserit alicui obligationi, vel contractum aliquem, vel obligationem inierit, seu fecerit per scripturam publicam cum consensu duorum propinquorum ætatis vigintiquinque annorum, valeat, & non revocetur, dummodo jurent se esse propinquiores mulieris, & si patrem habuerit, requiratur, & sufficiat consensus patris, & aliter non valeat. Et datio in solutum alicui creditori facta de bonis viri sui, vel alterius obligati ad dotem vivente viro, non præjudicet ejus uxori, eo mortuo, quin ipsa mulier possit petere, & contra dicta bona procedere, & jura sua in ipsis bonis consequi; nisi creditor, qui recepisset talia bona in solutum, voluerit solvere ipsi mulieri dotem suam, cui creditori sic solventi ipsa mulier jura suæ dotis, & hypothecæ cedere teneatur. Et nulla mulier, vivente viro suo, possit, aut debeat contra eum cedere, vel dare actionem, vel aliqua jura suæ dotis, seu aliter jura sibi competentia. Nec alicui mulieri constante matrimonio intelligatur currere, aut cucurrisse aliqua præscriptio contra dotem, aut bona pro dote sibi obligata. Consensus autem mulierum præstitus in alienatione, vel obligatione bonorum sibi pro dote obligatorum, vel renunciatio hypothecarum, vel jurium competentium in ipsis, non præjudicet mulieri pro ipsa dote, nisi tempore dicti consensus, vel renunciationis supersint tot bona immobilia, ultra bona alienata, vel obligata, quæ sufficiant ad consequendum sua jura dotalia, & ad ipsius dotis satisfactionem, prout de jure communi disponitur, & per talem consensum, vel obligationem non rumpatur, vel diminuatur jus solidi, & receptio cedendarum actionum non possit eidem opponi.

Quòd venditiones, alienationes, & consensus faciendi per mulieres, fiant cum consensu duorum propinquorum. Rub. LXXXVIII.

FRagilitati sexus mulierum subvenire volentes, etiam circa extradotalia, cùm quoad dotalia adsit supra particularis dispositio Rub. 22. servanda in obligatione dotis nuptarum, prout in eadem continetur, providemus, quòd nulla mulier nupta Civitatis, vel districtus Pistorii, constante matrimonio, possit de bonis suis immobilibus alienare, vel se, vel bona sua aliqualiter obligare, vel consentire, vel juri suo renunciare, sine expresso consensu de præsenti duorum suorum propinquiorum agnatorum; & si non extarent propinquiores agnati, seù nollent consentire sine justa causa, habeatur recursus ad cognatos, qui sint ætatis ad minus annorum vigintiquinque completorum pro quolibet ipsorum, qui Propinqui jurent ad Sancta Dei Evangelia scripturis manu tactis se esse propinquiores dictæ mulieris, & bonæ conditionis, & famæ, & hoc si patrem non habeat; vel cum consensu patris tantùm ibidem præsentis, si esset in Civitate, vel Comitatu Pistorii, & credatur Instrumento, nisi contrarium probetur. Et si dicti Propinquiores primo loco citati, & re-

S quisi-

quisiti, infra decem dies post ipsam requisitionem factam, de qua legitimè per acta causarum appareat, non consenserint tali mulieri, tunc consensum prædictum præstent, & valeat si præstitum fuerit, per duos ipsius mulieris propinquiores agnatos secundi gradus, & si non haberet agnatos in secundo gradu, aut requisiti nollent consentire sine justa causa, dictus consensus præstetur per alios agnatos tertii gradus secundùm jus canonicum; at si qua mulier non haberet agnatos primi, secundi, vel tertii gradus, tunc requirantur cognati juxta ordinem suprascriptum, usque in tertium gradum: quòd si dictæ mulieres carerent propinquioribus, seu propinquis agnatis, & cognatis, ætatis annorum vigintiquinque ut supra, vel si essent mulieres forenses de extra districtum Pistorii, & in Civitate, vel districtu nuptæ, consensus prædictus præstari possit, & valeat per Operarios Sancti Jacobi Apostoli de Pistorio, vel majorem partem eorum, & per Magnificos DD. Priores dictæ Civitatis, vel majorem partem ipsorum. Et si propinquiores, qui juraverint, & consenserint, non fuerint propinquiores, sed adsint magis propinqui, tunc, & eo casu ipsi, vel alter eorum incidant in pœnam ad rationem librarum decem pro quolibet centenario librarum, ejus, quod in Instrumento contineretur, & nihilominus actus sit ipso jure nullus. Salvo quòd in procuratoribus ad causas, & locationibus ad modicum tempus, prædictus consensus non requiratur, quod si contrafactũ fuerit, non valeat, & non teneat ipso jure. Aliæ verò mulieres solutæ à matrimonio, etiam quoad bona dotalia, vel nõ nuptæ minores, circa earum bona, & jura, possint contrahere, & omnia prædicta facere, absque consensu propinquiorum, vel propinquorum, cum consensu tamen Operariorum Sancti Jacobi, vel DD. Priorum, seu per majorem partem ipsorum, aliàs Instrumentum sit nullum, & ipso jure nullum sortiatur effectum, nec fidem faciat, & prædicta locum habeant, non obstante quocunque, & quolibetcunque majori vinculo, quo muniretur. Si quis verò Notarius de prædictis alienationibus, obligationibus, consensibus, & renunciationibus sine prædicto consensu duorum propinquorum, aut propinquiorum, vel Patris, sive Operariorum Sancti Jacobi, vel Dominorum Priorum, aut Procuratoris, ut supra dictum est, publicum confecerit Instrumentum, puniatur ad favorem Communis Pistorii in libris vigintiquinque den. & quòd contrafactum fuerit, sit ipso jure nullum, excipiendo tamen Instrumenta mandati, & locationis ad modicum tempus, prout in mulieribus nuptis statutum est. Qui consensus infra quindecim dies proximè futuros debeant registrari per Notarium de eodem Instrumento rogatum in Libris ad hoc deputatis, tam apud DD. Priores, quàm DD. Operarios Sancti Jacobi respectivè, sub pœna privationis Officiorum Civibus illa habentibus tempore illius Reformationis, & non habentibus, sub pœna librarum vigintiquinque pro qualibet vice, applicanda pro ornamento Palatii dictorum Dominorum Priorum, & Sacristiæ Divi Jacobi respectivè.

Quòd

Quod mulier dotata non possit pro dote matris, vel aviæ agere contra bona alienata per patrem. Rub. LXXXIX.

STatuimus, & ordinamus, quòd nulla mulier, nec habens causam ab ea, quæ dotata fuerit in præterito tempore, vel futuro à patre, fratre, avo, aut proavo, possit petere, vel aliquid dicere contra bona, quæ alienata, vel obligata forent per patrem, fratrem, avum, vel proavum, prætextu dotis matris, aviæ, vel proaviæ, nec in illis bonis pretextu talium jurium dotium prædictarum, possessores eorum possit molestare, vel inquietare, si supersunt tot bona sufficientia restitutioni dotium maternarum non alienata, vel si tempore petitionis essent tot bona expedita, & non alienata, quæ sufficiant ad restitutionem dotium maternarum, quandò per formam Statutorum ei deferantur, facta tamen excussione.

De donatione propter nuptias. Rub. LXXXX.

STatuimus, quòd nulla mulier consequatur donationem propter nuptias, vel antefatum, si post mortem viri, filii, filiæve remanserint ex ambobus, scilicet viro, & uxore. Et si qua mulier de Civitate, aut districtu Pistorii deinceps post mortem viri infra octo menses alium virum acceperit, non habeat donationem propter nuptias, nec antefatum. Nec filii, nec mondualdi ante sex menses post mortem viri sui, nec hæredes defuncti possint eam expellere de domo defuncti, nec victum negare pro ea parte dotis, quæ sibi ab hærede restitui debeat.

Donatio propter nuptias non possit excedere quantitatem librarum vigintiquinque, ut in Stat. Rub. *Quod qui recep. dot.* Et non possit dicta mulier, nec hæres ejus occasione dictæ donationis retinere de bonis mariti, nisi quantitatem prædictam. Et quilibet creditor mariti possit solvere eidem dictas libras vigintiquinque, & consequi talia bona sine strepitu, & figura judicii.

De corredis dandis, & fulcimentis mulierum. Rub. LXXXXI.

PRovisum est, quòd quicunque matrimonium contraxerit in Civitate, vel Comitatu Pistorii cum aliqua muliere, absque aliquo pacto, vel conventione exinde facienda; habere debeat à muliere, & ejus patre vestimenta, quæ ipsa ejus mulier haberet tempore contracti matrimonii ad ejus usum, aliud autem pro corredis, sive bonis parafernalibus petere non possit. Eo salvo, quod die, qua uxor pergit ad domum viri pro matrimonio consumando, teneatur ipsa mulier, & ejus pater portare ad domum viri unum indumentum de novo factum congruum, & decens secundùm conditionem, & statum viri, & patris ejus, & mulieris, & patris ejus. Et si mulier, vel pater ejus specialiter aliquid promiserit per publicum, sive privatum Instrumentum, exprimendo singulariter res singulas per pactum promissas, quicquid promissum fuerit, portare teneatur. Si verò mulier, vel pater ejus promiserit quãtitatem, idest pecuniam solvendam in speciebus, seu rebus ad usum ipsius

mulieris, æstimatio rerum non faciat emptionem, sed solùm deserviat ad probandam solutionem quantitatis promissæ. Possit etiam mulier, vel pater ejus promittere, & solvere pro corredis quantitatem, videlicet pecuniam; & si casus restitutionis contigerit, non teneatur vir, seu hæres illius, muliere decedente ante quinquennium, restituere res pro corredis quoquomodo datas, nisi illas, quæ extant in eo statu, quo extant tempore restitutionis, & in locum consumptarum, & non extantium, intelligantur subrogatæ, quæ fuerunt factæ tempore constantis matrimonii, quæ modo prædicto restitui debeant, dum non excedant numerum assignatarum in corredis; quod si correda fuerint data in pecuniis, vir, seu hæres illius teneatur ad restitutionem illius quantitatis receptæ pro ea parte, pro qua dos est restituenda, ita ut si debeat lucrari dimidiam partem dotis ex forma Statuti, lucretur vir etiam dimidiam partem corredorum in quantitate constitutorum. Muliere verò decedente post quinquennium, lucretur vir tam correda constituta in pecunia, quàm in speciebus; & prædicta intelligantur, nisi extiterint communes filii, ad quos extantes lucrum pertineat. Et non teneatur vir de prædictis, & similibus rebus aliquid reddere, nisi solùm res, quas supra dari permissum est, nisi processisset ex pacto speciali, & de eo appareat, ut supra dictũ est, & similiter appareat de receptione rerũ prædictarum. Illa tamen pars dictorum corredorum, quæ per mulierem utendo consumpta esset non restituatur, nec ipse vir, aut hæredes ejus ad restitutionem teneantur; & qui contta prædicta fecerit, puniatur in libris centum. Quæ correda, & vestimenta non possint alienari, nec distrahi, etiam sub nomine pignoris sine expresso consensu mulieris, & duorum suorum propinquorum, de quo consensu legitimè constare debeat, & in dicto casu vir teneatur ad restitutionem eorum.

Qualiter mulier possit consequi dotem suam constante matrimonio.
Rub. LXXXXII.

NUlla mulier possit, constante matrimonio, dotem suam recipere, vel habere à marito, vel de bonis immobilibus mariti, nisi primò constaret Judici causarum civilium Communis Pistorii, quod maritus malè inchoaverit uti substantia sua per quatuor Testes, saltem de publica fama; & tunc facta fide prædicta, eligantur duo Arbitri ad mandata Judicis per Operarios Sancti Jacobi, quibus non eligentibus infra decem dies, eis per Judicem assignandos, ab ipso Judice eligantur, qui debeant æstimare bona mariti; & facta dicta æstimatione, Operarii Sancti Jacobi debeant declarare, an dictus maritus habeat bona æquivalentia ad restitutionem dictæ dotis, quam declarationem teneantur & debeant fecisse infra quindecim dies à die relationis prædictæ æstimationis, & instantiæ eisdem factæ pro parte mulieris post dictam relationem, sub pœna librarum quinquaginta pro quolibet Operario, applicanda Communi Pistorii; & secundùm æstimationem per eos factam possint à Judice, vel marito consignari mulieri bona, usque in quantitatem dotis, & aliter assignatio dotis, vel bonorum mariti traditio non valeat,

leat, & habeatur ac si facta non esset; & res assignatæ restituantur; Si autem creditor ipsius viri talis mulieris, cui facta fuerit consignatio, ut dictum est, voluerit solvere ipsi mulieri, vel ejus hæredibus dotem suam, ipsa mulier, & ejus hæres teneantur dimittere ipsi creditori bona sibi, ut dictum est, assignata, & ei cedere jura sua dotalia sibi in dictis bonis competentia, & cartam facere ad sensum Sapientis ipsius solventis, & hoc fieri possit ad voluntatem creditoris, vel creditricis, vel hæredum eorum infra duos annos inde secuturos; nisi ipsa mulier, vel ejus hæres velit solvere summam creditori debitam, qui teneatur cedere jura modo prædicto; quæ omnia locum habeant in dotibus assignatis, & assignandis, & in reassignandis terminus sit duorum annorum à die factæ assignationis. Pecunia verò, quæ pervenerit ad talem mulierem occasione prædicta, cùm reassignatio facta fuerit in præterito tempore, vel futuro, ut dictum est, converti debeat in emptionem possessionũ per dictã mulierem, ad hoc ut sit tuta de dote sua. Quod si maritus dederit suæ uxori dotem ejus, seu bona pro ipsa dote assignaverit, & post assignationem ipsam maritus decesserit, & post ejus mortem dicta uxor, & ejus hæredes talia bona possederint per duodecim annos pacificè, & quietè: ex tali assignatione, & possessione intelligatur esse, & sit verum dominium, & proprietas ipsorum bonorum assignatorum in ipsam mulierem, & ejus hæredes translatum; & assignatio prædicta in suo robore perseveret, non obstantibus suprascriptis, vel aliquo capitulo constituti, salvo tamen suo jure cuilibet habenti in ipsis bonis potiora jura. Antequam Arbitri prædicti eligantur, dicta mulier teneatur priùs in generali Consilio legi facere quòd ipsa vult suas dotes reficere, ex eo quia maritus vergit ad inopiam, & postea Judex prædicta banniri faciat publicè per Civitatem, & loca solita, quòd si quis vult aliquid dicere, opponere, vel jus sibi vindicare, compareat coram ipso Judice infra octo dies ad dicendum, opponendum, & petendum, quicquid vult, & de jure potest; quibus elapsis, procedatur ut supra dictum est. Et in casu dotis reficiendæ, ut prædicitur, ipso viro vivente, possit solùm, & dumtaxat reficere ejus dotes contra bona expedita, in eventum, in quem maritus habeat tot bona mobilia, seu immobilia æquivalentia restitutioni dotis; & in casum, in quem ipse non haberet in totum, vel in partem, possit pro illo toto, seu pro illa parte reficere dotes contra bona ultimo loco distracta, & alienata per virum si erunt æquivalentia, & si non fuerint, possit super aliis successivè sibi dotes reficere etiam contra bona soceri, vel fidejussorum ad restitutionem obligatorum per instrumentum confessionis, quando præcedit promissio restitutionis per instrumentum, aliàs contra bona obligata post confessionem. Quæ omnia observari debeant etiam in Potesteriis, aliàs sententiæ contra dictam formam latæ per Potestates locorum irritæ, & nullæ sint eo ipso, & executioni demandari non possint. Et in omnibus bonis quomodocunque obvenientibus alicui mulieri existenti in matrimonio, vir ejus possit uti, & frui unà cum sua uxore, dummodo pro aliquo debito ipsius viri ipsa bona, vel eorum fructus, & redditus gravari, molestari, vel tensiri non possint aliquo modo.

De

De acquisitis per uxorem vivente viro. Rub. LXXXXIII.

SI uxor acquisierit aliquid, vel ad ipsam devenerit quomodocunque vivente viro suo legitimo, ipse talis vir, ea uxore etiam nolente, vel invita, possit, & valeat unà cum tali uxore toto tempore vitæ ipsius uxoris uti, & frui præfatis bonis sic acquisitis, & fructus, redditus, & proventus percipere, nisi ipsa bona ad eam devenissent sub conditione, vel modo, nè fructus pervenirent ad virum, quo casu integer ususfructus sit ipsius mulieris, & non viri, vel nisi vir expulerit eam, vel malè tractaverit publica vicinorum opinione, vel nisi esset lusor, vel dilapidator suorum bonorum, vel sua negocia malè tractaverit; fructusque, & redditus præfatos per ipsum virum cum ea uxore consumptos, prædicta mulier, vel ejus hæredes ab eo, vel suis hæredibus repetere, vel recipere non possint. Si quid verò superesset de dictis fructibus tempore mortis sui mariti, quod non foret consumptum, ipsa mulier, & ejus hæres unà cum proprietate bonorum petere, & consequi possit post mortem viri, & quicquid etiam superesset tempore mortis ipsius mulieris. Quæ quidem bona dicta mulier nullo modo vendere, vel alienare sine consensu sui viri possit, & si alienaverit, talis alienatio ipsi viro non præjudicet. Quæ bona ipsa mulier, & fructus, redditus, & proventus eorum defendere possit à quocunque, & contra quoscunque creditores viri, & super ipsis, vel eorum fructibus, & proventibus, nullum jus competat, vel competere possit alicui creditori ipsius viri, etiam ipso viro volente.

Quòd nulla mulier, vivente viro suo, possit defendere bona viri sui, nisi in certis casibus. Rub. LXXXXIV.

NUlla mulier, vivente viro, possit defendere bona sui viri contra aliquos ejusdem viri creditores, nisi contra creditorem, vel creditores, qui essent obligati eidem mulieri ad dotem, vel donationem, vel augmentum dotis; bona verò, quæ mulier dedisset ipsi viro inæstimata in dotem, ipsa mulier defendere possit à quolibet, & contra quemlibet creditorem. Viro autem mortuo, nulla mulier, vel hæres ejus, & nullus, cui ipsa jura sua cessit, possit bona viri defendere, si aliquis creditor vellet eidem dotem, donationem, & dotis augmentum solvere. Et si prior creditor, vel sequens voluerit solvere debitum, videlicet sortem, & expensas, non possit mulier alteri cedere jus suum prædictum, nisi illi creditori, qui eidem creditum suum solverit, & tali solventi jus cedere teneatur.

Quòd filii non possint petere dotem matris, vivente patre. Rub. LXXXXV.

FIlii, vel nepotes, seu neptes ex filio alicujus mulieris, vel habentes ab eis, vel aliquo eorum titulum, jus, vel causam pro jure eis, vel alicui eorũ competenti pro dote, ejus augmento, vel donatione propter nuptias, vel hæreditate, seu successione alicujus mulieris defunctæ, vivente patre dictorum filiorum, vel avo dictorum nepotum, marito olim ipsius mulieris præmortuæ, non possint agere, vel aliqualiter experiri contra aliquem obligatum
ad

ad ipsam dotem, augmentum, vel donationem quoquomodo, vel ad bona obligata per ipsum patrem, avum, vel fidejussorem, vel alios secum obligatos, nisi filii prædicti, vel nepotes, & eorum pater, vel avus essent simul inopes, & vivere non possent, quo casu liceat ex dictis bonis percipere alimenta.

De tacita hypotheca bonorum. Rub. LXXXXVI.

OMnibus, & singulis obligatis, vel in futurum obligandis principaliter, vel accessoriè ad restitutionem alicujus dotis augmenti dotis, vel donationis propter nuptias pro aliquo, vel simul cum aliquo marito præsente, vel futuro, omnia bona præsentia, & futura ipsius mariti, pro ipsa dote data, vel confessa, augmento dotis, vel donatione propter nuptias, absque aliquo actu, vel facto à tempore obligationis, vel fidejussionis, vel confessionis dotis sint realiter obligata, & hypothecata cum effectu pro conservatione indemnitatis ipsius obligationis. Et hujusmodi obligatio, vel alia quælibet non tollatur, nec lædatur per aliquem consensum, renunciationem, vel alium actum, qui fieret per talem mulierem, seu uxorem in venditione, seu quacunque alia alienatione, vel obligatione hujusmodi bonorum, in præjudicium ipsorum obligatorum: nec talis consensus noceat, quin tales obligati pro ipsa dote possint habere regressum ad ipsa bona contra quoscunque, quæ omnia habeant locum in futurum tantùm. Emptores autem gabellarum, & proventuum Communis Pistorii habeant tacitam hypothecam in bonis eorum, qui tenentur ad solutionem gabellarum, & proventuum ex die qua contrahent talem obligationem, quæ tacita hypotheca, præferatur expressè posteriori; & quam hypothecam, & obligationem habeant & omnes alii fidejussores pro quacunque causa pro conservatione indemnitatis ipsius obligationis, ut dictum est Rub. 49. *de solut. fac. pro alio.*

De muliere decedente infra quinquennium. Rub. LXXXXVII.

MUliere nupta decedente in secundo matrimonio infra quinquennium sinè Filiis masculis, vel fœminis ejusdem secundi matrimonii, medietas illius dotis spectet ad virum, ad quem pariter spectet, si decedat infra quinquennium in primo matrimonio sinè filiis: Altera verò medietas, decedente muliere, ut supra, sinè filiis secundi matrimonii, spectet ad Filios masculos primi matrimonii; eisque non existentibus, ad Filias fœminas; postmodum ad Patrem, & post Patrem ad Fratres, vel nepotes masculos, non sublato inter eos jure repræsentationis, prout de jure; deindè ad sorores consanguineas; quibus non existentibus, spectet ad neptes ex fratre; eisque pariter non existentibus, pertineat ad eos, vel eas, qui, vel quæ succederent de jure communi; hoc tamen declarato, quod masculi semper præferantur prædictis fœminis in eodem gradu, & Maritus, vel ejus hæres, vel Pater mariti (si ipse Pater dotem recepit) cogantur respectivè eam restituere; Pater verò, si consensit Filio dotem recipienti obligetur ad dotis restitutionem, dummodò commoretur in una familia cum Filio, & Uxore, excepto casu si Filius sit publicus mercator, in quo, vel quando non commoretur cum Patre, nullate-

latenus ipse Pater obligetur, nisi illius expressus consensus tempore receptæ dotis interveniat.

Item addimus, & declaramus, quòd ubi Pater, & Filius insimul dotem recipiunt, & pro restitutione in solidum obligantur, si Filius mercetur, & habitet cum Patre, & in una familia permaneat, intelligatur dotem totaliter ad Patrem pervenisse, & ipse solus teneatur, si illius bona, & facultates restitutioni dotis sufficiant, aliàs in residuo teneantur maritus, & illius hæredes. Si autem Filius publicè mercetur, & divisa familia se gubernet, tunc bona utriusque sint, & remaneant, & intelligantur efficaciter obligata favore dotis.

Et si quis habuerit prædium in dotem pro fundo dotali, & contigerit, quòd in eodem fecerit aliquas expensas, in casu restitutionis medietatis ipsius prædii statuitur, quod reficienda sit marito expensarum medietas ab eorum factarum in dicto prædio, ab illis, quibus facienda sit dicta medietatis prædii restitutio, exceptis expensis voluptuariis, & habita ratione ad quid impensum, & ad quidelioratum, nisi ageretur de expensis necessariis, in utroq. quorum casuum reficiantur expensæ, juxta dispositionem juris communis.

Muliere verò decedente post quinquennium, nihil de dote restituatur, & idem observetur circa correda, quæ tamen, decedente muliere infra quinquennium, omnia restituantur, quæ supersunt in eo statu, & terminis, in quibus reperiuntur, & ut disponitur supra Rubr. 92.

Verùm si extiterint Filii communes, lucrum dotis, tam in casu decessus intrà quinquennium, quàm decessus post quinquennium, spectet ad eos, & non ad Patrem, cui tantùm ususfructus quæratur; declarando, quòd muliere decedente in matrimonio cum Filiis secundi matrimonii, nihil prætendere, aut consequi possint filii primi matrimonii, exceptis pactis contrariis initis in capitulis matrimonialibus cum secundo Viro.

Præmissa autem omnia, declarantur, congruà habita relatione, quòd si mulier decedens in secundo matrimonio sinè Filiis secundi Viri intra quinquennium, fecerit aliquam convenientem dispositionem pro anima sua, juxta proportionem dotis (de quo stetur arbitrio Operariorum S. Jacobi) medietas solvatur de parte dotis, quæ revertitur, & medietas de parte, quæ remanet penès Virum; & idem intelligatur dispositum circa expensas funeris, pro quibus disponitur, quod competat prælatio, etiam in concursu hypothecæ anterioris expressæ; dummodo talis impensa non sit immoderata, inspecta qualitate personarum; de quo etiã stetur judicio Operariorum S. Jacobi, sicuti eadem obtineant circa expensas ultimæ infirmitatis non excedentis terminum quadraginta dierum. Verùm si mulier decedens in matrimonio intra quinquennium non habeat filios, vel filias primi, vel secundi matrimonii, nec Fratres ex latere Patris, vel filios eorundem Fratrum, tunc eidem liceat suo arbitrio in ultima voluntate disponere de medietate dotis, quæ nõ remanet penès Virum; cum conditione tamen, quòd dispositio fiat, cum consensu, & authoritate ejus, in cujus sit potestate, nempè Patris, vel Avi, si eos habeat, præsentialiter, & contestualiter interponenda; qui si aliquo modo sint impediti, Procuratorem specialem ad id constituere debeant; si verò

rò intervenire recuſent, vel impediti recuſent Procuratorem ſpecialem conſtituere, vel ſi abſentes ſint, in quolibet dictorum caſuum debeat à Judice dari ſpecialis Curator, qui vices Patris, vel Avi ſuppleat; aliàs diſpoſitio talis mulieris ſuſtineri non poſſit, niſi in caſu repentinæ mortis prædicta expleri non valeant, de quo legitimè conſtare debeat; eodemque caſu loco Patris, vel Avi debeat adhiberi Parochus loci, ut mulier non ſeducatur à Viro, & liberè poſſit diſponere.

Si verò mulier non habeat filios primi, vel ſecundi matrimonii, ſed habeat ex latere paterno fratres, vel nepotes, & decedat intra quinquennium, poſſit in ultima voluntate relinquere ad rationem librarum decem pro quibuslibet libris centum; Exiſtentibus verò filiis, vel ſi poſt quinquennium decedat à die contracti matrimonii ſuperextante viro, poſſit pro quibuslibet libris centum relinquere tantùm quinque libras. Declarantes, quòd circa ſucceſſiones dictarum dotium non detur duplex patrimonium reſpectu fœminarum.

Quod qui receperit dotem, in cauſa reſtituendæ dotis poſſit realiter, & perſonaliter conveniri. Rub. LXXXXVIII.

QUilibet teneatur, & debeat facere donationem propter nuptias uxori ſuæ à libris quinque, uſque in libris vigintiquinque, & non ultra, ſecundùm quod placuerit ipſi viro; & ſi nihil donatum eſſet, intelligatur facta donatio, ſi dos eſset de libris centum, vel infra, librarum quinque; à libris centum ſupra uſque in libris quadrigentis de libris decem; à libris quadringentis ſupra uſque in libris octingentis, librarum quindecim; ab inde verò ſupra, librarum vigintiquinque. Quæ donatio propter nuptias reſtitui debeat dictæ uxori mortuo viro, niſi ſuperſint unus, vel plures filii, aut filiæ, nepotes, vel pronepotes ex filio maſculo, quo caſu extantium liberorum habeant dotem ſuam tantùm, & id quod ultra eam vir eidem legaſset. Ad reſtitutionem verò dotis receptæ, vel confeſſæ, vel augumenti ejus in totum, vel in partem, & donationis propter nuptias, quilibet obligari poſſit quomodolibet in eodem Inſtrumento cum Viro, vel ſeparatim etiam ex intervallo per ſe, vel Procuratorem, ſeu negociorum geſtorem cum ratihabitione dictæ obligationis factæ per negociorum geſtorem; & executio fieri poſſit contra taliter obligatos, ac ſi perſonaliter obligati eſſent, tanquam fidejuſsores efficaciter obligatos unà cum dicto Viro; Et Inſtrumenta dotis, augmenti, & donationis propter nuptias, tanquam Inſtrumenta guarantigiata certum terminum continentia (pro quo certo termino in Inſtrumento contento habeatur mors Viri, vel Vxoris) ſoluto matrimonio executioni mandentur ad voluntatem petentis realiter, & perſonaliter, etiam incipiendo à captura contra quoque hæredes viri, & quoſcumque obligatos ad inſtantiam ipſius mulieris, vel ejus hæredum, ſeu ejus, cui jura ſua ceſserit, poſt ſex menſes à die obitus dicti ſui viri. De probatione mortis viri, vel uxoris, ſufficiat ad executionem obtinendam conſtare per juramentum petentis dotem, augmentum ejus, & donationem propter nuptias; Si verò mors negaretur tunc,

ultra juramentum, probari debeat mors per quatuor testes, de publica fama deponentes talem esse mortuum, vel mortuam, qua probatione facta, talis negans condemnetur in libris quingentis Communi Pistorii, nisi infra terminum, qui sibi statutus fuerit per Judicem, probaverit talem vivum, vel vivam, & tunc, & eo casu, quo appareret illum, vel illam, quæ, & qui diceretur mortuus, vivere, jus dotis, & donationis sit extinctum, & sublatum, nec in perpetuum peti possit. In quibus omnibus casibus suprascriptis procedi possit nulla juris, vel Judicii substantia, vel solemnitate servata, & omni appellatione, & nullitatis oppositione, consilii petitione, & quavis exceptione, & defensione rejectis. Et captura fieri possit pro prædictis in quocunque loco, etiam domi suæ propriæ habitationis, & omni tempore quantumcumque feriato, seu prohibito per formam Statutorum, donec integrè satisfactum fuerit, & non obstante aliquo pacto, vel conventione habita cum obligatis de bonis vendendis, alienandis, vel obligandis. Et quilibet obligatus, qui solverit, vel solvere coactus fuerit in totum, vel in partem dotem, & ejus augmentum, & donationem propter nuptias, habeat regressum contra virum, & ejus hæredes, & bona pro recuperatione ejus, quod solverit, vel coactus fuerit solvere in solidum.

Contra correos autem, aut ad dotem augmentum, & donationem obligatos, & eorum hæredes pro recuperatione prædicta, solùm pro rata sibi correo, seu obligato contingente pro virili portione, etiam nulla facta cessione (quæ cessio fieri debeat taliter solventi in totum contra virum, & ejus hæredes, vel pro rata, seu portione virili contra alios obligatos (ut supra dictum est) absque aliqua solutione Gabellæ pro hujusmodi cessione facienda per aliquem, habeat regressum. Quod si de dote, & ejus augmento, & donatione propter nuptias alicujus mulieris per Instrumentum publicum doceri non possit, provideatur mulieri, & ejus hæredibus ex supra dispositis in Rub. LXXVIII. Quæ omnia D. Commissarius, & ejus Judex facere, & executioni demandare teneantur ad instantiam petentium, sub pœna librarum ducentarum applicandarum Communi Pistorii.

Mulier verò, quæ post mortem viri remanserit, & discesserit de domo sui viri defuncti prædicti, vel ejus hæredum, consequatur ad rationem librarum quinque denariorum pro quolibet centenario suarum dotium per dictum semestre, ut supra datum ad restitutionem faciendam, & non ultra.

Salvo quòd si hæredes mariti, vel alii obligati ad dotis restitutionem, elapso mense post sex ordinatos à Statuto ad restitutionem dotis, & postquam pro parte mulieris fuerint requisiti, & interpellati de restituenda dote, illam non restituerint, in casu prædicto dicta mulier consequatur quinque pro centenario, donec fuerit integraliter facta restitutio dictæ dotis, ad quam cogere possit hæredes, & alios obligatos, ad ejus beneplacitum.

Quæcumque verò mulier, quæ vidua remanserit, sive remaneret sine filiis, & decesserit quandocunque sinè filiis, tertia pars ejus dotis perveniat, & pervenire debeat, sivè redire ad patrem, fratres, seu nepotes ex masculo si quos haberet; si verò patrem, fratrem, sivè nepotes non haberet, redire debeat ad

quos-

quoſcumque alios proximiores, & conſanguineos maſculos agnationis, & familiæ dictæ mulieris; De reſiduo autem dotis in caſu prædicto præfata mulier poſſit facere, & diſponere pro libito voluntatis, & prout ſibi videbitur, & placebit.

De muliere habente filios ex primo matrimonio ad ſecundas nuptias tranſeunte. Rub. LXXXXIX.

STatuimus, quòd ſi quæ fœmina habens filios de primo matrimonio voluerit ad ſecundas nuptias tranſire, poſſit, & ſibi liceat dare dotes ſuas cum illis pactis, conditionibus, declarationibus, & conventionibus, prout ei videbitur, & placebit; quæ omnia obſervari debeant, non obſtante aliquo Statuto, & capitulo in contrarium diſponente; & ſi nihil inter eos declaratum, aut conventum fuerit, intelligatur dediſse dicto ſecundo viro omnes ſuas dotes, quæ lucrentur à dicto viro juxta formam Statutorum. Quæ obtineant in præjudicium etiam filiorum aliorum maritorum, non obſtante L. hac edictali Cod. de ſecund. Nupt. & qualibet alia Lege contra diſponente, quibus intelligatur derogatum, ac ſi ad verbum ſpecialis mentio haberetur.

Dotatio autem prædicta fiat ut ſupra dictum eſt, & ſecundùm conventiones, & pacta, contenta in Inſtrumento, ſeu ſcriptura matrimonii; & hæc locum habeant in matrimoniis contractis hactenus à die antiqui Statuti ſub dicta Rub. & de cœtero contrahendis.

Delle Succeſſioni ab inteſtato. Rub. C.

STatuiamo, & ordiniamo, che quando alcuna perſona morrà ab inteſtato, o ſia in età, che poſsa fare teſtamento, o non ſia, la ſucceſſione appartenga prima a' figliuoli, nipoti, e pronipoti maſchi per linea maſcolina, ed agl' altri deſcendenti maſchi per il ſeſso virile, e mancando queſti, s'appartenga alle figliuole, ed a'loro deſcendenti, che ſieno a dette femine in più proſſimo grado di ſucceſſione, ſecondo la preſente Legge; riſervato nondimeno al Padre l'uſufrutto nella metà dell'eredità, anco dove ſi trattaſse di peculio caſtrenſe, o quaſi caſtrenſe. Nel ſecondo grado s'aſpetti l'eredità pro virili al Padre, ed a' fratelli agnati, e nepoti maſchi di fratello agnato, e dopo a' predetti, ſecondo la ragion comune, a gli aſcendenti paterni; Dichiarandoſi, che le femine, ſecondo la preſente diſpoſizione eſcluſe per l' eſiſtenza de' maſchi, ſieno reintegrate, ed ammeſse alla ſucceſſione nel caſo che detti maſchi, che l'eſcludono, repudino l' eredità, o ſi dichiarino formiter non volere eſſere eredi, con poterſi ſopra di ciò interpellare da dette femine. In oltre nel caſo dell' eſſere eſcluſe le figliole, o deſcendenti femine, poſſano nondimeno, e debbano dette femine, quando non ſaranno dotate, nè averanno di dove poter aver la dote, dotarſi convenientemente de'beni del Padre, della madre, dell'avolo, del proavolo, dell' avola, o proavola, o dell' eredità, di cui ſi tratta, e finchè non ſaranno maritate, debbano de' beni di d. eredità conſeguire gli alimenti, per i quali, e per la dote ſieno detti beni obbligati. Ma ſe ſi troveranno maritate dal padre, o dalla madre, dall'avolo, pro-

T 2 avolo,

avolo, avia, o proavia, o da qualsivoglia persona in qualsivoglia modo, non possano conseguire de' beni de' predetti cosa alcuna per dote, o per qualsivoglia altra causa stanti i descendenti maschi, e per linea masculina della persona defonta, come si è detto; riservato a dette femine, che se alcuna dopo sarà stata dotata rimanesse vedova, possa tornare, e stare in casa del padre, e degli altri ascendenti soprascritti.

Dopo a gli antedetti di sopra nominati, non si ritrovando alcuno di loro, succedano quelli della famiglia, cioè gli agnati maschi inclusivamente sino al quarto grado di ragion Canonica, servata la prerogativa gradatamente della prossimità nel succedere, e venga talmente esclusa anco la madre dagli agnati maschi, che se la persona defonta averà un fratello, o nipote di fratello carnale, o alcuno descendente per linea mascolina dal padre di detta persona defonta, o sia vivo l' avo paterno, o il zio, o il figliuolo del zio, o il patruo magno, cioè fratello dell' avolo, o il figliuolo di detto patruo magno, non sia chiamata allora la madre alla successione del figliuolo, o della figliuola morti ab intestato, ma possa conseguire gli alimenti da' loro beni, quando non averà da alimentarsi commodamente. E se non si ritroveranno alcuni de' sopranominati, e che la madre non avrà fatto inguria a' figliuoli con passare ad altre nozze, in questo caso succeda al figliuolo, o alla figliuola nella quarta parte de' beni, fuori che nelle case dell' abitazione del defunto, e de' suoi maggiori, purche la quarta parte non ecceda la somma di cinquecento ducati, ed il resto dell' eredità pervenga alli agnati, come di sopra.

L' Avola poi, e proavola paterna, o materna, e l' avolo, e proavolo materno, ed i congiunti, e collaterali de' predetti, e della linea materna, non solo sieno esclusi dagli agnati del d. quarto grado, ma dopo gli agnati di detto quarto grado, avanti a loro sia chiamata la sorella agnata, ed i suoi figlioli maschi solo del primo grado, e dopo la sorella, e suoi figlioli maschi del primo grado, succeda la madre, quale nel caso dell' essere esclusa dalla figliuola, o figliuolo di essa, succeda nientedimeno nella quarta parte, come si dispone nel precedente §. *E se non si troveranno*.

Dipoi appartenga l' eredita alle agnate femine, ed a' cognati descendenti, e congiunti per linea di femine agnate, e per il lato paterno, salva la prerogativa del grado, secondo la disposizione di ragion comune dell' Imperio Romano, e dipoi si deferisca la successione agli agnati, che saranno in quinto grado.

A gli ascendenti nondimeno prossimamente esclusi, quando non averanno da potersi commodamente alimentare, debbano somministrarsi gli alimenti, come s' è detto della madre; e la sorella esclusa dall' eredità, e non maritata, nè professa in monastero, quando non averà da potersi dotare; ed alimentare, deva alimentarsi, e convenientemente dotarsi de' beni del fratello.

E sia luogo alla successione ab intestato ne' casi soprascritti, quando il padre, o la madre, o l' avolo, o l' avola, o alcun' altro delli ascendenti con titolo onorifico, o con ragione d' instituzione, non instituirà eredi in parte dell' e-

dell' eredità, o in qualche cosa certa alcuno de' descendenti, il quale sia tenuto instituire di ragione, e che tale succedesse secondo la forma della presente Legge ab intestato.

Si conservino nondimeno i Lassi, e Legati a'pii luoghi, e alle persone nominate nell' ultime volontà; E il medesimo, che s' è detto del testamento degli ascendenti, s'osservi ne'descendenti quando non instituiranno il Padre, o altri descendenti, che dovessero instituire, purche sieno tali, che non vengano esclusi ab intestato per questo Statuto.

E non si possa impugnare alcun testamento per alcuna donna, o suoi descendenti non chiamati secondo l'ordine della presente Legge alla successione ab intestato, se bene i predetti di ragion comune delle leggi de' Romani potessero succedere, o preteriti, o diseredati, impugnare il testamento; ma se non sarà lasciato loro cosa alcuna, o beni di quelli, a' quali in questo Statuto è riservata la ragion della dote, e degli alimenti, o dell' abitazione, tale ragione resti loro ferma; e se sarà stato lor lasciato alcuna cosa in qualsivoglia modo, purchè sia bastante per la dote, e per le ragioni di sopra riservate, non possano oltre a ciò domandare altro, e sia tenuto il Sig. Commissario, e suo Giudice contro le predette cose, o alcuna di esse, dette donne, e loro descendenti, non udire, nè ammettere la loro petizione, ma incontinente assolvere i convenuti, quali anco s' intendano per l' istessa ragion d'autorità della presente Legge, assoluti; questo capitolo sia preciso, nè si possa altrimenti interpetrare, e se in esso sarà alcuna parola oscura, e dubbia, s' intenda secondo l' interpretatione, e l'intelletto del reo convenuto. Nelli altri casi poi non compresi, s'osservi la ragion comune delle leggi de' Romani.

De modo succedendi in fideicommissis. Rub. CI.

Statutum, & ordinatum est ad tollendas varias Doctorum opiniones, quod in omnibus, & singulis fideicommissariis successionibus attendatur proximitas testatoris gravantis, non autem personæ ultimo loco defunctæ gravatæ, per cujus obitum fit locus successivo fideicommisso, itaut extincta una linea, & descendentibus ex ea, alio, ex alia linea vocato proximior testatoris gravantis, non personæ gravatæ ultimo loco defunctæ vocatus intelligatur, & fit ad dictum fideicommissum. Et idem observetur, quando deficiente uno genere vocatorum fit diversio ex dispositione testatoris ad aliam personarum conditionem, veluti a masculis ad fœminas, à descendentibus ad transversales, ab agnatis ad cognatos; in quibus casibus, vel similibus supra expressis, ille præferatur in dicta successione fideicommissaria, qui fuerit in proximiori gradu conjunctus cum testatore gravante, nullo habito respectu proximitatis personæ gravatæ ultimo loco defunctæ, per cujus obitum efficitur locus successivo fideicommisso. Declarantes tamen, quod uno, vel pluribus institutis, & per fideicommissum substitutis inter descendentes ab eodem, vel ex eadem linea instituto, & instituta, & per fideicommissum substituto, & substituta attendatur proximitas gravati, & non gravantis; itaut ille vocetur ad successionem fideicommissi, qui fuerit in proximiori gradu conjun-

conjunctus cum persona ultimo loco defuncta gravata, non obstante quod alius esset æquali, vel proximiori gradu conjunctus testatori gravanti, in quo tamen casu, etiam successivo fideicommisso proveniente à patre, & ejus ascendentibus, vel aliis agnatis conjunctus ex latere tantùm paterno, sit in omnibus, & per omnia paris conditionis, & concurrat cum fratre, qui fuerit tali defunctæ personæ ex utroq; latere conjunctus. Et ita precisè observari statutum fuit, nisi testator, qui fideicommissum fecit in ejus testamento verbis expressis aliter disposuerit; quo casu ipsius dispositio penitus attendatur, non obstante præsenti Statuto.

De liberis in conditione positis. Rub. CII.

Liberi utriusque sexus etiam nullo modo gravati, in conditione tam expressa, quàm subintellecta, etiam per ablatiuum absolutum positi, censeantur ex testamento, nedum ascendentis, sed etiam extranei ad fideicommissum vocati, & dicantur hæredes, seu fideicommissarii in testamento scripti, non obstante favore agnationis, piæ causæ, vel alienationis prohibitione, & patri gravato non sit permissum jus eligendi unum ex pluribus, cui hæreditatem deferat. Et masculi præferantur fœminis in eodem gradu, nisi aliàs à Testatore dispositum fuerit.

De utrinque coniunctis. Rub. CIII.

Statuimus, quod in successionibus ab intestato, etiam quando per dispositionem Statutorum tractatur de excludendis fœminis propter masculos, & de excludendis cognatis propter agnatos, frater utrinque conjunctus, seu fratres utrimque conjuncti, & eorum filii semper præferantur conjunctis ex uno latere tantùm, & frater consanguineus in successione fratris consanguinei non excludat fratrem uterinum, tantùm in dotibus, & rebus maternis.

Quod liceat unicuique non habenti filios legitimos, & naturales legare filiis naturalibus, & in quo possint succedere. Rub. CIV.

Liceat unicuique de Civitate, vel districtu Pistorii non habenti filios legitimos, & naturales masculos, vel fœminas, seu descendentes legitimos, & naturales ab eis, vel alios agnatos masculos, vel fœminas, vel descendentes ab eis usque in tertium gradum inclusivè in sua ultima voluntate legare, seu relinquere bona, seu de bonis suis filio, vel filiæ, si habuerit, naturali spurio, vel spuriæ, vel qualitercunque quæsito, & non legitimo, & naturali usque in quartam partem ejus hæreditatis. Et ab intestato possit succedere non existentibus aliquibus de prædictis in tertia parte bonorum dicti sui patris, sive unus, vel una sit, sive plures, non obstante aliquo jure civili novo, vel veteri, & specialitèr Auth. licet C. de nat. lib. Si verò aliqua de supradictis personis extiterit, possit pater filio, vel filiæ naturali, vel spurio, vel qualitercunque quæsito relinquere, vel legare usque in quartam partem bonorum, quæ ab intestato eidem contingerent, si esset filius legitimus, & natura-

turalis. Statuitur quoque, quòd qui solitus sit legitimare, & habeat authoritatem legitimandi, sufficiat eam probare per publicam vocem, & famam. Nullus tamen possit legitimari, nisi intervenerit expressus consensus patris.

De laboratoribus terrarum. Rub. CV.

STatuimus; quòd tenentes in conductionem aliquam terram ab aliqua persona ad medium, vel ad tertium, vel ad quartum, vel ad quintum, sivè terras triticales, ante fructuum secationem, vel recollectionem, debeant dominos terrarum requirere super hoc, ut intersint recollectioni, & triturationi, vel faciant interesse per se, vel suum nuncium; & qui contrafecerir, & sic non observaverit, puniatur in libris quinquaginta, applicandis pro dimidia Communi Pistorii, pro quarta parte Rectori exigenti, & pro quarta parte Domino, quotiescunque contrafecerit, & nihilominus condemnetur ad restitutionem dupli damni, quod inde dominus, vel domina dixerit se passum fore cum juramento, quod juramentum non excedat quantitatem librarum viginti den. & de requisitione facta de domino, credatur Sacramento laboratoris, & unius testis, & idem fiat de pratis, quam requisitionem faciat per unum diem præcedentem ante recollectionem, & triturationem; itaquod ipsa die requisitionis, vel sequenti in area non ponat, nec removeat blada de meta, nec ipsam metam destruat, vel tangat, antequam veniat dominus, vel domina, vel nuncius eorum. Qui tenentes terras teneantur, & debeant dimittere frumentum, secale, ordeum, lupinos, & fabas, & alia blada in campo, seu terra conducta, & in ipso campo, seu terra facere aream, & ibi triturare sub dicta pœna, & nihilominus conrrafaciens puniatur, & condemnetur ad restitutionem dupli damni exinde domino, vel dominæ secuti, de quo stetur Sacramento, ut supra dictum est. Et secatio, & trituratio fieri debeat per conductorem eo tempore, quo denunciatum fuerit, & aliter non prosit sibi requisitio. Et si quis negaverit habuisse, vel habere in conductionem ipsam terram, vel secasse, vel triturasse, puniatur pœna dupli, & in inveniendo, & puniendo quilibet officialis, & etiam damnorum datorum sit sollicitus, & favorabilis, dummodo procedi non possit nisi domino, vel domina quærelante, vel denunciante. Nullus tamen de Civitate, vel Comitatu Pistorii, vel aliunde cujuscunque conditionis existat, audeat, vel præsumat noctis tempore extrahere, transmutare, exportare, secare, vel colligere de aliquo campo, vel horto frumentum, secale, ordeum, fabas, mileum, sagginam, panicum, vel aliud quodcunque bladum, vel legumen, vel triturare, seu battere de nocte, sub pœna lib. quinquaginta, vice qualibet à contrafaciente incurrenda, & nihilominus, ultra dictam pœnam fustigetur de die, & cuilibet liceat, & licitum sit accusare, & denunciare contrafacientes, & habeat medietatem condemnationis, & alia medietas sit Communis Pistorii, salvo quod noctis tempore possit triturare, & battere mileum, & panicum in suo campo proprio, vel conducto collectum, & cum operibus conductis per eum publicè, & non solus aliquo modo, sed cum dictis operibus bonæ conditionis, & famæ, & non aliter, nec alio modo, sub pœna prædicta.

Quod

Quod confessio facta per conductorem, nullo modo prajudicet Domino. Rub. CVI.

NUlla confessio, vel promissio facta per conductorem alicujus domus, vel apothecæ, vel alterius ædificii, vel terræ, in hujusmodi domo, apotheca, ædificio, vel terra, ignorante, vel non consentiente primo locatore, vel ejus hæredibus, & possessore talium rerum locatarum, possit ipsi locatori, vel hæredibus ejus aliquod præjudicium generare, & quid in contrarium factum fuerit, non valeat, & non teneat ipso jure, salvis dispositis in Stat. Rub. de disgumbrando. Et conducens, vel promittens, qui contra prædicta fecerit, condemnetur per D. Commissarium Civitatis Pistorii in libris vigintiquinque; & qui promissionem, vel confessionem acceperit, seu receperit, condemnetur in libris centum, & Notarius, qui de tali confessione, & promissione confecerit Instrumentum, teneatur, & debeat, ac compellatur de facto per dictum Commissarium sine alicujus petitionis, vel libelli oblatione dare petenti, qui dixerit talem rem ad se pertinere, copiam talis Instrumenti, ita quòd de jure valeat; & si quis habuerit in conductione bona immobilia, & negaverit bona prædicta in conductione, puniatur in libris centum, applicandis pro dimidia Fisco, pro quarta parte Domino bonorũ, & pro alia quarta parte Rectori exigenti, & nihilominus non obstante negatione prædicta, cogatur ad relaxandum liberè bona locatori sine strepitu, & figura Judicij summariè, & non obstante exceptione præscriptionis.

De terris, vineis, & domibus conductis non dimittendis. Rub. CVII.

NOn permittam ante terminum præfinitum dimittere terram, unde redditur affictus ad tempus, vel in perpetuum, & si contrafactum fuerit, cogam affictalem, vel tenentem terram ad affictum, ut teneat terram ad affictum, & interesse, præstet illi, cui affictus redditur. Et similiter cogam conductorem, qui terram ad laborandum ad medium conduxerit, ad præstandum medium, & interesse illi, qui sibi terram ad medium locaverit; & si fuerit dimissa, & postea fuerit mihi reclamatum, faciam reverti in pristinum statum, nisi per manifestam paupertatem dimittentis remanserit; manifestam autem paupertatem intelligimus, quando affictalis est persona inhabilis puta non sanus, vel senex inhabilis ad laborandum, non habens alias possessiones. Et idem servetur in possessionibus, & quolibet redditu cujuscunque rei, & non intelligatur inhabilis ad laborandum qui laborat alias terras.

Declarantes, quòd finito termino locationis, intelligatur terra reconducta, nisi fuerit renunciata per conductorem per totum mensem Januarii ultimi anni, vel per locatorem dictum, quod vult alii locare, & idem intelligatur de terris prativis, & vineis terrestribus, de castaneis, & olivis, dummodo vinea ultimo anno semper relaxetur novo laboratori, sive domino dictorum bonorum, etiam si dictus vetus colonus non habuerit primo anno locationis sibi factæ dictam vineam, salvis tamen pactis factis inter dictum colonum, & dominum in scriptura dictæ locationis contentis; & idem intelliga-

Disdetta Colonica vedi la Legge del 2. Ag.° 1785.

liga-

ligatur de castaneis, olivis, & aliis fructibus, scilicet quòd pertineant ad novum laboratorem, vel dominum bonorum. Et eadem protestatio fiat, & fieri debeat, ac idem observetur in domibus, & apothecis, & terris hortivis per quatuor menses ante finitum tempus locationis, aliàs intelligantur esse, & sint reconductæ pro alio anno sequenti. Quæ protestatio sit necessaria, etiam si scriptura locationis facta fuerit per unum tantùm Annum. Et in ultimo anno præfati laboratores teneantur, & obligati sint dimittere terram sodam, incultam, & non seminatam, videlicet, tertiam partem quandocunque prædium, sivè fundus locatus excedit mensuram trium cultrarum, & quandò est trium cultrarum, vel minus, non liceat laboratori modo aliquo ibi seminare lupinos pro semine, neque in ultimo, neque in aliquo anno, & à mensura dictarum cultrarum trium ultra, possint seminare ad rationem viginti cultrarum unam cultram, & non ultra ad lupinos; & quilibet laborator tertiam partem bonorum sibi locatorum teneatur renovare con la vanga quolibet anno, & non spiallacciare, sub infrascripta pœna. Et casu quo contigerit, quod conductor moriatur, aut fuerit exbannitus, vel alia de causa fuerit impeditus, quominus possit laborare fundum, seu terram conductam, tunc sit in potestate domini finito, & perfecto dicto anno, in quo mors, seu aliquod prædictorum intervenerit, illam alteri locare, præcedenre tamen notificatione facienda hæredibus dicti mortui, seu propinquis talis impediti debitis temporibus, prout supra in aliis casibus, sub pœna librarum quinquaginta denariorum dictis laboratoribus prædicta non observantibus, pro qua sint suppositi Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, & de prædictis credatur simplici juramento locatoris, & domini dictorum bonorum.

Qui quidem laboratores teneantur, & debeant per totam diem vigesimam mensis Julii dimittere domum, possessiones, & bona conducta novo laboratori, sive domino bonorum, vacua, libera, & expedita omni exceptione remota, & D. Commissarius, & ejus Judex manu regia, & summariè, non obstantibus quibuscumque feriis, etiam inductis in honorem Dei, quoslibet conductores terrarum, possessionum, domorum, apothecarum, hortorum, & quorumcumque bonorum immobilium, sub pœna librarum ducentarum ab ipso D. Commissario, & Judice incurrenda, & applicanda pro dimidia Cameræ Communis Pistorii, & pro dimidia Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, cogat, & compellat omnibus juris remediis, etiam per capturam personæ, finito termino locationis evacuare, relaxare, & dimittere domino bonorum, & novis conductoribus bona, libera, vacua, & expedita intra tres dies post querimoniam factam coram eis, omni exceptione, appellatione, & inhibitione remotis, exceptis tamen illis colonis, qui habere debent ex pacto vinum, vel ex contractibus hucusque factis, qui debeant dimittere domum die decima quinta Octobris.

Declarantes, quod si res locata interim venderetur, intelligatur finita locatio ad voluntatem emptoris, præcedente notificatione facienda dicto conductori intra tempora supra præscripta faciēdi protestationes, quo casu conductor, non obstante quolibet pacto, etiam speciali in contrarium, & licet

V pro

pro pluribus annis conduxerit bona, etiam cum hypotheca, nisi tamen fuerint conducta ad vitam, vel ad tertiam generationem, vel aliàs in perpetuum, teneatur debitis temporibus dimittere bona vacua, & expedita, qualibet exceptione non obstante, & interim teneatur respondere de fructibus emptori, eodem modo, quo tenebatur venditori, sivè agatur de locatione ad medium, sivè ad affictum. Sicuti pariter per venditionem proprietatis intelligatur terminata venditio fructuum facta pro pluribus annis, vel pignoratio bonorum, refecta tamen emptori, fructuum, & creditori summa eorum respectivè crediti, non compensata cum fructibus àb eisdem perceptis, usque ad tempus traditionis, vel restitutionis bonorum venditorum faciendæ emptori.

Quod laboratores non renuncient podere locatoribus. Rub. CVIII.

NUllus laborator, vel agricola possit, vel ei liceat renunciare aliquod prædium, terras, vel possessiones, quas conduxerit, vel laboraverit, seu laborabit, nisi de consensu domini dictorum bonorum, sed cogatur, & compellatur dictum prædium, terras, & possessiones laborare pactis in conductione conventis per totum tempus in dicta conductione expositum, sub pœna librarum ducentarum pro quolibet eorum, & nihilominus cogantur ea, & eas laborare, & in prædictis sufficiat probatio duorum testium de fama deponentium. Et quilibet Rector Communis Pistorii, ad quem de prædictis haberetur recursus, de his omnibus teneatur, & debeat cognoscere, punire, & condemnare contrafacientes in dictam pęnam ad favorem Communis Pistorii.

De conductore devastante bona conducta. Rub. CIX.

QUoniam experientia præteriti temporis docuit quanta damna passi sint Cives, & Domini bonorum à conductoribus, & laboratoribus bonorum, & quotidie patiantur. Ideo volentes indemnitati eorum providere, statuimus, & ordinamus, quòd si quis domum conductam devastaverit, vel deterioraverit, vel devastari, seu deteriorari permiserit, vel si terram, seu prædium deterioraverit, non laborando congruis temporibus, vel arbores incidendo, seu aliter quomodocumque deteriorando, teneatur D. Commiss. talem conductorem, inquilinum, seu colonum expellere de re locata ad voluntatem locatoris, infra decem dies, postquam sibi constiterit de devastatione, & deterioratione prædictis, refectis tamen per Dominum, expensis factis in cultura, & seminibus satis à conductore declarandis per duos peritos, & per D. Commissarium vel duos ex eis in concordia, postquam colonus exierit de bonis, nisi intra decem dies, d. conductor, & inquilinus dederit idoneum fidejussorem de respondendo Domino debitis temporibus de pensione, affictu, seu fructibus bonorum juxta conventionem, & pacta habita inter ipsos in contractu locationis, & de non deteriorandis bonis conductis, de illis colendis debitis temporibus, & de satisfaciendo locatori circa damna, quæ inde passus fuerit, liquidanda per eundem D. Commis-

mis-

missariũ summariè, & sine tela judiciaria, & à decreto, & sententiis dicti D. Commiss. super prædictis, non possit appellari, vel de nullitate dici, & omnis appellatio, & nullitatis dictio, sit ipso jure nulla, quibus non obstantibus, sententiæ prædictæ sine aliqua pœna attentatorum, vel inhibitionis executioni mandentur. Non liceat etiam conductori, vel conductoribus domorum, vel apothecarum alteri illas sublocare, nisi primo requisiverint Dominum, si eas recipere velit, quia volumus Dominum omnibus præferri. Et si Dominus requisitus intra tres dies à die requisitionis numerandas eas recipere noluerit, possit conductor alteri licitè sublocare æque idoneo. Et quia experientia constat, quod coloni, qui debitum cum Domino contraxerunt, ubi à dominis dimittuntur ultimo anno loco curandi rationem, & modum, quo Dominis possint satisfacere, potius maximam fructuum partem malitiosè occultant in præjudicium ipsius domini, non solùm quoad partem spectantem ad dominum, sed etiam quoad partem ipsius coloni, cum qua si non in totum, saltem in partem possent Domino satisfacere. Statuimus ad obviandum fraudibus, & ut securitati dominorum consulatur, quod quilibet colonus, sive partiarius, sive affictalis, ad breve tempus, qui contraxerit debitum cum Domino ex quacumque causa; de quo debito legitimè constare debeat in summa scutorum quinquaginta quoad bona sita, ut vulgò dicitur: in piano, & scutorum triginta quoad bona sita, ut vulgò dicitur: in poggio, & in costa possit expelli ad omnem voluntatem ipsius Domini, absque probatione alterius causæ; dummodo tamen intra terminum unius mensis, non solvat, vel non concordet cum Domino, & cum declaratione, quod per Dominum bonificandi sint fructus eidem conductori, juxta æstimationem faciendam per duos peritos ab eis eligendos, & per tertium in discordia; omni exceptione, & appellatione remota &c.

De laboratoribus non laborantibus terram, quam conducunt. *Rub. CX.*

UT obvietur malitiis laboratorum, quibus locatur terra ad laborandum, & ipsi de tali terra solùm laborant illam particulam, quæ eis videtur, de quo locatores incurrunt non modicum damnum. Provisum, & ordinatum est, quod quicunque laborator omiserit laborare de terra ad laborandum locata quartam partem unius stariori, vel ab inde supra, teneatur illud interesse præstare locatori talis terræ, quod est conveniens de terra non laborata, & de hoc etiam possit cognoscere, & de terminare Officialis super damnis datis deputatus summariè, & sine strepitu, & figura judicii, & omni solemnitate omissa, de quo interesse stetur dicto duorum bonorum virorum terram laborantium, eligendorum de contrada, ubi sita est talis terra non laborata, per officialem, coram quo erit quæstio, præstito prius per prædictos eligendos juramento corporali de referendo eorum æstimationem super dictum interesse, arbitrio boni viri, & nihilominus condemnetur in duplum dicti interesse, & in solidis quinquaginta den. pro quolibet starioro terræ non laborato, & pro qualibet vice, & si Dominus voluerit, possit cogere dictum laboratorem ad faciendum compromissum civiliter super dicto

 damno,

damno, & interesse ad ejusdem Domini voluntatem, & requisitionem. Quæ autem dicta sunt de officiali damnorum datorum, obtineant etiam in D. Judice causarum civilium, qui habeat eandem cognitionem. Qui D. Judex, & Officialis teneantur summariè condemnare dictos laboratores juxtà æstimationem dictorum æstimatorum, & arbitratorum eligendorum, à quorum relatione, & à sententia Judicis non possit appellari, nec dici de nullitate.

Quod laboratores, & agricultores non possint dimittere bona inculta. Rub. CXI.

OMnes, & singuli agricultores, seu laboratores terrarum, teneantur, & debeant benè, & diligenter colere, & laborare cum eorum familia continuè terras, possessiones, & prædia conducta à quolibet Cive, vel Comitatus, aut Districtus Pistorij, & ea inculta non dimittere, sed tenere cum illis pactis, conventionibus, modis, & conditionibus, cum quibus, seu secundùm quæ conduxerint. Et si pactum certum, & clarum factum non fuerit inter tales agricultores, & laboratores, & illos, pro quibus tales terras, possessiones, & prædia laborant, & concordes non essent, aut etiam non possent inter se convenire de pactis, conventionibus, & conditionibus præsentis temporis præteriti, & futuri, stetur, & stari debeat dicto, & declarationi Operariorum Sancti Jacobi Apostoli Civitatis Pistorii, & quicquid factum, & ordinatum fuerit per eos, vel duas partes ex eis in prædictis, & circa prædicta valeat, & teneat, & observetur, & executioni mandari debeat, & possit per quemlibet Officialem Civitatis Pistorii, non obstantibus Statutis quibuscunque hactenus factis sub pœna librarum vigintiquinque. Qui laboratores habitare teneantur, & morari debeant cum eorum familia, & bestiis, quas retinere debebunt continuè, & toto tempore conductionis super dictis terris, possessionibus, & prædiis, & in domo talium locatorum, & à quibus conduxerint pro habitatione ipsorum laboratorum, & ipsas terras, possessiones, & prædia inculta non dimittere, sub pœna librarum ducentarum pro quolibet agricola, & laboratore, & quolibet de sua familia ætatis sexdecim annorum masculo, qui prædicta non servaverit, seu contra prædicta fecerit, pro qualibet vice, & de prædictis, pro prædictis, & quolibet prædictorum sufficiat, & pro plena probatione habeatur juramentum ipsius, qui tales terras, possessiones, & prædia locaverit, seu ejus nomine laborata fuerint, vel probari possit duobus testibus de Communi, Populo, seu Villa talis agricolæ, seu laboratoris, seu de aliquo ex Populis, Communibus, & Villis confinantibus ipsi populo, Communi, & Villæ, in quo positæ erunt tales terræ, possessiones, & prædia conducta ad laborandum de publica voce, & fama probantibus, etiam si causam scientiæ non reddiderint. Et nullus alius undecunque fuerit, & cujuscunq. conditionis existat, audeat, vel præsumat tales agricolas, & laboratores, seu aliquem de eorum familia scienter, vel ignoranter conducere, seu retinere deinceps pro suo laboratore, vel laborerio aliquo faciendo, seu eis locare alias terras, possessiones, & prædia, seu eis concedere ad laborandum, seu permittere quod laborent, seu laborerium aliquod faciant in ipsis terris, & possessionibus, sine licentia, ut infra dicetur, sub pœna

pœna librarum ducentarum den. pro quolibet, qui contra prædicta, aut prędictorum aliquod fecerit, vel prædicta non servaverit. Salvo, & reservato in omnibus, & singulis suprascriptis, & infrascriptis capitulis, & statutis circa laboreriũ terrarũ locatarum, & conductarũ disponentibus, quod dd. agricolæ, & laboratores terrarũ, & eorum familia, & quilibet ipsorum possit de dictis terris, possessionibus, & prædiis quandocunque discedere, & alia poderia, possessiones, & terras conducere, & laborare, & laborerium quodlibet facere, & pro mercede, & etiam per quemlibet alium possit receptari, & retineri in suo laborerio, & eos conducere ad laborandum, & alia facere de licentia talis, vel talium locatorum primo loco, ut supra dictum est, à quo, seu quibus talia prædia, terras, & possessiones, laborant, de qua licentia constare debeat per publicum Instrumentum manu publici Notarii scriptum, seu per scripturam factam manu talis locatoris, vel illius, vel illorum, pro quo, vel quibus tales terras, possessiones, & prædia laborabunt dicto tempore, seu manu alterius privatæ personæ in præsentia, & de voluntate prædictorum, & coram duobus testibus bonæ conditionis, & famæ, & in prædictis non requiratur consensus illius parentis, in cujus potestate esset talis locator.

De pœna laboratorum non secantium arbitrio boni laboratoris. Rub. CXII.

QUia non est malitia super malitiam rusticorum, & quia evidentissimè constat laboratores ultimo anno, quo debent relaxare bona, & poderia Dominis eorum conantur præfatos Dominos injuriare, & eis maximum damnum, injuriam, & præjudicium inferre, quibus obviare volentes. Statutum, & ordinatum est, quod de cętero in perpetuum quilibet laborator terrarum, qui tenet, seu tenuerit ad medium, seu ad affictum ad tertium, seu ad quartum, seu aliquo quovis modo ab aliquo, seu aliquibus personis Civitatis, Comitatus, seu districtus Pistorii aliquas terras, possessiones, & prædia, seu vineas in totum, vel in partem teneatur, & obligatus sit per totum mensem Aprilis ad minus, & non ultra quolibet anno totum granum seminatum per ipsum laboratorem benè, & diligenter sarchiare, & nitidare arbitrio boni viri, & laboratoris, & similiter omnia blada cujuscunque generis debitis temporibus secundùm consuetudinem regionis. Et granum, & blada secare debitis temporibus teneatur, & debeat justo modo arbitrio boni viri, non transeundo in secando dictum granum, & bladam tertium brachii a terra, sed potius minus. Nec possit præfatus laborator removere de dictis bonis, terris, & possessionibus granum, secale, ordeum, seu alia blada, seu juxta dictas possessiones bona, & terras, alio transferre ad triturandum illum, seu illa alibi, quàm in loco, ubi secatæ fuerint, sed teneatur, & obligatus sit dictum frumentum, seu blada triturare super dictis bonis, terris, aut possessionibus, ubi, & in quo, seu quibus secata, aut recollecta fuerint. Et paleam frumenti secalis, ordei, bladi, lupinaria, sive alterius straminis, aut succeratum, sive litamen, seu concimen de dictis, seu ex dictis bonis, terris, seu possessionibus removere non possit, immo teneatur, & obli-

obligatus sit paleam, & alia prædicta relaxare super dictis bonis, & terris, ut supra, nec possit opponere, vel allegare aliquam exceptionem, quod primo anno non habuerit paleam, & alia prædicta. Et non possint præfati laboratores vendere aliquod genus herbarum, vel pasturæ sine licentia Domini bonorum, & aliter talis venditio non valeat, & tam emens, quàm vendens teneantur Domino bonorum ad æstimationem, & nihilominus possit uterque eorum condemnari pœna furti. Et quilibet laborator, qui haberet, seu teneret aliquas vineas ad affictum, similiter teneatur, & obligatus sit ultimo anno illas benè, & diligenter ligonizare arbitrio boni viri per totum mensem Maii, sub pęna librarum vigintiquinque den. in quam pęnam de facto incurrant, absque aliqua declaratione, & nihilominus teneantur, & obligati sint ad damna, & interesse Domini, seu locatoris, de quibus damnis credatur simplici juramento talis Domini, seu locatoris, in quibus pęnis, & damnis quilibet Rector, & Officialis Civitatis Pistorii teneantur condemnare pręfatos delinquentes infra quindecim dies à die quærelæ factæ per dictos locatores, seu Dominos dictorum bonorum locatorum, quæ pęna applicetur pro dimidia ipsi Domino, vel locatori, & pro alia dimidia Communi Pistorii. Et si infra dictos quindecim dies talis Rector, coram quo querimonia fuerit porrecta, ipsas condemnationes non fecerit, prout supra, tunc, & eo casu præfati laboratores delinquentes, & non observantes in omnibus suprascriptis pęnis, & damnis, sint totaliter suppositi, & obligati Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, qua pęna in dicto casu sit totaliter eorum officio applicata, & ipsi officiales nihilominus faciant resarciri damna Domino, seu locatori dictorum bonorum. Et pro prædictis teneantur pater, filius, & fratres simul habitantes, contra quos possit procedi, etiam incipiendo à captura personæ summariè, & de plano, & sine strepitu, & figura judicii, visa facti veritate. Et quilibet laborator, seu inquilinus, qui modo aliquo de cętero fregerit aliquam tensinam sibi factam à Domino, sive locatore bonorum, maximè occasione affictus, medii, denariorum, & grani mutuatorum pro benè laborando, soccitæ bestiaminis, seu denegaret familiæ, & famulis Rectorum aliqua pignora, seu illa acceperit de manibus ipsorum ex causis prædictis, seu dependentibus, & connexis ab eisdem, incidat in pęnam de qua supra Rub 48. de Tensinis, & qualibet vice, & credatur simplici juramento nuncii, seu uni ex famulis prædictis, & sint suppositi Conservatoribus Legum Communis Florentiæ de prædictis, & pro prædictis, quibus totaliter dicta pœna applicetur, & laboratores, qui ad petitionem Domini habuerunt pręceptum in scriptis per nuncium, vel in præsentia duorum testium, ab ipso Domino teneantur mundare quolibet sero granum trituratum illa die, & illud mensurare, & deferre in domum solitam dicti prædii, sub pœna lib. 100. pro qualibet vice, applicanda Communi Pistorii.

Quod laboratores non possint incidere ligna in possessionibus conductis. Rub. CXIII.

OBservetur prout infra disponitur in lege damnorum datorum &c.

Quod

Quod laboratores teneantur potare vites, & foveas manutenere. Rub. CXIV.

QUilibet laborator, & agricola, & de eorum familia, possit, teneatur, & debeat, ac eis liceat vineas, omnesque arbores, & vites super arboribus existentes potare, & potari facere benè, & diligenter, & sepes, & foveas existentes in dictis, & super dictis terris, & possessionibus, benè, diligenter, & legaliter mundare, & manutenere sine aliqua fraude arbitrio boni viri, & prout, & sicut continebitur in scripturis locationum, & conductionum talium bonorum, possessionum, & terrarum, sub pœna librarum centum den. pro quolibet, & qualibet vice Communi Pistorii applicanda, & de voluntate Domini possit incidere palos pro vinea, & pergulis necessarios debitis, & congruis temporibus.

Quod nullus laborator vendat granum, vinum, vel oleum ante recollectam. Rub. CXV.

NUllus laborator, vel agricola prædiorum, possessionum, terrarum, & vinearum alicujus civis, comitatini, vel districtualis Civitatis Pistorii jurisdictioni dicti Communis suppositi, vel alterius cujuscumque conditionis existat, undecumque fuerit, possit, audeat, vel præsumat deinceps vendere vinum existens super dictis prædiis, terris, possessionibus, & vineis, quas conduxerint ad laborandum, seu quas pro aliquo laborant, nec etiam quæ ad ipsum pertinent, seu pertinebunt ante vindemias, & recollectam vini prædictr alicui personæ, sub pœna librarum ducentarum denariorum pro quolibet, & qualibet vice; Communi Pistorii applicanda. Et nullus cujuscumque conditionis existat, audeat, vel præsumat, undecumque fuerit, per se, vel alium emere, seu emi facere ab aliqua persona aliquod vinum existens in dictis hujusmodi possessionibus, terris, vineis, seu prædiis, sub eadem pœna, ut supra applicanda pro quolibet, & qualibet vice contrafecerit. Nec prædicti laboratores, seu agricolæ, vel aliquis de sua familia per se, vel alium, ipsum vinum, quod recolligerent super dictis terris, & possessionibus, prædiis, ac vineis conductis ab aliquo, ut supra, possint, vel debeant vendere alicui personæ, si Dominus bonorum, seu is, pro quo tenent talia bona, ipsa vina emere voluerit, quibus, vel aliquo eorum emere volentibus; vendere teneantur, & debeant pro eo pretio, quo vendi poterit dicto tempore aliis personis ementibus, sub pœna librarum ducentarum den. pro qualibet vice Communi Pistorii applicanda; ipsis autem Dominis bonorum emere nolentibus, liceat eis, cuicumque voluerint vendere. Et si contigerit, quod aliquis agricultor, seu laborator terrarum vellet vendere alicui granum, seu oleum, antequam fieret recollecta ipsius grani, vel olei, posit, eique liceat illud granum, vel oleum vendere cuicumque voluerit, dummodo primò, & antè omnia requirat, & requirere teneatur, & debeat dominum bonorum conductorum, seu à quo conduxerit bona, super quibus recolligetur tale granum, & oleum, si ipsum emere voluerit, & ipsis Dominis emere volentibus pro justo pretio vendere; & post recollectam grani, & olei sit licitum dictis con-

du-

ductoribus granum, & oleum cuicumque voluerint vendere etiam locatore, sive domino invito.

Quod nullus laborator mittat bestiam, vel vadat ad vecturam. Rub.CXVI.

NUllus laborator, seu agricola aliquorum bonorum, nec aliquis de sua familia audeat, vel præsumat ire, seu mittere aliquem de sua familia cum aliqua bestia ad portandum, seu portari faciendum aliquam salmam cujuscunque rei ad vecturam, seu pro mercede, nec commodare boves alicui personæ pro laborando terras, & possessiones alterius personæ, quàm illius, cujus est prædium, seu possessio, quam laborat, seu laborare debet, seu debebit, seu laboravit, nec ire ad laborandum, carreggiandum, vel trainandum, vel aliquod opus faciendum sine licentia illius, à quo conduxerit, seu retinuerit pro laborando, de qua licentia apparere debeat per publicum Instrumentum, seu scripturam factam manu talis locatoris, seu manu tertiæ personæ in præsentia duorum testium bonæ opinionis, & famæ, sub pęna librarum viginti den. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, qua contrafecerit, & de prædictis stetur, & stari debeat, & pro plena probatione habeatur juramentum locatoris bonorum, seu illius, pro quo talia bona laborat, ad quam pęnam teneantur etiam, & obligati sint ille, & illi, ad cujus, seu quorum voluntatem, seu commodum laboraret, aut ad vecturam bestias conduceret.

Quod laboratores bonorum tenentes bestias super prædiis, teneantur eas confiteri per publicum Instrumentum. Rub. CXVII.

QUilibet laborator terrarum, & quilibet alius, qui habet, seu tenet in soccitam, vel pro laborando bestias ab aliquo Cive, seu Comitatino, aut alio jurisdictioni Communis Pistorii suppositis, boves, & quascumque alias bestias, possessiones, prædia, vel terras, seu quod bestiæ emptæ fuerint de pecunia locatorum eorum, vel illius, pro quo bona, & terras laborant, laborarent, & laborabunt, teneantur, & debeant tales possessiones, terras, prædia, & bestias confiteri per publicum Instrumentum, vel privatam scripturam in actis recognitam, seu libros tentos, juxta formam Statutorum, vel per legitimos testes, a tali cive, comitatino, seu districtuali, & pro eodem tenere, & de restituendo promittere, & se obligare pactis, modis, æstimatione, pęnis, & aliis in Instrumento ponendis, & consuetis, sub pęna librarum ducentarum qualibet vice, qua contrafactum fuerit Communi Pistorii applicandarum.

Quod nullus laborator possit retinere porcos, vel gallinas Rub. CXVIII.

NUllus laborator terrarum masculus, vel fœmina audeat, vel præsumat retinere, vel retineri facere super dictis talibus bonis, & possessionibus conductis, & conducendis, porcum, seu porcos, seu trojam, neque pullos, à duabus gallinis, vel aliis pullis supra, sine licentia domini, vel dominæ, seu illius à quo conduxerit, vel conducet talem terram, & bona, sub pęna, contrafa-

trafacienti, librarum vigintiquinque den. pro quolibet, & qualibet vice Cameræ Communis Pistorii applicanda, & etiam non possit retinere ocas, neque alias bestias, vel animalia grossa, sive minuta, sub eadem pœna, & de prædictis stetur, & stari debeat juramento Domini, vel Dominæ talis possessionis, & bonorum, seu illius, pro quo tenuerit, vel tenebit.

De pœna facientis statuta, per quæ possent impediri laboreria terrarum. *Rub.* CXIX.

NUlla Universitas, Commune, Populus comitatus, vel districtus Pistorii, nec aliquæ speciales personæ possint Ordinamenta, vel Statuta ordinare, vel facere, vel compositionem, per quæ, vel quam impediretur, vel impediri possit, aut impediri videatur cultura terræ, vinearum, possessionum, vel prædiorum civium Pistoriensium, vel in dicta Civitate habitantium, & comitatinorum, & districtualium. Et si contrafieret, vel factum esset, Rector quilibet Civitatis Pistorii debeat ipsa statuta, & ordinamenta cassari facere, & insuper punire contrafacientes in libris ducentis den. Et damna, & interesse satisfacere secundùm juramentum petentis, qui Rectores in prædictis habeant arbitrium inquirendi secretè, & palam, & procedendi, & condemnandi, prout eis, vel alteri eorum videbitur convenire; & nullum jus reddatur per quemlibet Officialem, & Rectorem vigore dictorum Statutorum.

Quod communia terrarum districtus Pistorii non imponant aliquid Civibus pro possessionibus, quas habent in eorum territorio. *Rub.* CXX.

STatutum, & ordinatum est, quod nulla Communitas, terrarum, districtus Pistorii audeat, vel præsumat imponere alicui civi Florentino, vel Pistoriensi subeunti, & solventi onera in Civitate Pistorii, aliquod datium, præstantiam, cambium, vel gravamen aliquod ex quacumque causa pro bonis, seu occasione bonorum, & possessionum, quas cives haberent in comitatu, & districtu Pistorii, ac etiam pro bestiis, sive testa eorum, & si qua posita esset, non valeat, & non teneat, & nullam mereatur executionem, & cassentur, & liberentur sub pœna librarum quingentarum ab ipsa Communitate incurrenda, & librarum centum cuilibet Vicario cujuscumque Communitatis, aut cuique alii personæ, quæ contra prædicta aliquo modo fecerit; quam pœnam, si ipse Vicarius non solverit infra terminum decem dierum post cōdemnationem de eo factam, ipsi Vicarii, & ipsius Communitatis Consiliarii, postquam pervenerint in fortiam dicti Communis, debeant per Civitatem fustigari, & in dictam fustigationem, & condemnationem Vicarii, & Consiliarii, & ipsa Communia debeant puniri, & condemnari, si contra prædicta quoquo modo fecerint.

De executione, & effectu Instrumentorum affictus. *Rub.* CXXI.

SI quis inquilinus, qui conduxerit aliquam domum, vel rem ad pensionem, aut aliquis laborator, qui alicujus terram ad laborandum, vel ad affictum, vel aliter conduxerit, cessaverit in solutione pensionis, vel fructu-

um, & etiam si castaneta, nemora, vel prata conduxerit, & cessaverit ut supra, liceat locatori capere, & detinere bona, & res talis laboratoris, inquilini, vel affictalis; etiam authoritate propria, donec de his, quæ recipere debuerit dictis occasionibus, vel aliqua earum, sibi fuerit integraliter satisfactum, etiam quod non appareret publica, vel privata scriptura, dummodo Dominus quandocumque fuerit requisitus, probet locationem bonorum, & laboratores bonorum ad medium, si debitis temporibus non deferant dominis suis portionem, & medietatē fructuum dd. bonorum, sed retineant sub quocumque prætextu, & causa possint inquiri, & debeant condemnari actione furtiva ad beneplacitum Dominorum. Bona tamen illata, quæ re verà essent tertii, & ad alium pertinerent, non compræhendantur, sub dispositione præsentis Statuti. Qui locator in omnibus, & singulis rebus, & bonis talis Inquilini laboratoris, vel affictalis invectis, & illatis, & quæ in domo, & bonis locatis extiterint, & in fructibus bonorum locatorum sit potior quolibet alio creditore in tempore, & in jure, & præferatur etiam mulieri in dote habenti priorem hypothecam in suprascriptis bonis, in aliis verò servetur prærogativa temporis, & pro pensione domus omnes teneantur in solidum, etiam filii, & uxores conductoris, vel filiorum cum earum dotibus, qualibet exceptione non obstante.

Quod affictales, & pensionarii pro affictu, & pensione capi possint. Rub. CXXII.

QUilibet affictalis, pensionarius, vel conductor cujuscumque personæ, & eorum fidejussores pro affictu, & pensione debitis, ad instantiam locantis, vel dantis ad affictum, & eorum hæredum habentium Instrumenta publica, vel jura exequibilia, & executionē merentia, juxta formam Statutorum super hoc, vel eorum, qui jura cessa habuerint de prædictis, facta saltem notificatione cessionis, capi possit, & detineri personaliter, & etiā contra eos, vel in eorum personis, & bonis ad voluntatem suprascriptorum procedi, incipiendo quoque à captura personæ, quibuscumque feriis non obstantibus, exceptis in honorem Dei inductis, & pro publico mercato. Et præsumatur conducens, vel habens ad affictum, habuisse facultatem utendi rebus conductis, & in affictum concessis, nisi contrarium probatum fuerit, quæ probatio valeat, non obstante Instrumento guarantigiato.

De actione competenti Domino affictus ex pactis. Rub. CXXIII.

ORdinamus, quòd ex pactis initis olim, & quæ in futurum erunt inter venditorem, & emptorem, vel quoscumque alios contrahentes, vel paciscentes, vel patrem, vel filium, & fratres ex divisione facta inter eos super melioramento rei, vel super re, unde præstatur affictus, vel pensio, vel quicumque redditus acquiratur actio personæ, vel loco, cui deberi dicitur affictus, redditus, vel pensio, qualis venditori, vel contrahenti, vel dividenti competeret ex ipsis pactis; & si qua alia competeret Domino affictus; & etiam actio contra emptorem, vel divisorem, vel alium contrahentem, vel paci-

paciſcentem, acquiratur tali perſonæ, vel loco, cui dicitur deberi affictus, ac ſi ipſe locaſſet, vel in affictum conceſſiſſet, vel pactum fecisset; & quilibet Notarius compellatur à quolibet Officiali Civitatis Piſtorii, edere, vel exhibere Inſtrumentum, ſi quod extat ad probandum, & Inſtrumento credatur. Qui Notarii teneantur expreſsè apponere in Inſtrumento alienationis, empoematis, vel rei unde redditur affictus, penſio, vel alius redditus, & nominatim dominum, cui dicitur deberi, vel conſuetum eſt præſtari affictus, alioquin contractus alienationis non valeat, & etiam talis alienator teneatur ipſum dominum recipere debentem affictum in dicto Inſtrumento nominare, ſub pęna librarum vigintiquinque denariorum, & contractus ſit nullus. Et intelligatur dominum affictus conſuevisse recipere affictum ex tali pacto, vel pactis, abſque aliqua alia probatione facienda; quæ omnia locum habeant in præteritis, præſentibus, & futuris negotiis, nec propterea per prædicta intelligatur derogatum alicui Statuto, per quod prohibeatur alienatio rerum affictui ſuppoſitarum; declarando tam in præſenti, quàm in aliis Statutis, quod privilegia conceſsa affictibus, ſi non ſint contraria naturæ Cenſuum, competant etiam quoad executionem cenſibus, qui cenſus in tali caſu ſub nomine affictus contineatur.

De carta facienda de affictu. Rub. CXXIV.

SI qua perſona Civitatis, vel diſtrictus Piſtorii reclamaverit mihi de Domino, à quo terram habeat, vel aliam rem in affictum, ut faciam exinde cartam fieri per affictum cogam exinde dominum cartam facere, niſi ſit de terra aſſignata domino ab affictali cum dubium vertebatur, de qua terra exibat affictus, quo caſu teneatur dominus facere ei cartam de dolo, & alienatione ſua, & ſuorum prædeceſſorum, & eodem modo faciam fieri cartam domino de affictu, & de terra, de qua reddi debet affictus, vel ſolitum eſt reddi ab affictali, ſi dominus mihi inde reclamaverit, & idem dicitur de penſionibus, & aliis redditibus. Et ſi quis habet cartam publicam de aliquo affictu recipiendo, affictalis, vel ejus hæres non poſſit ſe defendere ab affictu præſtando, non obſtante aliqua temporis præſcriptione; licet retro actis, & multis retrotemporibus non præſtiterit, quæ locum habeant in præteritis, & futuris. Et ſi dominus affictus voluerit ſibi cartam renovari ab affictali ſuo, D. Commiſſarius, & ejus Judex compellant ipſum affictalem cartam de dicto affictu facere domino affictus, abſque datione libelli. Pariter affictalis ad petitionem Domini, ejuſque requiſitionem teneatur facere menſurari terram, unde redditur affictus, ſub pęna librarum quinquaginta contrafacienti pro qualibet vice. Et nullus affictalis debeat coadunare aliquam terram affictui ſuppoſitam, vel imponere poſſit ſuper eam aliquam præſtationem; & ſi coadunaverit, teneatur ad requiſitionem domini reclamantis ab alia terra dividere, & ſeparare, quod ſi facere neglexerit, condemnetur in libris quinquaginta den. cujus medietas ſit Communis Piſtorii, & altera medietas domini reclamantis. Nec ipſi affictales, vel penſionarii imponant affictum, vel pen-

pensionem super rebus, quas tenent ad affictum, vel pensionem, vel locent ad affictum, vel aliquam securitatem in ipsis terris, vel locis imponant sine voluntate ipsorum, quibus redditur prius affictus, pensio, vel redditus, & hoc locum habeat de cœtero, & qui contrafecerit, puniatur à Præside in libris quinquaginta qualibet vice, & eam securitatem delere, & removere teneatur, & debeat in totum, & res ipsas, & terras in pristinum statum reducere infra decem dies post reclamationem inde factam; quæ locum habeant in præteritis, & futuris. Et qui contra prædicta, aut aliquod prædictorum ex dictis affictajolis, & pensionariis, vel aliis, qui redditum solvere tenentur, fecerit, ipso jure cadat à jure, quod haberet in ipsa re, vel melioramento ipsius; & ipso jure ad dominum, qui recipere debet debitum, affictum, pensionem, vel redditum liberè, & pleno jure redeat, & pertineat, si ipse dominus voluerit. Et affictalis teneatur ostendere domino cartam affictus, si eam habeat, & si malitiosè celaverit, non possit postea uti dicta carta, & idem intelligatur de domino, si affictalis petierit cartam ab eo, & idem de pensionibus, & aliis redditibus.

De interrogatione facienda pro affictu. Rub. CXXV.

ORdinamus, quod si quis interrogatus fuerit ab aliquo, quod dicat sibi, vel suo authori, & quem dicat suum authorem, deberi affictum, vel pensionem, vel à Judice, vel ad ejus postulationem, etiam ante oblationem libelli, vel petitionis, vel litis contestationem, si tenet, vel debeat ei, à quo petitum, vel consuetum est, interroganti teneatur respondere infra terminum sibi à Judice assignandum. Et etiam si petitum fuerit, vel interrogatum declarari de rebus, de quibus ipse affictus, vel pensio reddatur, vel reddi consueverit per eum, vel aliam personam, vel personas, vel locum, respondere teneatur infra dictum terminum, non obstante, quod interogatio sit simplex, vel implicita, vel plura contineat. Et si talis interrogatus negaverit, & postea probatum fuerit secundùm formam Statutorum, puniatur in libris quinque den. pro quolibet stario frumenti, vel alterius bladi, & pro quolibet congio, seu barile vini, & pro qualibet quaterna olei, & in solidis viginti pro quolibet denario pensionis, & si fuerit plus, vel minus ad eandem rationem pro rata. Quæ interrogatio non præjudicet, quo minus postea procedatur in causa ad petitionem agentis. Et etiam si petitum, vel interrogatum fuerit, si possidet, vel tenet rem, vel res, de qua, vel quibus dicatur præstari affictus, vel pensio, eodem modo respondere teneatur quo supradictis formis, & pœnis.

De assignando de bonis affictalis, quando dubitatur unde exeat affictus. Rub. CXXVI.

STatutum, & ordinatum est, quod affictales teneantur assignare domino affictus (dominum autem intelligimus illum, qui Instrumentum habet de affictu, pensione, vel redditu, vel locationis, vel concessionis de affictu, alicui personæ, vel loco, vel qui consuetus est recipere affictum, vel pen-

sionem

sionem per duas, vel tres vices) vel auctor suus teneatur assignare tantùm de bonis suis, quæ valeant affictum, vel pensionem, quam debet præstare æstimatione facta valoris rei affictui supponēdæ ad arbitrium boni viri, juxtà mensuram, quæ redditur pro afficto, & habita ratione antiquitatis, & variationis temporis, & qualitatis loci, in quo dictus affictus, & redditus positus est. Et si non fecerit assignare, vel non assignaverit, quando dubitatur, unde exeat affictus, vel requisitus fuerit per dominum affictus, vel pensionis, vel per nuncium ad petitionem ipsius ex parte Judicis causarum civilium Communis Pistorii infra octavam diem à die requisitionis præsumatur, & intelligatur, quod de omnibus bonis ipsius affictalis, pensionarii, vel solvere debentis exierit. Et quia publicè dicitur, & ab experto cognoscitur, quòd non est malitia super malitiam rusticorum; provisum est, quòd si in Instrumento alicujus affictus, vel pensionis, fiat mentio de confinibus rei, unde redditur talis affictus, sive pensio; affictalis, & ejus hæredes, & tenentes, & possidentes talem terram, vel aliquam ejus partem, cogantur solvere affictum, vel pensionem, si unus, vel duo confines rei, quam possident, concordent cum uno, aut duobus confinibus, de quibus fit mentio in dicto Instrumento, & de tali re teneatur reddere talem affictum, vel pensionem, nisi probaverit de alia re talem affictum, vel pensionem exire debere. Hoc semper intellecto, quòd si qua capitula essent in constitutionibus Communis Pistorii loquentia de afficto, vel pensione, quæ essent inter se contraria, & diversa; illa, quæ magis sunt favorabilia pro his, qui affictum, vel pensionem recipere debent, vel petunt, observari debeant, & favorabilia intelligantur ad voluntatem illorum, qui affictum, vel pensionem recipere debent, quæ omnia locum habeant in præteritis, & futuris, & non obstantibus aliquibus Statutis, capitulis, vel constitutionibus suprascriptis, & infrascriptis. Et si reperiantur unus, vel duo confines terræ, vel rei, ex qua petitur pensio, tenens, vel possidens dictā terrā, vel rem, cogatur præstare pensionem in d. Instrumento contentam, & idem dicimus in affictibus, & aliis redditibus& tam in præteritis, quàm in futuris. Et si qua persona tenuerit per decennium inter se, & prædecessorē suum, vel eum, à quo causam habet, & taxatam eam terram affictalis habet, si dubitari contigerit, de qua parte ejus rei affictus reddi debeat, eligantur super hoc boni homines à domino, & affictali, quos Potestas, & Judex cogant providere, tam pro domino, quàm pro affictali, pro qua parte ejus rei affictus reddi debeat, ita tamen quòd portio, quæ remanserit ad affictum ad quantitatem affictus, quæ præstari debeatur, sufficiat convenienter. Et si qua persona reddiderit affictum, & dubitatur, sive nescitur, unde redditur affictus, cogatur ostendere, & assignare Domino tantam terram, quæ benè sufficiat ad præfatum affictum annuatim præstandum, & quæ valeat tertiam partem terræ assignatæ, ultra æstimationem affictus, ad rationem æstimationis affictus, ut supra declaratum est, & de his faciat eidem domino Instrumentum. Hoc idem teneatur facere extranea persona, possidens bona affictalia, vel autem præsumatur, & sit, quòd de omnibus suis bonis, & rebus affictus reddi debeat, pensio, vel redditus cujuscunque rei. Et si postmodum inve-

inveniatur Instrumentum de affictu, pensione, vel alio redditu, secundùm Instrumentum, ut supra factum, pro nullo habeatur, & primo Instrumento stetur.

De specificando servitutem, & redditum rei unde redditur affictus. *Rub.* CXXVII.

SI qua persona vendiderit, vel alienaverit aliquam rem, de qua consuevit, vel debet affictus præstari, vel pensio, vel alius redditus, vel jus, vel jura viæ, vel itineris, teneatur, & debeat nominare, & expressè poni facere in Instrumento alienationis, vel venditionis affictum, redditum jus, seù jura viæ, quæ erunt, vel qui præstantur, vel præstari debent,& per Notarium in ipso Instrumento apponi facere, quod si non fecerit ipse vendens, vel alienans, puniatur in libris centum den. applicandis pro dimidia parti, pro quarta Rectori exigenti, & pro reliqua Communi Pistorii. Et idem servetur in vendentibus, & alienantibus bona aliena tamquam propria, & Notarius Instrumentum conficiens, teneatur copiam ejus edere, & facere ipsi domino volenti, & requirenti, & si non edet, puniatur in eadem pœna suprascripta, ut supra applicanda.

De terra terraticali, & capanna. Rub. CXXVIII.

SI domini terrarum, vel vinearum mihi, vel Judici causarum reclamaverint de aliquo, quem dicant se ab eo tenere terram ad medium, vel ad tertium, vel ad quartum, & sic de singulis, vel alio modo faciam eis restituere terram, si eum habere potero, sin autem mittam ipsos in possessionem, & si tenens terram, vel vineam allegaverit, se aliquod jus in ea habere propter arbores, vel vineas, vel aliquod ædificium, & cognitum mihi fuerit, cognoscere non recusabo, & faciam id satisfieri dicto laboratori, & hæc faciam observare in totu districtu Pistorii. Laboratores autem terrarum non possint aliquid petere, vel consequi à dominis bonorum pro arboribus, vitibus, aut aliquo melioramento, & reaptatione domus, vel capannæ plantatis, & factis super terris, quas haberent in conductione ad laborandum, nisi hoc processerit ex pacto, & conventione expressa inter eos, & dominos bonorum, & conductores bonorum ad medium, seu ad affictum, qui super dictis bonis aliquam capannam ædificaverint, illam auferre, vel tollere non possint, sub pęna librarum centum, applicanda pro dimidia Communi Pistorii, pro quarta parte Rectori exigenti, & pro quarta domino bonorum, & nihilominus teneantur capannam prædictam reficere. Nisi præcedat interpellatio facta domino de solvendo d. capannam de novo ædificatam, juxtà æstimationem arbitrio boni viri faciendam. Et si detentores probaverint tale pactum intercessisse, quòd domini non possint eis terras tollere, præstent detentores dominis terrarum partem de omnibus fructibus terræ, & si in ipso pacto fuerit expressum, quòd non debeat eis dare de aliqua re in ipso expressa non faciam eis dare. Et donec tentores ad voluntatem domini tenuerint, similiter præstent dominis partem de omnibus fructibus terræ, nisi per pactum expres-

pressum inter dominos, & detentores, aliter sit conventum, nam in eo articulo, in quo mihi cognitum fuerit, faciam observare pactum, quæ omnia dicta sunt, salvis pactis, & conventionibus expressis inter dominos terrarum, & vinearum, & eorum laboratores. Nullus tamen colat, vel laboret aliquam terram terraticalem, sine expressa licentia domini, vel possessoris, vel quasi, sub pœna librarum quinquaginta den. pro quolibet contrafaciente.

De affictu recipiendo. Rub. CXXIX.

DE affictu, vel de re, quæ prestatur pro affictu, utrum sit recipienda, vel non sit in arbitrio DD. Operariorum B. Jacobi de Pistorio, qui bona fide, tam pro domino, quàm pro affictali teneantur super hoc arbitrari; & quid inde fuerit arbitratum, quilibet Officialis observare faciat, qui Operarii infra mensem accepti, eorum officii teneantur super hoc Sacramentum præstare. Et si affictus non fuerit solutus de mense Julii, vel alio tempore, quo deberet solvi res, juxtà contrahentium pacta, & promissiones, sive sit granum, sive vinum, bladum, castaneæ, vel earum farina, oleum, vantagia, & quæcumque aliæ res, quæ infra aliquem terminum solvi deberent, dominus recipere debens, possit petere, & affictales affictum, de prædictis solvere teneantur pro eo pretio, quod plurimi valuerit à tempore moræ citra illius anni, in quo non solverint, juxtà valorem descriptum in Opera Sancti Jacobi. Et si in dicto libro non fuisset descripta ipsarum rerum æstimatio prædicta, dicti Operarii debeant judicare æstimationem rei non descriptæ, secundum communem æstimationem descriptarum, habito respectu ad valorem quanti plurimi, ut supra.

De eo, qui steterit per quinquennium, & non reclamaverit de affictu. Rub. CXXX.

ORdinamus, quod si qua persona steterit per quinquennium, & non reclamaverit de affictu, & de affictali suo, qui retro detentus diceretur, si postea reclamaverit de detentione ante ipsum quinquenium contra tertium possessorem, non audiatur, & hoc nisi inde reclamatio facta fuerit. Possint nihilominus creditores ex causa affictuum agere cōtra bona obligata pro affictibus in futurum decurrendis. Et pro affictu detento non possit peti in præjudicium aliorum creditorum, nisi pro quinquennio, quantum verò ad affictales, non præjudicetur, si non reclamaverint: sed præjudicetur quoad fidejussores, qui sicuti tenentur tantùm pro tempore quinquennali in fidejussione censuum, ita teneantur in fidejussione affictuum, nisi ipsis protestatum fuerit, quod principalis debitor non solverit juxta illud, quod statutum fuit in Capitulis Carceratorum, & approbatum per Clarissimos Dominos Practicæ Secretæ S. C. Serenissimæ.

Quod liceat domino tollere bona laboratoribus, vel inquilinis. Rub. CXXXI.

SI quis inquilinus habitaverit in aliqua domo, aut aliquis laborator, qui terras alicujus tenuerit ad laborandum ad affictum, vel medium, vel aliter,

ter, cessaverit in solutione pensionis, vel affictus, vel medii, liceat domino ipsius domus, & terræ capere, & detinere bona, & res talis inquilini, vel laboratoris, quæ fuerint etiam domi talis domini, authoritate propria, donec de his, quæ recipere debuerit, dominus ab eodem sibi fuerit integrè satisfactum. Qui dominus in fructibus omnium terrarum, quas laboraverit, laborator, qui tenuerit terras ad affictum, vel ad medium,& in rebus inquilinorum existentibus in domibus eisdem locatis pro pensione affictu, vel medio, cæteris aliis creditoribus præferatur, etiam habentibus priora, & potiora jura, & sit potior, etiam si sit posterior tempore, & hæc trahantur ad præterita, & futura, Et sit etiam ipse dominus affictus, pensionis, & cujuscunque redditus potior in jure in petendo, exigendo, & recipiendo affictum, pensionem, vel redditum, quam uxor affictalis in dote, vel pro dote sua, non obstante quod Instrumentum affictus, pensionis, vel redditus sit confectum post instrumentum dictæ dotis, seu postquam dictus affictalis ipsam uxorem duxerit, immo etiam uxor tenetur ad pensionem domus, ut disponitur supra Rub. 121. hujus secundi libri. Et si quis laborator receperit pecuniam, vel frumentum, vel aliud bladum mutuo à domino, à quo terram habet ad laborandum; & etiam si quis habuerit,& tenuerit in soccitam aliquas bestias ab aliquo, & receperit aliquid mutuo, ut supra, ipse Dominus sic mutuans sit potior omnibus aliis creditoribus dictorum laboratoris, & tentoris bestiarum in fructibus, & bestiis, & earum fœtu, etiam anterioribus tempore, in ea terra videlicet, quam ab eo laborant, non obstante quod alii creditores bona talium laboratorum, & tentorum bestiarum habeant obligata, quæ omnia locum habeant in fructibus pendentibus in tali terra, & per unum mensem postquam extracti fuerint, & exportati, & in præteritis, & in futuris, & eadem prærogativa gaudeat in fructibus, qui mutuavit semina, qui præferatur etiam Domino ex causa affictus; dummodo legitimè, & aliter quam per partium assertionem constet, talia semina sata fuisse in bonis, de quibus agi contingat.

De conveniendo quemlibet ex consortibus insolidum pro affictu. Rub.CXXXII.

ORdinamus, quòd si fuerint plures consortes alicujus rei, unde redditur affictus, vel in ipso affictu reddendo, dominus affictus possit convenire quemlibet ex consortibus in solidum,& quilibet ex consortibus teneatur in solidum ad totum affictum grani, bladi, vini,& aliorum reddituum; dum tamen dominus sit contentus solutione unius summæ totius affictus. Et terra, ex qua redditur affictus, non possit dividi inter consortes, seu fratres, vel alios affictales, & idem dicimus per omnia de omnibus aliis redditibus, & pensionibus; & si divisa fuerit, non habita voluntate domini, quilibet dividens condemnetur in libris quinquaginta den. quandocumque, non obstante aliquo tractu temporis, & ipsa divisio rescindatur ad voluntatem domini affictus, & recipere debentis. Et quicumque tenet, vel tenuerit aliquam de rebus, ex quibus redditur affictus, redditus, seu pensio, vel partem ipsius rei, quocumque jure, vel modo eam teneat, ille talis intelligatur consors, & possit

possit conveniri in solidum sicut alii consortes, aut dimittat rem domino affictus, pensionis, vel redditus sine ullo pretio sibi restituendo ab ipso domino affictus, & nihilominus, ut dictum est, quilibet eorum possit conveniri pro toto affictu pensione, vel redditu decurso à contestatione litis citra, quoad actionem personalem, seu quoad actionem realem, vel hypotecariam, possint creditores ex causa affictuum agere, & prædicta locum habeant in præteritis, præsentibus, & futuris. Si quis vero negaverit consortes suos, quos habet, vel qui fuerint in affictu præstando, vel recipiendo esse, vel fuisse consortes; item si hæredes, vel successores alicujus hoc negaverint, sive per eos, sive per eorum procuratorem, tutorem, curatorem, actorem, vel alium quocumque nomine nuncupatum, & postea probatum fuerit, condemnetur in libris decem Communi Pistorii.

Quicumque verò petierit ab affictali suo affictum, quem receperit, seu habuerit ipse, vel alia persona pro eo, condemnetur in duplum affictus petiti; & prædicta etiam locum habeant in hæredibus, & successoribus, sive per eos petitum, vel negatum fuerit, sive per eorum procuratorem, tutorem, curatorem, actorem, vel alium quocumque nomine censeatur, & Communi Pistorii applicetur. *Vid. a c. 326.*

De empoemate, & melioramento obligato domino pro affictu. Rub. CXXXIII.

ORdinamus, quod melioramentum rei, ex qua redditur affictus, sit obligatum ipsi personæ, quæ affictum recipere debet, vel consuevit, pro ipso affictu, tam pro futuro, quàm pro præterito, in quo melioramento præferatur aliis creditoribus, habentibus priorem hypotecam pro d. affictu.

De eo, qui præstiterit duabus, vel tribus vicibus affictum. Rub. CXXXIV.

STatutum, & ordinatum est, quod si aliqua persona, vel locus per se, vel alium, duabus, vel tribus vicibus affictum grani, bladi, vini, vel alterius rei receperit, & hoc probaverit per duas, vel tres personas, licet quælibet sit sola in dicto suo, & dicat de una vice, & de credulitate scire, quod sit affictalis, scilicet quod affictalis, vel ejus uxor, filius, vel alius de sua familia reddiderit ipsum affictum (& habeant locum hæc in præteritis, & futuris, licet non diffinitis) detur super hoc domino affictus, vel personæ, vel loco à Judice juramentum diffinitivum, & postea quilibet Officialis faciat solvi domino; & si dominus perjurus reperiatur in fraudem, incidat in pœnam librarum quinquaginta den. ultra perjurium. Et si quis negaret se debere affictum, & postea probatum fuerit qualicunque modo, talis negans incidat in pœnam librarum centum den. applicandorum pro dimidia Communi Pistorii, pro quarta Rectori exigenti, & pro reliqua quarta parte ei, contra quem fuerit facta negatio. Et quod quæcunque persona, vel locus teneret, vel possideret rem aliquam, vel aliquam partem ipsius rei, unde fuit redditus affictus, vel pensio alicui personæ, vel loco, vel ejus authoribus per duas, vel tres vices ab illa persona, vel loco, qui talem rem, vel partem aliquam ipsius rei tenet, vel possidet, vel ab ejus authore, vel authoribus, vel ab alia quacunque perso-

na, possit probari, & sufficiat probatio per cartam publicam concessionis factæ, & locationis in affictum, seu renovationis, vel confessionis affictus cujuscunque, etiam alii personæ, quam possidenti, vel tenenti per aliquam personam, vel locum, vel ejus authorem, vel aliquam personam à qua diceret causam habere, vel per testes, qui dicant de locatione, vel concessione, renovatione, vel confessione, vel quod consuetum sit præstari talem affictum, vel pensionem, qui dicant de duabus, vel tribus vicibus, etiam si fuerint ipsi testes soli in eorum dictis, & dicant de credulitate, quod sit affictus, vel quod de tali re, vel aliqua re exeat, vel quod ex affictu, vel per affictum, vel pensionem reddatur de ea re, & etiam si sint de familia illius, qui dicat, se affictum, vel pensionem recipere debere, vel debuisse, vel authorem suum, vel etiam dicant de affictali, vel possidente, vel tenente præstationem, vel ejus familia, teneatur talis possidens, vel tenens ad præstationem affictus, vel pensionis, ac si ipse, vel ejus author affictum, vel pensionem solvere, vel præstare promisissent personaliter, & contra eum procedi possit ad accipiendum possessionem de affictu detento per triennium integrum, & totius triennii, etiam si tale triennium non esset continuum, ac si ipse esset ille, qui promisisset solvere, vel prestare talem affictum, vel pensionem, non obstante aliqua exceptione ignorantiæ, quæ opponatur, vel opponi possit, & etiam non obstante aliqua temporis præscriptione, salva defensione prout de jure dicto tenenti, vel possidenti. Cuicumque verò fuerit facta locatio pro affictu, reddditu, vel pensione, vel quæcumque persona fuerit confessa in publico Instrumento se possidere rem aliquam pro affictu, pensione, vel redditu, præsumatur hodie tenere, vel possidere ipse, vel ejus hæres, vel hæredes, nisi possessorem ostenderit, vel probaverit, itaquod ad solutionem cogi, & compelli possit talis possessor in judicio sæculari Communis Pistorii, in quem possessorem facta fuerit legitimè de jure alienatio ipsius rei, & si non ostenderit alium, vel alios possessores, ipse cogatur, & cogi possit ad solutionem prædictam, quæ omnia suprascripta locum habeant in præteritis, & futuris, non obstantibus aliquibus Statutis, capitulis, & constitutionib. suprascriptis, vel infrascriptis. Hoc semper intellecto, quod si alienatio ipsius rei facta fuerit etiam per aliquos actus, per quos dominium transfertur sine expressa voluntate domini affictum recipere debentis, ipse dominus convenire possit dictum possessorem, vel eum, cui locatio facta fuerit, vel ejus hæredes. Et idem intelligatur, & observetur de omnibus detinentibus terras, possessiones, & domos unde redditur, vel reddi debet affictus, pensio, vel ejus redditus.

Et si affictalis, vel pensionarius detinuerit, & non solverit affictum, vel pensionem integrum, seu integram totius triennii, etiam si tale triennium non esset continuum, Dominus affictus, vel pensionis possit cum authoritate Judicis, quam Judex ei teneatur præstare, requisita primò parte adversa, si non ostenderit justam causam infra triduum, quarè detinuerit, & non solverit, introire possessionem rei, ex qua redditur affictus, vel pensio, ad effectum, ut sibi satisfiat de suo credito, sed ad effectum caducitatis, debeat assignari terminus unius mensis, intra quem si non solvatur canon, seu affictus intel-

intelligantur bona ipso facto, & ipso jure cecidisse in commissum, absque spe aliter purgandi moram. Et quæcunque persona, quæ tenet terram, vel aliam rem, vel aliquam partem ipsius terræ, vel rei, vel aliquam de rebus concessis, vel locatis in affictum sibi, vel alicui alii personæ, vel loco, vel ex qua consuetum est, vel debet præstari affictus à quacumque persona, vel loco, Potestas, vel Judex cujus cognitio erit, cogat illam personam tenentem, vel possidentem talem terram, vel rem, vel aliquam ipsius partem, seu aliquam de prædictis rebus, solvere totum affictum ipsi concessori, vel locatori, vel consueto recipere affictum, pensionem, vel redditum, vel ejus successoribus universis, & singulis, non obstante aliqua temporis præscriptione, & idem sit de pensionibus, aliisq; redditibus, & præstationibus. Et hoc capitulum, & omnia suprascripta locum habeant in his personis, quæ tenent rem obligatam pro affictu, redditu, vel pensione, quæ omnia locum habeant in præteritis, & futuris.

De non deteriorando rem, unde redditur affictus. Rub.CXXXV.

ORdinamus, quod aliquis de Civitate Pistorii, vel districtu, affictalis, vel terram, vel rem tenens, de qua debet, vel consuevit præstare affictum, vel alium redditum, non possit minuere, vel deteriorare terram ipsam, vel rem aliquo modo, salvis pactis habitis inter eos. Et si affictalis neglexerit laborare terram, de qua redditur affictus, pensio, vel alius redditus, liceat Domino cum authoritate Judicis causarum, quam Judex ei præstare teneatur, requisito affictali, talem terram laborari facere, & fructus inde percipere, computando fructus, quos percepit pro affictu, & redditu, & expensis in laborerio factis, non præjudicando domino in aliquo jure, quod habet pro affictu contra affictalem, vel jure, pro quo redditur affictus, quæ locum habeant in præteritis, & futuris in terris laboratis per Dominum sine licentia, & authoritate Judicis. Et in ultimo anno locationis, & conductionis, non possint seminare bladum pro succhiando terram, & deteriorando ejus laborerium in bonis affictalis, nisi vangaverint, & suceraverint terram, in qua deberet seminari bladum, quo casu possint facere, & seminare fabas, mileum, & panicum, dummodo non fiat post secationem grani super siccis, vel super linulis, Conductores verò ad medium, nullatenus possint facere bladum in ultimo anno, nisi de consensu Domini, bladorum autem appellatione veniant omnia semina, exceptis seminibus grani, lini, vecciati, & segalati. Nec possint dicti laboratores, & conductores in ultimo anno aliquid incidere super dictis terris; laboratores verò, qui non sunt in ultimo anno, possint potare arbitrio boni viri, sub pœna librarum centum den. applicanda pro dimidia Domino bonorum, seu parti offensæ, pro quarta parte Rectori exigenti, & pro reliqua quarta parte Communi Pistorii.

Quod affictalis, & pensionarii non possint alienare res, ex quibus redditur affictus, vel pensio, nec eorum melioramentum. Rub. CXXXVI.

STatutum, & ordinatum est, quod nullus colonus, affictalis, laborator, vel pensionarius de Civitate, vel districtu Pistorii, possit vendere, donare, vel aliter alienare in totum, vel in partem aliquas possessiones sui domini, sive quas tenet ad pensionem, vel affictum, alicui personæ, vel loco sine licentia domini sui; & si colonus affictalis, vel laborator vendiderit, vel alienaverit aliquas possessiones, non præjudicet suo domino in aliquo suo jure, etiam possessionis. Nec possit ipse colonus, affictalis, vel laborator obligare occasione dotis, testamenti, vel alicujus debiti contracti per eum, aliquas possessiones talis domini sine ejus consensu, nec alicui, in quem facta esset talis venditio, alienatio, vel obligatio de talibus bonis contra prædicta, jus aliquod acquiratur, & ipsa venditio, alienatio, & obligatio sit ipso jure nulla, irrita, & cassa, & hoc capitulum sit præcisum, & locum habeat in præteritis, & futuris, & insuper talis vendens, vel alienans, condemnetur in libris centum den. cujus medietas spectet ad Dominum rei alienatæ, & ei applicetur quarta Communi Pistorii, & reliqua Rectori eam exigenti. Et affictales prædicti non vendant, nec alienent, nec affictent ad longum tempus decem annorum, nec permutent, nec dividant, nec dent in dotem jura sua de rebus, quas in affictum habent, nec ex toto, nec ex parte aliqua, nisi prius eum, vel eos, à quo, vel quibus terram habent, vel eorum hæredes, & successores requirant, & certum pretium, quod inde habere possint Dominis, vel dominabus denuncient, & non dent alicui, qui non sit subjectus jurisdictioni sæculari communis Pistorii, nec alicui, qui non sit magis idoneus ipso affictali, & coram testibus per publicum Instrumentum fiat ipsa requisitio, vel de mandato Judicis causarum in scriptis per nuncium Communis Pistorii. Et si domini voluerint pro eodem pretio, quod ab aliis consequi posset, eis detur, & si infra mensem non acceperint, affictalis det cuicumque voluerit, non tamen personis, vel locis prohibitis, ut supra; & hæc locum habeant si affictalis venerit infra mensem ad audiendum responsionem à Domino factam, vel Domina, nisi ad voluntatem Domini hoc fieri fecerit, salvis pactis, & conditionibus prius inter Dominos, & affictales habitis, & expressis, & si contra factum fuerit, ad eos, vel ad eas, quibus affictus præstabatur, revertatur ipso jure, & dicti affictales cadant à jure suo, & bona redeant ad Dominum, ad ejus tamen voluntatem, cum omni melioramento, sine aliquo onere illud reficiendi, & insuper puniatur pœna librarum centum denariorum ad favorem Communis Pistorii. Et si fuerint plures consortes ex patrimonio, vel ex successione, & unus dimiserit, alter cogatur tenere, & solvere, nisi per voluntatem recipientis remanserit. Nec affictales possint vendere partem aliquam de terris affictatis sine voluntate Domini, etiam si Dominum inde requisierint, quod si contra prædicta, aut aliquod prædictorum factum fuerit, non valeat ipso jure, & nihilominus rescindi debeat, & in pristinum statum reverti infra octo dies, ex quo inde fuerit reclamatum, & de

hoc

hoc teneatur, & possit cognoscere Judex causarum civilium summariè, sinè strepitu, & figura judicii, vel libello, vel petitione, vel litis contestatione, & persona contrafaciens puniatur in libris centum den. quandocumque non obstante aliquo cursu temporis, & etiam cadat à jure suo, ut supra dictum est. Et quilibet pensionarius, affictalis, & quilibet alius, qui teneret bona ab aliquo in perpetuum, vel ad lineam, vel ad longum tempus, teneatur, & obligatus sit singulis novem annis recognoscere per scripturam publicam terras, seu bona, quæ, & quas tenet ab aliquo, & eas, vel ea reconfinare, & in solidum se obligare ad petitionem concedentium, vel eorum hæredum, vel successorum, sub pœna, & ad pœnam caducitatis dictorum bonorum, si infra mensem à die requisitionis prædicta non adimpleverit, cum omni melioratione, ut supra dicitur. Et si contigerit debere, vel velle dari in solutum aliquam rem, ex qua præstatur affictus, seu consuevit præstari, seu melioramentum pro eo pretio, quod arbitratum fuerit, hoc ante dationem in solutum denuncietur Domino, vel Dominæ affictus, & licitum sit ei recipere, & habere illud melioramentum pro pretio æstimando à duobus amicis communibus, ab utraque parte eligendis, & in casu discordiæ eligatur tertius: modo, quo secundùm statuta eligi debet consultor, & quicquid per duos ex eis fuerit arbitratum, alio etiam absente, & irrequisito, vel præsente, & contradicente valeat, & exequatur, & si aliter factum fuerit, ipsa alienatio non valeat ipso jure, & nihilominus rescindi possit, ut superius dictum est, & idē dicimus de pensionibus, & aliis redditibus. Et si affictales vendiderint, vel aliquo modo alienaverint terram, vel aliam rem, de qua datur affictus, nisi prius requirant Dominum, ut supra dicitur, ipsa alienatio, & nulla temporis præscriptio debeat nocere Domino, vel illi, seu illis, cui, vel quibus affictus redditur, quocumque titulo possideat rem, de qua præstatur affictus, & quilibet Officialis, cujus cognitio fuerit, teneatur hoc facere in pristinum statum reverti, si Domino placuerit. Et si ipse Dominus voluerit habere ipsam rem alienatam pro pretio, ut supra, sit in ejus libertate, & voluntate, & de prædictis possit etiam cognoscere Judex causarum civilium, & idem dicimus de pensionibus, & aliis redditibus. Et si olim fuerunt, vel sunt hodie consortes in aliqua re data ad affictum, vel pensionem, vel eorum hæredes, & aliquis consortium, vel hæredum eorum voluerit vendere, vel alienare empoema ipsius rei, vel rem emere, vel non emere, & consors, qui est, vel fuerit, si voluerit, ipsam rem emere pro tanto pretio, quanto ab alio haberi poterit, vel pro eo pretio, quo declaratum fuerit per amicos communes, ut supra eligendos, ita ut in casu, quo de pretio non concordetur eligendi sint æstimatores, teneatur eidem suo consorti vendere, & alienationem facere, vel ejus hæredibus, pro pretio, ut supra, & alteri personæ, excepto Domino affictus, irrequisito consorte vendere, vel alienare non possit. Quod verò attinet ad census, & eorum constitutionem, qui frequentari cœperunt, servetur Bulla Pii Quinti super constitutione, & creatione censuum. *Vid. a c.328.*

Delle

Delle quistioni, cause, e differenze sommarie. Rub. CXXXVII.

ORdiniamo, che il Clarissimo Sig. Commissario debba conoscere, decidere, & esaminare tutte l'infrascritte cause sommariamente, manu regia, e vista solo la verità del fatto senza osservanza alcuna di termini sostanziali, o dilazioni statutarie, e senza oblazione di libello, o di qualsivoglia petizione; le cause delle mercedi, & opere manuali, e mercenarie, che non fosse passato il tempo di tre anni dal dì, che si dicesse averle date, o fatte; ma passati tre anni, si deva procedere secondo la forma delli Statuti, e le cause de' depositi, di quelli, che pigliano cose altrui per vendere, le cause, e differenze, che nascono per conto di compra, e vendita di vini, tutte le differenze, che nascono tra il padrone, e lavoratori per conto di locazione di beni, che non fossero liquide, e decise per Instrumento publico; le cause, che fossero infra' Padroni, e serve, o servitori; le cause delle vendite de' bestiami, che si vendano per contanti, a Beccai, o altri, e tutte l'altre cose, dove corre la vendita per i contanti, che il compratore abbia ricevuta la cosa venduta, e recusi pagare il prezzo, parendo che questa recusazione sia specie di giunteria: le cause delle differenze sopra le vendite de' cavalli, e loro vetture, & ancora per conto di vendita di foglia di Gelsi: le cause delle differenze delle pigioni delle case, e botteghe, quando della locazione, o conduzione non apparisse scrittura pubblica, o privata: le differenze, che nascessero tra gli albergatori, & hosti, e quelli che alloggiano. Nelle quali cause il Signor Commissario debba procedere come di sopra in qualunque giorno, ancorche feriato, eccetto le ferie indotte in onor di Dio.

Osservandosi in ciò lo Statuto delle appellazioni, e dichiarando, che Attuarj di dette cause sieno i Notai di Banco delle cause civili, e non altri, sotto pena della nullità degli Atti, e delle essecuzioni, con pena ancora all' Attore, & a gli Attuarj, che s'ingerissero, di lire venticinque per ciascuno, e ciascuna volta, da applicarsi il terzo alla Camera Ducale, un terzo all' Esattore, & un' altro terzo all' accusatore, o denunziatore publico, o segreto.

Explicit Liber Secundus.



LIBER



LIBER TERTIUS STATUTORUM PISTORII.



De Repræsaliis concedendis. Rub. I.



PRovisum, & ordinatum est, quòd Potestas, Capitaneus, & Commissarius Civitatis Pistorii, & quilibet eorum adjuvent, & adjuvare teneantur, & debeant homines, & personas Civitatis, & districtus Pistorii sua credita, & jura requirere, & recuperare; & si in aliqua Civitate, vel Castro, vel Terra extra dictum districtum habere deberent aliquã pecuniæ quantitatem, vel eorum res fuerint ablatæ, vel detentæ, vel eorum possessiones fuerint inquietatæ, vel ab eis iniquæ exactiones, vel pedagia extorta, vel ab eis ablata contra debitum, & solitum modum, & pactum, vel in personis fuerint detenti, & propter hoc expensis gravati. Ad petitionem talis creditoris, & injuriam passi, & damna, & iniuriam petentis requiri faciant ipsi DD. Potestas, Capitaneus, Commissarius, & Judices ipsorum Rectorum, Consilium, & Commune ipsius Terræ nunciis, vel literis Communis Pistorii, & satisfieri faciant tali personæ recipere debenti, vel iniuriam passo, & damna, & iniuriam petenti, vel ejus procuratori, absque aliquo gravamine, & dispendio, & justitiam ei faciant summariè, & breviter, itaquod sua credita consequantur. Et si Præses circa petitionem, seù cautionem, & requisitionem prædictam neglexerit, seu negligenter processerit, vel omiserit plenam, & summariam justitiam, & rationem facere, iterum eum requiri faciant per literas rogando, ut infra mensem post literarũ præsentationem satisfieri faciant tali creditori, vel iniuriam passo, vel damnificato; denunciando, quòd ipsi suis civibus deesse non possunt, nec debent, & quod eis providere tenentur, nisi satisfecerint ex forma capituli constituti. Et si post binam citationem prædictam, satisfactio non fieret, tunc Potestas Civitatis Pistorii, recepta probatione summaria à tali cive, vel comitatino, seu recipere debenti, vel iniuriam passo, vel damnificato, vel iniurato veri-

tatem

tatem dicente, convocato Consilio Populi in ejus præsentia, facta propositione, & obtento partito modo infrascripto, prædicto civi, vel comitatino, debeat dare licentiam, & potestatem de eo, in quo ostensum fuerit se debere recipere, vel damnificatum esse, capiendi, tensiendi, detinendi, sequestrandi, vel immittendi personas, & res civium Civitatis, & hominum Locorum, & Castrorum, qui sic requisiti fuerint, & citati usque ad valorem, & æstimationem rerum, & quantitatis debitæ, recepta prius de quantitate idonea securitate à tali petente licentiam capiendi de præsentandis rebus, & ostendendis, quas contigerit eum ob hanc causam tollere, vel tensire coram Rectore Civitatis Pistorii, & de rebus sic ablatis fieri facere publicum Instrumentum infra mensem, nè aliquæ ex eis aliqua fraude celentur, quam scripturam teneat Camerarius Communis Pistorii. Et teneatur quilibet Rector omnes repræsalias, quæ tali modo concessæ fuerint, vel alio quocumque modo firmas tenere, & non revocare, & illas executioni mandare ad voluntatem petentis, non obstante aliquo capitulo constituti, precibus, vel rogatione aliquarum personarũ undecunque sint. Neque Præses, nec aliquis de sua familia possit, vel debeat suspendere aliquã licentiam repræsaliarũ alicujus Civitatis concessarum, vel concedendarum, seu aliquam repræsaliam Civitatis, vel districtus, nec inde consilium tenere, vel reformare, vel eas aliquo modo, vel ingenio impedire, vel obliquare, nec possit dare licentiam, vel securitatem alicui personæ, vel loco, contra quam, vel quam lata esset, vel fuerit aliqua repræsalia, nisi solummodo de voluntate, & consensu prædictorum habentium repræsalias; & si contra prædicta, aut aliquod prædictorum fieret per aliquẽ de sua familia; condemnetur dictus Præses per Syndicum, qui eum sindicabit in libris quinquaginta den. dandis, & solvendis habenti repræsalias. Et habentes repræsalias, possint eis uti liberè, & expeditè authoritate propria, & sine licentia alicujus, postquam dictæ repræsaliæ eis concessæ, vel in posterũ concedendæ, confirmatæ fuerint per S. C. R., vel ejus praeclarissimos Consiliarios, non obstante aliquo capitulo; & hoc capitulum sit præcisum, & præcisè debeat observari in qualibet sui parte, & prædicta volumus fieri, & executioni mandari, non obstante aliqua temporis præscriptione. Et postea deinceps nulla repræsalia, vel licentia obtineri possit, vel debeat quoquomodo dari, vel concedi per aliquod Consilium, vel aliquem Rectorem Civitatis Pistorii, contra aliquam Civitatem, Terram, Communitatem, vel locum de extra Civitatem, & Comitatum Pistorii, nisi prius de concessione talis repræsaliæ, & licentiæ solemnis propositio, & reformatio facta fuerit in Consilio populi dictæ Civitatis; & si secus data, vel concessa fuerit, non valeat, & non teneat ipso jure, & pro non data, vel concessa habeatur. Et ad hoc, ut cives, & districtuales Pistorii habeant materiam benè peragendi, & ob metum præsentis capituli, & contentorum in eo, ab omnibus malis se abstineant, & desinant defraudare. Statutum est, quod quilibet ex prædictis civibus, & districtualibus cum alienis mercibus, rebus, florenis, vel pecuniæ quantitatibus, invitis dominis ipsarum mercium, rerum, florenorum, vel pecuniæ, etiam possit à quolibet vero, & legitimo creditore in dicta Civitate Pistorii personaliter

sona-

ſonaliter, & realiter conveniri, non obſtante aliquo Statuto, vel capitulo in contrarium loquente. Hoc etiam expreſsè declarato, quòd ſi literæ repræſaliarum, vel quoquomodo præjudiciales contra Commune Piſtorii, vel Univerſitatem ipſius Communis venerint, ſeù repræſentatæ fuerint, vel quoquomodo impetratæ, ſtatim DD. Priores, & Vexillifer Juſtitiæ dictæ Civitatis pro tempore exiſtentes, vel eorum loco ſubrogati, eorum decreto, & deliberatione per illos Officiales, quibus, ſeu cui ipſi commiſerint, faciant talem, ſeu tales debitores, ob quorum culpam, vel defectum prædictæ literæ repræſaliæ, ſeù præjudiciales venerint, ſeu impetratæ fuerint, per eorum birruarios, familiam, ſeu Officiales perſonaliter detineri, & in carceribus poni, & mancipari, in quibus ſtent, & ſtare debeant detenti per ſpatium ſex menſium, niſi tales capti, vel capiendi, & detinendi voluerint legitimè, & idoneè ſatisdare per fidejuſsores de ſolvendo, & ſatisfaciendo ſuis creditoribus, & de conſervando indemne Commune Piſtorii à talibus literis, ſeu repræſaliis, & pœnitus ſine damno: vel niſi penes idoneam, & ſufficientem perſonam de quantitatibus, mercantiis, & rebus, vel earum æſtimatione petitis, vel occaſione dictarum literarum petendarum idoneum, & ſufficiens depoſitum fecerint, ſeu fieri fecerint, in quibus caſibus non detineantur, immo ſi capti fuerint, relaxentur. Hoc expreſso, & declarato, quòd ſtatim ipſo, ſeu ipſis, de quibus ſupra fit mentio, capto, ſeu captis, dicti DD. Priores, ſeu Vexillifer Juſtitiæ, vel eorum loco ſubrogati, qui tunc temporis in officio præerũt, teneantur tali domino, ſeu dominis, communi, ſeu communibus ſignificare per literas, quod talibus petentibus, vel literas præfatas impetrantibus coram Judice Communis Piſtorii cõparentib. fieri facient jus ſummariũ, & tales Piſtorienſes realiter, & perſonaliter conveniri; & quod talis captus eſt, vel quod ſufficienter ſatiſdedit, ſi ſatisdederit, vel ſufficienter depoſuit, & quòd talis petens expectabitur per ſex menſes, quibus elapſis, liberabitur à dd. carceribus, fidejuſſione, vel depoſitione. Et cùm multæ literæ repræſalias continentes, & præjudiciales multis Rectoribus, & Officialibus Civitatis Piſtorii miſsæ fuerint, & ſint, & ipſas literas legi, & notificari non fecerint in Conſilio populi Civitatis Piſtorii, propter quod dictum Conſilium, ut ignarum providere non potuit negotiis Communis Piſtorii circa ipſas literas remediis opportunis, & propterea Commune Piſtorii, & homines ejuſdem non modicum damnificati fuerint, & ſint; ideo proviſum ſit, quod DD. Priores, & Vexillifer Juſtitiæ pro tempore exiſtentes, vel eorum loco ſubrogati, teneantur, & debeant omnes literas continentes repræſalias, vel quoquo modo præjudiciales Communi Piſtorii infra quinque dies futuros à die receptionis earum in Conſilio populi legi facere, & ſuper his conſilium petere, & quicquid per ipſum Conſilium circa dictas literas fuerit proviſum, infra octo dies inde proximè futuros executioni mandare, ſub pœna librarum centum pro quolibet ipſorum DD. Priorum, vel ſubrogatorum, & privationis officiorũ, beneficiorum, & bonorum Communis, & ſi ad finem alicujus officii DD. Priorum, vel ſubrogatorum prædictorum venerint; teneantur, & debeant ſub dictis pœnis literas ipſas, quas receperint, prima die introitus ſucceſſori-

bus eorum consignare. Qui novi DD. Priores, vel subrogati, infra tres dies post earum consignationem proximè futuros, teneantur eas executioni mandare in omnibus, & per omnia, ut supra dictum est, & continetur, sub pœnis suprascriptis; & Cancellarius Communis Pistorii, & Notarius dictorum DD. Priorum literas prædictas, quæ dirigerêtur, & præsentatæ fuerint Communi Pistorii, legere teneantur in dicto Consilio, sub dictis pœnis, attamen ipsis literis per alterum eorum lectis, alter eorum legere non teneatur. Et omnes Rectores, & Officiales Civitatis Pistorii, cui, seu quibus tales literæ missæ fuerint, ipsis literis receptis, teneantur infra tres dies ab earum receptione eas notificari facere DD. Prioribus, & Vexillifero Iustitiæ, vel eorum subrogatis, sub pœna, & ad pœnam librarum centum den. tali Rectori, & Officiali, non servanti prædicta de suo salario auferenda, ad favorem Communis Pistorii per Syndicum, qui eum syndicabit. Et cùm jura Communis minuantur ob negligentiam non scribentium, ad hoc ut de cętero meliùs inveniantur sancitum est, quòd expensis Communis fiat, & fieri debeat unus liber cartarum pecudinearum in tabulis ligatus, in quo omnes prędictæ repræsaliarum, & præjudiciales literæ describantur, & registrentur, & quicquid per dictum Commune Pistorii earum vigore factum, ordinatum, seu secutum fuerit per Cancellarium, seu Notarium suprascriptos, vel alterum eorum registretur, sub dictis pœnis privationis officii, & beneficiorum Communis Pistorii, de quibus talis Cancellarius, & Notarius contrafaciens ipso jure intelligatur esse, & sit ipso jure privatus, & pœnitus remotus, & sufficiat si per alterum ex eis registretur.

Et cùm multæ repræsaliæ contra Commune Pistorii, & ipsius singulares personas contra Deum, & Iustitiam retroactis temporibus concessæ dicantur; Statutum est, quòd quicumque de cœtero aliquid peteret à Communi Pistorii, vel singularibus personis ipsius Civitatis, & dicta occasione contra ipsum Commune, & homines, & personas ejusdem literas præjudiciales, vel repræsaliarum impetraverit extra ab aliquo Commune, Præside, Domino, vel Officiali Ecclesiastico, vel sæculari, cujuscumque status, vel dignitatis existat, & ipse, vel ipsi sic petentes, vel impetrantes, sic petens, vel impetrans requisitus fuerit, ut de petitis per eum compromittatur in Iudicem non suspectum Communi Pistorii de jure tantùm: si infra octo dies à die qua fuerit requisitus proximè secuturos, ut supra dicitur, non fecerit compromissum, condemnetur, & condemnari debeat per Officiales, & Rectores Communis Pistorii, vel alterum ipsorum arbitrio talis Rectoris super hujusmodi causa procedentis. Et si facta commissione prædicta, appareat dictum, seu dictos petentes, seu impetrantes in his, quæ petuntur non fovere justitiam, & in dicta causa succubuerint, & à petitione ipsorum Commune Pistorii, seu reus, vel rei, seu alter ipsorum absolutus fuerit per dictum Iudicem, tunc, & eo casu dictus petens, seu petentes, vel impetrantes, condemnêtur per quemcumque Rectorem, seu Officialem Communis Pistorii ad favorem ipsius Cõmunis arbitrio talis Rectoris, seu Officialis. Et intelligantur literæ Officiali, seu Officialibus Communis Pistorii notificatæ, eo ipso quo præsentes sint in

Consi-

consilio, quando leguntur, ita quod nullam possint ignorantiam allegare, quin facientes contra præsens capitulum condemnent, ut superiùs dictum est; & Domini Priores, & Vexillifer Iustitiæ, vel eorum loco subrogati teneantur notificare per literas responsivas, præsens capitulum Communi, seu domino, à quo, seu quibus tales literas receperint, statim ipsis primis literis repræsaliarum receptis, & similiter contra Officiales, & Rectores Communis Pistorii, qui tales primas literas receperint, per suas literas responsivas statim primis literis receptis tali Communi, seu domino, à quo receperint præsens capitulum notificare; quod capitulum vindicet sibi locum in repræsaliis jam concessis contra dictum Commune Pistorii, & ipsius singulares personas, si, & in quantum contumaciæ, quarum vigore dictæ repræsaliæ concessæ fuerint, tollantur. Quibus contumaciis remotis, si removeri poterunt, talis seu tales, ad cujus, seu quorum petitionem concessæ fuerint, si fuerint requisiti, ad ea omnia, quæ in præsenti capitulo continentur, teneantur, & contra eos procedatur, & fiat in omnibus, & per omnia, prout supra continetur. Quæ omnia valeant, & teneant, & inviolabiliter debeant observari, non obstantibus aliquibus legibus, statutis, ordinibus, vel reformationibus Populi, vel Communis Pistorii, etiam quantumcumque pœnalibus, derogatoriis, vel præcisis, seu aliis quibuscumque, quibus omnibus, in quantum essent contraria ad prædicta, vel aliquod prædictorũ, sit, & esse intelligatur nominatim, expressè, & specialiter derogatum. Et omnia, & singula in præsenti capitulo contenta, solùm, & dumtaxat vindicent sibi locum, & habeant, & habere intelligantur contra illos tantùm, qui sunt de extra Civitatem, Comitatum, & Districtum Florentiæ.

De conservando indemnes eos, qui se obligaverunt pro Communi. Rub. II.

Censemus, quòd quicumque se obligaverit pro Communi Pistorii pro aliquo debito solvendo de voluntate Communis ipsius, vel Consilii ejusdem, conservetur à dicto Communi indemnis in omnibus ab ipsa obligatione, & ad terminum, vel terminos constitutos debitum persolvatur, & Præses teneatur pro posse prædicta executioni mandare.

De juribus Communis reperiendis. Rub. III.

Sint solliciti Capitaneus, & ejus Iudex, & Vicarius generalis Communis Pistorii, & Priores, & Vexillifer justitiæ reperire jura Communis Pistorii, & omnia bona, & fortiam, & auxilium dare ut reperiantur ad utilitatem Communis Pistorii. Qui Capitaneus publicè banniri facere teneatur per Civitatem Pistorii, quod si quæ persona habet, tenet, vel occupat injustè, vel indebitè de bonis, rebus, & pecunia Communis Pistorii, quod illam, & illas dare, reddere, & restituere debeat Camerario Communis Pistorii pro ipso Communi recipienti infra quindecim dies, quod si non fecerit, puniatur per ipsum Capitaneum in duplum æstimationis ejus, quod acceperat, habuerat, vel extorserat, cujus pœnæ medietas sit Communis, & altera medie-

tas accusatoris, & teneatur ei credentia. Et si quæ persona sciverit aliquem habuisse, vel percepisse aliquid de rebus, vel de pecunia Communis, denuncient ipsi Capitaneo, vel Camerario, & ei tenebitur credentia, & consequetur medietatem, & hoc banniatur primo mense introitus sui officii. Et cùm propter guerrarum pericula, quę hactenus viguerunt in Civitate, & Comitatu Pistorii, viæ, & stratæ tam publicæ, quàm vicinales occupatæ sint, & devastatæ, fontes, & pontes fluminum destructi, propter quæ magna incommoda sequuntur Civibus, & districtualibus. Statuimus, & ordinamus, quod dictus Dominus Capitaneus, seu Commissarius per se, & suam familiam sub vinculo ejus præstiti juramenti, & sub pœna librarum centum den. sibi retinendarum de suo salario per Camerarium dicti Communis, teneatur procurare, quod occupantes vias, & terrena Communis Pistorii, & districtus ejus contra formam Statutorum, illas, & illa relaxent & restituant, & stratæ, & viæ publicæ Civitatis Pistorii reaptentur, ut fuerit opportunum expensis vicinorum, prout disponitur in Capitulis fluminum, & Viarum, & Reformationis Officiorum Pistorii, qui cogi possint per quoscumq; Rectores Civitatis Pistorii.

E perchè l' evidenza ha fatto conoscere, che il devastamento di dette vie, e di quelle di fuori della Città, deriva in buona parte dalla troppo acutezza, ed altezza de' chiodi delle ruote de' carri, introdotta da alcuni anni in qua; Perciò si ordina, che in avvenire non si posano più fabbricare dd. ruote, se nõ con i chiodi in conformità del modello, che a tale effetto si conserverà nell' Opera di S. Iacopo, sotto pena di lire due per ciascun chiodo, non solo a' Padroni de' carri, ma ancora a qualsivoglia persona, che inserisse detti chiodi proibiti in dette ruote, da applicarsi un quarto all' accusatore, un quarto al Rettore, che farà esigere, ed il restante all' Ufizio dell' allastrico di detta Città; e la cognizione di queste transgressioni s' aspetti al Magistrato de' fiumi, e strade.

De solutione facienda datiorum per districtuales Civitatis Pistorii. Rub. IV.

FOrenses, & comitatini nostri districtus teneantur, & debeant solvere datia, & collectas, & facere alias factiones in eo loco, & Communitate, ubi habent possessiones, videlicet pro libra talium possessionum existentium in tali Communitate, itaquod ubicunque habuerint possessiones in dicto loco solvere teneantur pro dicta tali possessione, ubi est sita, & sic de singulis, & pro ea possessione in dicto loco solvatur secundùm decentem libram ipsius possessionis; datia verò, gravedines, & collectas solvendas respectu personæ solvant in eo loco, in quo morantur, & dormiunt; Et nulli à solutionibus suprascriptis, ut supra dicitur faciendis, se defendere possint, quin solvant, & etiam non obstante quod tales forenses, vel comitatini venerint ad habitandum in Civitate Pistorii, se tueri possint; & prędicta non vindicent sibi locum in illis, nec ad solutionem prędictam teneantur illi, qui sunt, vel erunt facti cives per reformationem Consilii populi Civitatis Pistorii, vel aliter secundùm formam Statutorum Civitatis Pistorii.

Quod

Quod habitantes in Comitatu Pistorii faciant factiones ubi habitant. Rub. V.

STatutum & ordinatum est, quòd omnes & singulæ personæ undecumque fuerint, vel sint cujuscumque conditionis existant, habitantes, & quæ deinceps habitaverint in aliquo Castro, Terra, Communitate, seu Villa comitatus, & districtus Pistorii, teneantur & debeant omnia, & quæcumque onera, munera, & factiones reales, & personales facere subire, & solvere in dictis Castro, Terra, Communitate, seu Villa, sicut alii homines ipsius loci, nisi tales personæ essent cives Civitatis Pistorii, vel facerent, & observarent, & observaverint integraliter ea, quæ continentur in Statuto Rubr. *De his, qui sunt, vel erunt facti cives per refor. cons.* vel nisi tales personæ essent, & fuissent cives Civitatis Pistorii per reformationem Consilii, vel alio modo legitimo, & habitaverint in Civitate Pistorii continuè cum eorum familia, & in ipsa Civitate facerent, vel fecerint omnes, & singulas factiones velut alii cives dictæ Civitatis. Et intelligantur tales personæ habitare in ipsa Civitate, licèt tempore vindemiarum, & messium habitent in comitatu cum familiis eorum, vel sinè. Salvis tamen privilegiis, & immunitatibus concessis per Statuta, vel reformationes Communis Pistorii forensibus venientibus, seu qui venerint ad habitandum in Comitatu Pistorii; & forensibus, ac etiam comitatinis Pistoriensibus, qui venirent ad exercendum artem, vel habitandum in Civitate Pistorii, ita quòd per prædicta, vel infrascripta non intelligatur ipsis Statutis, & reformationibus in aliquo derogatum, vel aliquid immutatum, & hoc Statutum non compræhendat cives Pistorii; & illi, qui soliti sunt Pistorii onera subire, Pistorii similiter solvant, non obstante, quod dicti tales Pistorii non habitent.

Quod omnia bona quorumcumque civium, & habitantium in Civitate Pistorii sint tributaria, & censuaria Communis. Rub. VI.

CUM in Consilio populi Civitatis, & Communis Pistorii in anno à Nativitate Domini millesimo quadringentesimo quarto, indictione duodecima, & die trigesima mensis Maii, provisum fuerit, quòd omnia, & singula bona quorumcumque civium, incolarum, & habitantium in ipsa Civitate Pistorii essent perpetuò obligata, & hypothecata Communi Pistorii, & oneri tributorum supposita, de quo pleniùs constat manu Ser Agabiti, Ser Joannis de Puppio tunc Cancellarii dicti Communis, cujus tenor est videlicet: IN CHRISTI NOMINE AMEN. Anno ipsius Nativitatis MCCCCIIII. indictione duodecima, die trigesima mensis Maii. Consilio Populi Civitatis Pistorii ex deliberatione Dominorum Priorum, & Vexilliferi Justitiæ populi, & Communis Pistorii, & officio duodecim bonorum virorum bannito ad vocem præconis de mandato nobilis viri Gini Nerii de Capponibus de Florentia hon. Capitanei Custodiæ Civitatis Pistorii, ad sonum campanæ convocato, & congregato in numero sufficienti in sala magna Palatii solitæ residentiæ præfatorum Dominorum Priorum, ut moris est, in quo quidem

Consi-

consilio sapiens jurisperitus Dominus Thomas Franchi de Sancto Geminiano Judex dicti Domini Capitanei, fecit infrascriptam propositionem solemniter obtentam, & deliberatam per antedictos Dominos Priores, & duodecim, secundùm formam ordinamentorum Communis Pistorii. Primò si videtur, & placet Consilio populi, & Consiliariis in eo existentibus pro utilitate Communis Pistorii providere, ordinare, & solemniter reformare, quòd authoritate ipsius Consilii, & consiliariorum ejusdem omnia, & singula, & quæcumque bona immobilia, & possessiones sitæ, & sita in Civitate, Comitatu, & districtu Pistorii omnium, & singulorum hominum, incolarum, & habitantium in ipsa Civitate, quæ, & quas ad præsens possident, & in futurum possidebuntur civiliter, & naturaliter, seu civiliter tantùm, seu naturaliter tantùm, per ipsos cives, incolas, & habitantes, vel aliquem ipsorum in dicta Civitate, quoad subeundum onera, datia, collectas, & munera realia imponenda, & imponendas in futurum in Civitate prædicta, sint, & esse intelligantur in futurum tributaria, & obligata, & hypothecata Communi Pistorii pro oneribus, datiis, collectis impositis, & de cętero in dicta Civitate imponendis, & exigendis, solvendis, & substinendis, & affecta oneribus ipsorum tributorum, datiorum, collectarum, & impositionum faciendarum, & exigendarum, ut prædicitur, in ipsa Civitate. Et quoad omnia prædicta substinenda, & supportanda sint, & esse intelligantur authoritate præsentis legis, & provisionis dicto Communi Pistorii donata, & donatæ per ipsorum possessores, tam præsentes, quàm futuros, ac si propriis nominibus, & vocabulis, confinibus, & locis in præsenti provisione forent, & essent specificata, & declarata; & ipsa bona, & possessiones, ipsi possessores, tam præsentes, quàm futuri authoritate præsentis legis, & provisionis à dicto Communi recepissent sub censu, & tributo collectarum, & datiorum, & impositionum exigendarum in ipsa Civitate Pistorii, & omnes, & singulæ collectæ, impositiones, præstantiæ, & datia imponenda, & imponendæ in ipsa Civitate Pistorii, civibus, incolis, & habitantibus, ut supra, vel aliquibus ipsorum bona ipsa, & possessiones tenentibus, & possidentibus, ut supra sint, & esse intelligantur in futurum impositæ, & imposita personis, respectu bonorum prædictorum per talem personam, ut dicitur, possessorum, ipsaque bona, & possessiones cum dicto onere, hypotheca, vel obligatione transeant, & transire intelligantur de cętero, & in futurum in quemcumque universalem, seu singularem possessorem, & successorem ipsorum bonorum cujuscumque conditionis, gradus, præeminentiæ, & dignitatis existat, etiam si fuerit locus Capitulum, Collegium, Conventus, seu societas, aut corpus privilegiatum. Detentoresque omnes, & singuli ipsorum bonorum suo, vel alieno nomine de fructibus, redditibus, & proventibus eorumdem nomine possidentes, & dominorum ut supra, solvere dicto Communi Pistorii omnia datia, collectas, & impositiones solvendas teneantur, & pro prædictis cogi, & compelli possint realiter, & personaliter, & cum effectu, & facta solutione per ipsos detentores sint, & esse intelligantur ipsi detentores liberi, & absoluti de ipsis fructibus, redditibus, & proventibus usque in quantitatem per

eos

eos solutam dicto Communi Pistorii. Et prædicta omnia, & singula sint valida, & firma, & pro lege municipali ipsius Civitatis in perpetuum valitura observentur, & executioni mandentur per omnes, & singulos Rectores dictæ Civitatis, & per omnes, & singulos cives, incolas, & habitantes, possessores, & detentores prædictos, loca, Capitula, Conventum, & societates easdem, non obstantibus aliqua lege, statuto, aut provisione communi, vel municipali in contrarium disponentibus, quibus (quoad prædicta) sit, & esse intelligatur generaliter, & specialiter derogatum, vel quid aliud placeat in Dei nomine consulatur generaliter, & specialiter. Super qua quidem proposita dictus Dominus Judex Consilium petiit utile pro Communi. SER NICOLAUS, SER LAPI PARTINI civis Pistoriensis, unus ex Consiliariis d. Consilii surgens ad Arengheriam deputatam volentibus consulere, dixit, & consuluit, quòd authoritate Consilii populi sit validum, & firmum, & inviolabiliter observetur, & executioni mandetur quicquid in dicta proposita ad literam continetur. Continuò misso, & dato partito ad fabas nigras, & albas per dictum D. Judicem de procedendo, vel non, super dicta proposita, & contentis in ea secundùm formam Statutorum, & ordinamentorum Pistorii, placuit sexaginta Consiliariis dicti Consilii, dantibus eorum fabas nigras pro sic, quod dicta proposita procedat, & super ea, & in ea contentis procedi debeat, & ita fuit obtentum de procedendo, non obstantibus xvj. fabis albis in contrarium datis. Item simili modo dato, & misso partito per dictum Dominum Judicem de voluntate præfatorum Dominorum Priorum super consilio dicti Consultoris, placuit quinquaginta septem Consiliarii dicti Consilii eorum fab. dantibus nig. quòd fiat, & observetur, & in omnibus exequatur consilium datum. Ita hodie pro utilitate dicti Communis Pistorii, & totius Reipub. ipsius confirmatum, provisum, & ordinatum est dictum capitulum, reformat. & statutum perpetuò valiturum, ut in eo continetur, & executioni mandari debeat in omnibus, & per omnia, & quoad omnia ad plenum, ut superius scriptum est.

De conversis professisque fictitiis. Rub. VII.

SI quis se conversaverit, filiis suis domi remanentibus non conversatis omnibus, prædicti filii faciant reales, & personales factiones, & mixtas, sicut pater faciebat, & si aliquis se conversaverit, & non fecerit professionem, sicut conversus facere debet, & non detulerit vestimentum, sicut conversi faciunt. & non habitaverit continuò in domo Ecclesiæ, vel loci Ecclesiastici, in quo, vel qua est conversatus, vel se conversavit, sed in domo sua, & non ostenderit instrumentum commissionis, in quo contineatur, quod se obtulerit Ecclesiæ, vel loco cum omnibus suis bonis, faciat reales, personales, & mixtas factiones sibi impositas: & si non fecerit, Commune Pistorii faciat usufructare bona sua ad favorem ipsius Communis, & de his, & ad eas teneatur postea sine remedio. Alii verò tam qui conversati sunt, quàm qui in antea se conversaverint, & habitaverint in Communi, ubi habitant ante conversio-

versionem, vel steterint in poderi, in quo primò morabantur, compellantur facere factiones in Communi suo. Et si aliquis, qui se dicat Clericum non faciens residentiam in Ecclesia, vel domo Ecclesiæ, & non deferens continuò habitum, & tonsuram clericalem, vel qui uxorem habet, declinaverit jurisdictionem Judicis sæcularis in aliqua causa civili, vel criminali, nullum jus, à die, qua declinaverit jurisdictionem prædictam in antea eidem fiat, vel reddatur per Commissariũ Civitatis Pistorii, & ejus Judicem, vel alium quemcumque Officialem in civilibus, & criminalibus sinè sanguinis effusione. Et nullus advocatus, vel procurator alleget, vel procuret pro tali, qui se clericum dixerit, & non fecerit residentiam, & non deferat habitum, & tonsuram, vel uxorem habeat, ut dictum est, sub pœna librarum xxv. den. pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit: prædicta verò non habeant locum in clericis in sacris ordinibus constitutis à quatuor ordinibus supra, & hoc capitulum banniatur semel in introitu Rectoris; & idem intelligatur de pinzocoris declinantibus jurisdictionem prædictam; & non obstante quacumque translatione facta in quemcumque locum, debeat solvere continuò de bonis ejus omnia onera Communi Pistorii, & ipsa bona intelligantur censuaria, & obnoxia ipsi Communi pro omnibus oneribus eidem in futurum provenientibus.

De emptoribus gabellarum accipientibus ultra provisionem. Rub. VIII.

CUM multæ querelæ ad aures Dominorum Priorum, & Vexilliferi Justitiæ quotidie perveniant de exactionibus illicitis, quæ per emptores gabellarum ultra formam Statutorum, & emptionum gabellarum fiunt, & hactenus factæ sunt, provisum, & ordinatum est, quòd omnia statuta gabellarum vulgariter reducantur in uno volumine in tabulis ligato, & debeat ligari ad catenam in opera Sancti Jacobi de Pistorio in Audientia, ita ut quilibet videre possit, & copiam sumere. Et emptores gabellarum debeant penès se habere statuta, quæ pertinent ad gabellam, per eos emptam, in publicam formam exemplata vulgari sermone. Et si quæstio esset de tali gabella ad portam, vel alibi, incontinenti gabellarius teneatur ostendere ei, à quo petita fuerit gabella, vel alii pro eo, statutum prædictum, sub pœna librarũ decem pro quolibet, & qualibet vice; & quilibet possit contrafacientes accusare, & credatur juramento accusatoris cum uno teste, qui accusator habeat & consequatur dimidiam pœnæ, & altera Commune Pistorii. Et Rectores Civitatis Pistorii teneantur sub pœna librarum xxv. denar. omnes emptores gabellarum coram se facere comparere infra xv. dies post introitum sui officii, & denuntiare, & eis præcipere, quod observent contenta in præsenti capitulo, & faciant eos jurare de observando contenta in eo. Et omnes, & singulæ provisiones, & reformationes editæ, & compositæ per Consilium populi Civitatis Pistorii, & in futurum faciendæ circa dictas gabellas valeant, & teneant, & observari debeant, & executioni mandari per quemcumque Rectorem & Officialem Civitatis Pistorii, prout in illis continetur, & continebitur.

E per-

E perchè l' esperienza ha dimostrato per i casi seguiti, che o dall' essersi perse le ricevute da' Conduttori delle case, che hanno pagata la Gabella, o dal potersi facilmente copiare un nuovo Libro da' Gabellieri delle pigioni, si è poi domandato un cumulo di Gabelle decorse alli Padroni diretti di dd.case: per tor via detti disordini, e difficultà, si ordina, e dispone, e si comanda espressamente, che il conduttore della Gabella delle pigioni debba far sigillare, e sottoscrivere foglio per foglio il libro di detta Gabella con l' intitolazione, e numero delle carte, nel quale egli pianta le partite de' debitori, qual sottoscrizione debba esser fatta dal Cancelliere del Comune, e per tale sottoscrizione, e sigillo, debba conseguire lire due, e solo a d. libro così sigillato, e sottoscritto si debba prestar fede, & ogn' altro libro, o vacchetta, che avessero non sia valido. E similmente perche si è visto, che i libri della Gabella de' Contratti della Città di Pistoia si sono alle volte smarriti, e con molta difficoltà quelli, che non si sono persi, si sono potuti vedere, & averne copia, per rimanere sempre in mano di private persone: si dispone, che in avvenire quelli, che condurranno detta Gabella de' Contratti, siano tenuti, & obbligati dopo sei Anni, da cominciare immediatamente finiti li due Anni della conduzione di detta Gabella, a rimettere nella pubblica Cancelleria i medesimi libri, con farvi metter l' esibita dal Cancelliere del Comune, acciocchè ciascuno per ogni sua ragione, ed interesse, ne possa aver vista, e copia bisognando; e mancando di rimettere detti libri, incorrano, non solo nella privazione degli Ufizi, conforme la disposizione della Riforma, ma ancora nella perdita della metà del credito non esatto, &c.

De solutionibus faciendis per emptores gabellarum introituum Communis Pistorii. Rub. IX.

STatutum, & ordinatum est, quòd emptores gaballarum, introituum, & proventuum Communis Pistorii teneantur, & obligati sint solvere pretium dictarum gabellarum, introituum, & proventum illis locis, & personis, prout, & sicut disponitur, & dispositum fuerit ex forma capitulorum eorum emptionis, seu ex forma contractus emptionis factæ per eos de dictis gabellis, introitibus, & proventibus, & non aliter, nec alio modo, sub pœna librarum quinquaginta, & nihilominus talis solutio habeatur pro non facta, & in nullo præjudicet illi, vel illis, quibus debeat fieri secundùm prædicta, seu per formam dictorum capitulorum.

De pœna gabellariorum introituum, & proventuum restitutionem petentium, vel remissionem solutionum faciendarum per eos. Rub. X.

STatutum, & ordinatum est, quòd nullus gabellarius, seu emptor alicujus gabellæ, introituum, & proventuum Communis Pistorii possit quoquomodo, causa, vel ingenio, directè, vel indirectè petere aliquam restitutionē, vel resalvum occasione gabellæ, introituum, vel proventuum, damni, vel inobservantiæ, quod recepisse diceretur, vel sibi illatum fuisse quoquomodo, etiam ex quacumque deliberatione facta, tam in Civitate Florentiæ,

quàm in Civitate Pistorii, etiam si tales essent, quibus ipse gabellarius, & emptor haberet necesse parere, nisi solùm, & dumtaxat si talis provisio fieret per Consilium populi Civitatis Pistorii, & cum onere, lege, & conditione sibi facta esse intelligatur venditio, & sit, & habeatur pro inserta in venditione dictarum gabellarum, introituum, & proventuum. Et quicumq; aliter, vel alio modo peteret resalvum aliquod, vel restitutionem, aut occasione prædicta retineret aliquã quantitatem pecuniæ de solutionib. debitis, vel aliquid ad Cõmune pertinens, vel ipsi Communi debitum quovis modo retineret, aut occuparet, vel quomodolibet contra prædicta directè, vel indirectè faceret, incidat in pęnam florenorum mille auri ipso facto, quam quilibet Rector Communis Pistorii, possit exigere, & deveniri facere in Commune, sine aliqua solemnitate servanda, & habeat ipse Rector quartam partem ejus, quod tali occasione devenire fecerit in Commune prædictũ, & nihilominus talis emptor, seu emptores cogantur ad integram solutionem totius pretii per eos promissi, sive pro quo facta fuerit venditio. Et teneantur, & debeant gabellari, & emptores prædicti solutiones facere modis, & temporibus ordinatis, tam per formam promissionis, quàm statutorum, sub pęna denarii unius pro qualibet libra debiti non soluti in tempore, & pro quolibet die delationis adhibitæ, & nihilominus incidant in majorem pęnam, quæ per formam statutorũ reperiretur imposita. Nec ullus Rector Civitatis Pistorii ipsis gabellariis, & emptoribus supradictis circa prædicta audientiam præbeat, vel modo aliquo eorum petitiones recipiat; & qui contrafecerit, incidat in pęnam ejus, quod peteretur per talem gabellarium, & emptorem, vel alterum pro eo, applicanda pro dimidia Cameræ Communis Florentiæ, & pro altera dimidia Communi Pistorii. Et quilibet Rector, & Officialis Civitatis Pistorii teneatur, & debeat exactionem facere, & gabellarios, & emptores prædictos cogere ad solvendum, & ipsorum Socios, & fidejussores; & si requisitus fuerit ab officio Dominorum Priorum, & Vexilliferi Iustitiæ, vel eorum loco subrogatorum, vel ab aliquo de dictis officiis, seu officio, quod executionem faciat, & illam non fecerit, cùm penès se possibilitatem faciendi habeat, retineatur de suo salario tantumdem, si tantumdem recipere debeat à Commune Pistorii; & de prædictis possit in perpetuum cognosci, puniri, & condemnari, & exactio fieri, non obstante aliquo cursu temporis, & non obstante aliquo statuto, vel ordinamento, quod in contrarium faceret. Et nihilominus, qui dictum resalvum, vel restitutionem peteret, vel ejus occasione aliquid attentaret, vel ejus socii, vel participes, qui prædictis consentirent, vel si prædicta scirent, & eis expressè non contradicerent, in perpetuum sint privati officio tam habito, quàm habendo Civitatis Pistorii, & non possint in perpetuum emere, vel participes esse alicujus gabellæ, introituum, vel proventuum Communis Pistorii, & si emerint, & participes fuerint, incidant in suprascriptam pœnam florenorũ mille; & prædicta omnia, & singula locum habeant in gabellis, introitibus, & proventibus in futurum vendendis, in aliis verò servetur forma Statutorum jam factorum. Si autem executus fuerit ipse Rector pro executione, habeat sol. duos

à dicto

à dicto gabellario, vel emptore pro qualibet libra ejus, quod pervenire fecerit in Commune.

De donationibus insinuandis. Rub. XI.

ORdinatum est, quòd si qua persona de Civitate, vel Districtu Pistorii, vel Montaneæ, de cœtero donaverit, seu titulo donationis concesserit alicui personæ aliqua sua bona, vel aliud immobile corporale, donatarius, seu donataria, infra mensem à die donationis currentem faciat esse notum Potestati Civitatis Pistorii, qui teneatur sacramento eam scribi facere in actis publicis Communis Pistorii specialiter ad hoc deputatis, & infra prædictum tempus facere publicè banniri per Civitatem Pistorii, nominando donatorem, & recipientem donationem, & eo modo, quo dictum est, publicet dictam donationem, quod bannum similiter dictus Dominus Potestas scribi faciat in dictis actis. Et teneantur etiam donatarius, & donataria infra duos menses à die dictæ celebratæ donationis dictam donationem legi facere in Consilio populi Civitatis Pistorii per Cancellarium dicti Communis, vel ejus Locumtenentem, enunciando nomen, & pronomen donantis, & recipientis, & nomen Notarii, qui de ipsa confecerit Instrumentum cum die, mense, & anno. Qui Cancellarius teneatur de prædictis facere notam in libris reformationum Communis Pistorii, & habeat solidos quinque ab eo, qui talem donationem legi fecerit in Consilio prædicto, alioquin si ipsa donatio prædictorum appareret, quæ sic non esset, ut supra dictum est, insinuata, & bannita, lecta, & scripta, non valeat, nec teneat, & pro nulla reputetur. Quibus solemnitatibus nullo modo renunciari possit, & quodlibet juramentum in hujusmodi renunciationibus præstitum, seu præstandum, præsumatur fictum, & simulatum, & per vim, & metum extortum, & scripturæ, seu instrumento desuper confecto, nulla fides adhibeatur. Et prædicta locum habeant in donationibus rerum valoris à quinquaginta libris supra, ac etiam locum habeant in omnibus donationibus, quæ in futurum fierent quibuscumque locis, etiam piis, ne mulieres, & aliæ personæ decipiantur. Intelligatur autem donatio excedere summam librar. quinquaginta licet plures donationes dicerentur esse in eodem Instrumento, & in eodem Instrumento, & die per eandem personam, quæ omnes cumulatæ caperent dictam summam librarum quinquaginta denar. Et nisi insinuata, bannita, & lecta fuerint in Consilio, ut supra modo prædicto, non valeat ipso jure. Itẽ donatio etiam remuneratoria insinuetur. Et si contigerit donationem celebrari extra dominium suæ Celsitudinis de bonis in eo existentibus, debeat insinuari intra sex menses, & nihilominus donationes, quæ in futurum fierent, valeant inter donantem, & donatarium solùm, & dumtaxat, non autem in præjudicium tertii, quamvis non fuerint insinuatæ.

De emancipationibus confirmandis. Rub. XII.

STatutum, & ordinatum est, quòd omnes, & singulæ emancipationes in futurum faciendæ, legantur in Consilio populi Communis Pistorii infra

duos menses à die, qua fuerint celebratæ, de quibus emancipationibus, ut supra lectis, fiant publica Instrumenta per Cancellarium Communis Pistorii in libro suarum reformationum, sub pœna librarum vigintiquinque denar. ipsi Cancellario pro vice qualibet incurrenda, si ipsam non scripserit, & aliter non valeat ipsa emancipatio, quæ non sit lecta modo prædicto, facta primò solutione solidorum viginti per talem emancipatum Camerario Cameræ Communis Pistorii per apodissam Notarii Cameræ dicti Communis, scriptam, qua facta, legi, & scribi possit, ut prædicitur, & non aliter; & quando leguntur specialiter nominentur bona, super quibus fit emancipatio; qui Cancellarius habeat solidos quinque den. pro quolibet emancipato. Et nihilominus quousque non fuerit facta ipsa notificatio, bona ipsa intelligantur hypothecata creditoribus pro debitis.

De substitutionibus, & fideicommissariis dispositionibus publicandis. Rub. XIII

UT Testamenta, & quælibet ultimæ voluntates, etiam per viam donationis causa mortis, in quibus substitutiones universales, sive particulares, & fideicommissariæ dispositiones per prohibitionem quoque alienationis, quomodocumque sunt scriptæ omnibus innotescant; statutum, & ordinatum est, ut quilibet primus hæres, qui sit præsens in Civitate, Comitatu, & districtu Pistorii, teneatur intra mensem à die obitus testatoris cum effectu publicare substitutiones, & quaslibet fideicommissarias dispositiones in testamento, & qualibet ultima voluntate, etiam per viam donationis causa mortis scriptas; & intelligantur publicatæ, & pro publicatis habeantur, quoties ipse primus hæres eas describi fecerit in libro Operæ S. Jacobi Apostoli de Pistorio per Notarium, & Cancellarium dictæ Operæ, & Provisor d. Operæ pro tempore existens custodiam habeat d. libri, & d. primus hæres pro d. descriptione solvat Notario d. Operæ solidos decem den. & descriptio in d. libro fiat sub hac formula verborum, videlicet; Joannes Francisci de Rubeis fecit Testamentum sub die decima Iunii 1609. de quo Testamento fuit rogatus Ser Baltasar de Frosinis Notarius publicus Pistorien. in quo adsunt tales substitutiones, & fideicommissariæ dispositiones, & ponatur tenor substitutionum, & cujuslibet fideicommissariæ dispositionis, etiam per prohibitionem alienationis: & insuper teneatur in prima coadunatione Consilii populi Civitatis Pistorii immediatè facienda post dictum mensem cum effectu facere, & procurare, ut Cancellarius Communis Pistorii publicet in dicto Consilio populi dictas substitutiones, & fideicommissarias dispositiones, & describat illas in libro provisionum Civitatis Pistorii sub formula verborum supradicta; & pro dicta publicatione, & descriptione dictus primus hæres solvat dicto Cancellario solidos viginti den. Si verò primus hæres fuerit absens à Civitate, Comitatu, & districtu Pistorii tempore obitus Testatoris, habeat terminum quatuor mensium ad faciendum describi dictas substitutiones, & fideicommissarias dispositiones, juxtà formam supra traditam in dicto libro Operæ Sancti Jacobi Apostoli, & in prima Consilii coadunatio-

natione immediatè post dictos quatuor menses ad faciendum publicari per Cancellarium Communis Pistorii in dicto Consilio, & ad faciendum describi in libro provisionum Civitatis Pistorii. Quod si primus hæres intra prædicta tempora respectivè, & secundùm formam prædictam non publicaverit dictas substitutiones, & fideicommissarias dispositiones, incidat in pœnam ad rationem scutorum quinque, pro quolibet centenario, applican. pro tertia parte Operæ Sancti Iacobi Apostoli, pro tertia parte Rectori exigenti, & pro tertia publico, vel secreto accusatori, & quilibet etiam nullum habens interesse possit accusare primum hæredem, qui non publicaverit dicto modo, & infra tempora prædicta dictas substitutiones, & fideicommissarias dispositiones. Et nihilominus possit primo loco habens interesse in dicto testamento intra mensem primo hæredi præsenti, & infra quatuor menses primo Hæredi absenti notificare, ut infra dicta tempora, & secundùm formam præscriptam, publicet substitutiones, & fideicommissarias dispositiones; quòd si primus hæres, etiamsi fuerit Filius Testatoris, notificatus defecerit in publicando dictas substitutiones, & fideicommissarias dispositiones infra dicta tempora, & secundùm formam præscriptam, cadat ipso jure, & intelligatur cecidisse ab omni commodo testamenti, & ultimæ voluntatis, etiam si fuerit donatio causa mortis, & illico succedat primò substitutus, & ille, ad cujus commodum primo loco facta sit dicta fideicommissaria dispositio, & in ipsum intelligatur ipso jure, & ipso facto translata possessio bonorum, & rerum ad eumdem pertinentium vigore dictarum substitutionum, & fideicommissariæ dispositionis. Et salvis prædictis, non servata dicta forma, non præjudicet creditoribus, ut in Statuto veteri cavebatur.

De universali venditione facienda, & insinuanda. Rub. XIV.

STatutum, & ordinatum est, quòd si qua persona universaliter vendiderit, vel alienaverit omnia sua bona, talis venditio, & alienatio insinuetur, & banniatur infra unum mensem post venditionem, vel alienationem, ut dictum est supra de donationibus, alioquin pro nulla reputetur, & hoc capitulum banniatur quolibet anno de mense Iulii. Et prædicta non habeant locum in aliquibus obligationibus generalibus, & specialibus tacitis, vel expressis, seu in donationibus propter nuptias, & dotibus, & dotis augmento.

De non veniendo contra venditionem, & consensum. Rub. XV.

STatutum, & ordinatum est, quòd si qua persona vendiderit aliquam rem immobilem, seu consenserit ejus venditioni, non possit modo aliquo cōtra dictam rem, & ejus consensum venire, nec molestiam aliquam inferre in ea, vel laboratoribus, qui conduxerint dictam rem venditam ab emptore, sub pœna librarum quinquaginta den. cujus pœnæ medietas sit Communis Pistorii, & altera medietas emptoris, salvis semper statutis loquentibus de Instrumentis fictitiis, & simulatis; nec etiam per hoc derogetur privilegiis concessis mulieribus per formam Statutorum Pistorii. Sicuti excipitur casus, quandò esset locus rescissioni contractus propter læsionem, quæ ad tollendas

Doctorum altercationes, & ne ad imparia judicentur emptor, & venditor, declaratur, quod æqualiter debeat determinari, attenta medietate veri valoris, tam respectu emptoris, quàm venditoris; ita ut si verus valor rei sit decem, dimidia pro metienda læsione ex parte utriusque, debeat esse quinque; & ob id, sicuti venditor pro pretio rei, quæ verè valet decem, posset dicere se læsum ultra dimidiam, si pro pretio convento eidem fuissent soluta quatuor: ita emptor se læsum ultra dimidiam dicere possit, si pro pretio rei, quæ valet decem, solvat sexdecim pro pretio convento; quæ habeant locum, & servari debeant, tam in contractibus factis tempore præterito, quàm in futurum faciendis.

De non recipiendo malitiosè cessionem ab aliquo contra aliquem. Rub. XVI.

STatutum, & ordinatum est, quod nulla persona Civitatis, vel Districtus Pistorij, vel aliunde malitiosè cedat aliqua jura, vel ea malitiosè recipiat, vel vendat, vel emat, sub pęna librarum centum den. incurrendam, tam à Cedente, quàm à Recipiente, & cessio ipso jure sit nulla; utrum autem malitiosè cesserit, probetur per publicam famam per sex testes bonæ famæ, & opinionis.

De pœna apposita in contractu pro consensu præstando. Rub. XVII.

STatutum, & ordinatum est, quod si aliqua persona promisit, vel promiserit emptori in contractu venditionis, vel emptionis facere consentire uxorem suam, matrem, vel fratrem, vel aliam personam sub certa pœna, & certo die venditionis factæ, vel faciendæ, & emptor, vel emptrix possederit rem emptam sine molestia, & venditor non fecit consentire personam, quam promisit, non propterea conveniri possit ad pœnam, dummodo infra octo dies postquam inde fuerit requisitus faciat consentire personam quam promisit, aliàs possit conveniri ad pœnam promissam prædictam; & hæc locum habeant in præteritis, & futuris.

Quod creditor non teneatur remittere partem aliquam debitori. Rub. XVIII.

PRovisum, & ordinatum est, quod si aliquis de Civitate, vel Districtu Pistorii, de cætero recessit, vel recesserit occasione alicujus debiti, quod fecisset, ita quod ad mandata Judicis non intersit, creditores non cogantur à Judice, vel aliis officialibus remittere certam partem debiti, vel pacisci de certa parte debiti remittenda, licèt major pars creditorum pro cumulo debiti, vel personarum remittere certam partem debiti vellent, vel pacisci de certa parte debiti remittenda; Et si aliquis creditor fecerit aliquod pactum tali debitori, ut supra dictum est, de certa parte debiti remittenda, vel remitteret; illud pactum, vel remissio non noceat alicui creditori, vel creditoribus, quominus totum debitum petere possint, & Judex, & alii officiales teneantur sacramento solvi facere, non obstante tali pacto, vel remissione; & hoc locum habeat in omnibus aliis debitoribus, qui nondum composuerunt, & idem fiat in dilationibus.

Liceat

Liceat verò duabus tertiis partibus creditorum, habita consideratione quantitatis debiti, & non numeri personarum facere salvum conductum debitoribus per duas vices ad summum pro semestre pro qualibet vice. Et dicti creditores teneantur docere de eorum credito, & solemniter jurare se esse creditores non possit tamen concedi secunda vice, nisi fuerint intermedii; saltem sex menses, & durante termino prædicto debitor non possit molestari in bonis, vel in persona ab aliqua persona.

De Procuratoribus ordinandis ab Operariis Ecclesiarum. Rub. XIX.

STatutum est, quòd omnes Operarii Ecclesiarum Civitatis, & Districtus Pistorii per se procuratores possint ordinare nomine Operæ, cujus sunt Operarii, & per se, vel procuratorem agere, & de calumnia jurare, & merita causæ agere de jure, & rationes cujuslibet Operæ, & possint facere procuratores singulares personas absentes a Provincia Tusciæ.

De ferendo testimonium per arbitros. Rub. XX.

STatuimus, quòd tam arbitri, quàm laudatores ad perhibendum testimonium compellantur, etiam altera parte contradicente.

De capientibus lupos. Rub. XXI.

STatuimus, & ordinamus, quòd quælibet persona, quæ ceperit aliquem lupum magnum, vel lupicinos, & ipsum lupum magnum, vel lupicinos repræsentaverit Camerario Communis Pistorii, habeat, & habere debeat de tali lupo magno, quem vivum, vel mortuum repræsentaverit à Communi Pistorii libras tres den. pro quolibet lupo magno, & pro quolibet lupicino solidos quadraginta den. & dictus Camerarius sine alia provisione facienda solvere possit, & debeat de pecunia dicti Communis.

De licentia ædificandi invitis consortibus. Rub. XXII.

STatutum est, quòd liceat consorti aliis consortibus invitis, tamen requisitis primò ad infrascripta, ædificare casamentum commune, & casam communem usque ad tria solaria, & infra, & domum communem reparare, & uti commoditate, & proventu earum, quousq; alius consors, vel consortes refunderent ei expensas pro rata portionis, vel portionum. Expensæ tamen in ædificando, & reparatione hujusmodi factæ redigantur in scriptis, quæ si immoderatæ videantur, recurratur ad arbitrium magistrorum bonæ opinionis. Et Potestas teneatur prohibere aliis consortibus, ne ædificationi, & reparationi inferant super prædictis molestiam, & interim non præscribat consors ille partem alterius, vel aliorum, & hæc fiant dummodo ille, cujus est domus communis cum suo consorte usque ad unum solarium, vel sine solario, possit uti commoditate illius solarii, seu domus pro sua parte jam factæ & facti usque ad illam altitudinem, in qua reperiretur domus communis ædificata; solario verò ædificato per consortem non possit uti, nisi primò restituat expensas, ut supra continetur, & hoc capitulum non habeat

ät locum in curiis communibus, salvis semper pactis inter consortes habitis.

De terra data ædificatori. Rub. XXIII.

STatutum, & ordinatum est, quòd ille, qui dederit terram ædificatori pro muro ædificando, possit penes murum prædictum ædificare, & uti muro catenis à summo, usque ad deorsum quatenus terram dederit.

De novo muro ædificando. Rub. XXIV.

SI aliquis ædificaverit de novo murum juxta vicinum suum in Civitate Pistorii, vel in burgis juxta circulos, vel infra circulos, fundamenti medietas fiat in terreno ædificantis, & medietas in domo vicini proximi, usque in latitudinem muri trium quartorum brachii communis, & non ultra cogatur, & Dominus muri relinquat morsas in muro, ita ut vicinus proximus, possit firmare arcus suæ domus, vel appræhendere se ad murum. Et si vicinus, qui habet domum juxta murum ædificantis voluerit, quòd murus sit communis, teneatur, postquam voluerit uti commoditate ipsius muri pro medietate, expensas omnes in muro factas pro medietate restituere, & dominus redigat ipsas expensas factas in scriptis, & ostendat vicino, quando ipse vicinus voluerit eum restaurare de expēsis prædictis. Si verò expensæ immoderatæ fuerint, sit in arbitrio magistrorum (qui jurent) hoc arbitrari justè, & bona fide; & si voluerit, quòd murus sit communis, habeat licentiam immittendi cornices in muro, usque ad viginti pedes tantùm, & si quo tempore cornices rumperentur, vel comburerentur, vel ruptæ, vel combustæ apparerent, possint in eodem muro reponi usque in altitudinem prædictam, in quo consueverūt esse. Quod si convicinus sit adeo pauper, ut non possit restaurationem muri facere pro medietate, tunc ille, qui voluerit ædificare murum, accipiat tertiam partem de terra vicini prædicti pro fundamento muri prædicti futuri, & vicinus compellatur ei concedere, & dare, & vicinus, in cujus terra fieret fundamentum, per tertiam partem, habeat licentiam immittere cornices in muro prædicto, usque ad viginti pedes. Et vicinus, juxta quem fuerit ædificatum in terra minus sex pedibus communibus, habeat licentiam dandi medietatem terræ, in qua murus debeat fieri, vel rescindi de medietate fundamenti arbitrio duorum magistrorum bonæ opinionis. Postquam facta fuerit restauratio muri, ille murus sit communis pro medietate, & habeat licentiam ædificandi, & faciendi in illo muro, sicut ille, qui ædificare fecit, quæ restauratio fiat infra sex menses postquam fuerit factus murus, & D. Potestati fuerit inde reclamatum; & si voluerit restaurationem facere, possit se cum arcu ad illum murum firmare, & cornices immittere usque ad viginti pedes tantùm. Si verò ille, qui murum ædificavit, noluerit de terreno vicini recipere, tunc ejus vicinus sine aliqua restauratione se cum sua domo possit ad murum appodiare, & adhærere etiam sine licentia Domini, dumtamen illa persona, quæ se appodiaverit, & adhæserit, ex illa parte nihil immittat in dictum murum, seu in aliquo lædat, nec rumpat, nec detur-

deturpet ipsum murum, nec patiatur, quod dictus murus ex parte illa rumpatur, vel aliquod immittatur, vel deturpetur, vel in aliquo lædatur, & contrafaciens, puniatur in libris decem den. pro qualibet vice, & sic teneatur semper Rector quilibet punire, & condemnare, salvis tamen pactis, & conventionibus inter eos appositis, & hæc omnia locum habeant in Civitate, & districtu Pistorii.

Della Proibizione delli Sporti. Rub. XXV.

PErchè l' esperienza ha fatto conoscere, che l' essere stati demoliti molti sporti delle case della Città, ha reso molto ornamento alla medesima Città, e volendo, che ne segua la continuazione di detto ornamento; perciò si è statuito, & ordinato, che per l'avvenire nessuno di qualsivoglia stato, o condizione si sia, possa edificare di pianta, sporti nelle sue case, che rispondino nelle Vie maestre della Città, o totalmente destrutti di nuovo riedificare, alla pena, oltre la demolizione, di scudi dugento, tanto a chi gli fa, quanto a chi gli fa edificare, come sopra, e chi contraffarà, possa, e debba essere di tal trasgressione punito, e condennato de facto ad instanza di qualsivoglia persona, da applicarsi la detta pena per un quarto all' Accusatore segreto, o palese, un quarto al Rettore, che farà esequire, & il resto all' Ufizio dell' Allastrico.

De carta facienda ab Ædificatore. Rub. XXVI.

ITem dicimus de muris olim ædificatis in terreno vicini sui, salvis pactis, & conventionibus inter eos habitis, quòd ille, qui dederit terram, possit mittere piastras, & habere super dicto muro supra tectum suum causa defendendi se ab aqua, ut non veniat in domum suam per ipsum murum, & possit immittere gangaros in ipso muro ex parte suæ domus pro habendo ibi ostia. Et si ædificator muri voluerit cartam habere ab ipso vicino, ut in ipso muro nullum habeat jus, præter prædicta., vicinus teneatur cartam facere ipsi ædificatori ad sensum sui sapientis. Et si vicinus, vel consors ædificaverit, vel in antea ædificare voluerit super muro communi, liceat ipsi requisito vicino, aut consorte; & talis vicinus, & consors teneatur facere cartam publicam de expensis factis per talem consortem super muro communi, absque petitione, vel libelli oblatione, & tempore, quo uti voluerit commoditate dicti muri vicino, seu consorti suo reficiat expensas factas super murum communem, ut dictum est, arbitrandas per duos bonos, & legales magistros Civitatis Pistorii, eligendos ab utraque parte tempore, quo fiet instrumentum de refectione expensarum. Si verò personæ, quæ utuntur commoditate dicti muri sint, vel fuerint citatæ, vel requisitæ venire coram Judice causarum pro resalvo faciendo, & non venerint infra tertiam diem, fiat electio magistrorum prædictorum ab ipso Iudice, & eam facere teneatur Judex ipse, elapsis tribus diebus, postquam inde fuerit requisitus, & quicquid dicti magistri fuerint arbitrati, valeat, & teneat, ac si per magistros à partibus in concordia electos arbitratum fuerit, non obstante aliquo capitulo in contrarium.

Quòd consors ad petitionem alterius consortis teneatur facere cartam de parte, quam habet in domo, turri, vel casamento. Rub. XXVII.

STatuimus, quòd si qua persona de consortibus alicujus domus, turris, vel casamenti positæ, vel positi in Civitate Pistorii, vel burgis, vel in comitatu, & districtu ipsius voluerit esse certa de parte sua, & petierit à consortibus uno, vel pluribus cartam sibi fieri, quilibet Rector Civitatis Pistorii, ex quo inde fuerit reclamatum ab inde ad unum mensem, teneatur compellere consortes cartam fieri facere consorti volenti, & petenti de parte, quam habet de ea re, & negantes, condemnare in libris viginti ad favorem Communis Pistorii, si constiterit petitionem ejus esse veram.

De eo, qui contrariaverit vicinum suum ædificare. Rub. XXVIII.

SI quis vicino ædificanti se opponat contra justitiam, vel extra judicium, nullatenus possit impedire ædificantem; secus è contra. Et si qua persona voluerit de novo ædificare juxta viam publicam, vel inter se, & vicinum suum, vel ædificium destruere, sive postea reædificetur, sive non, adeat prius Iudicem causarum civilium, & petat ab eo, ut det ei modum, ut possit ædificare, quod si non fecerit, puniatur quoties culpabilis fuerit, in libris decem, & compellatur à dicto Iudice ædificium destruere; & hæc locum habeant in Civitate Pistorii, & in Burgis, & suburgis, & Iudex teneatur ei modum dare infra tres dies; & si Iudex requisitus non fuerit prædicta visurus, & facturus, puniatur per Syndicum, qui eum syndicabit qualibet vice in libris quinque den. Et nulla persona intra muros Civitatis cooperiat, vel cooperire faciat viam publicam, seu vicinalem, vel classum de pontibus, seu balconibus, seu tecto, seu de aliquo alio, sine licentia Iudicis, vicinorum, ac etiam Communis Pistorii. Si autem illa persona, cui contrariatum fuerit ædificare, satisdare voluerit de opere demoliendo, si convinceretur injustè ædificasse, possit ædificare, si tamen in possessione esset rei, ubi ædificare voluerit; nisi prohibens paratus sit incontinenti in causa procedere, & cognoscere; tunc Iudex, coram quo quæstio ventilaretur, præcisè teneatur procedere, & diffinire infra viginti dies continuos currentes à die, seu tempore denunciationis, omni occasione remota, non obstantibus aliquibus feriis; & interim non ædificetur. Et si intra viginti dies causa non fuerit decisa, & terminata, protestatus, & prohibitus prosequi possit ædificare (data cautione de demoliendo in eventum succumbentiæ) & pari modo, si causa fuerit decisa in favorem ædificantis, data cautione ut supra, possit prosequi ædificium, non obstante quacumque appellatione. Et si denunciator, vel oppositor succubuerit, reficiat adversario omne damnum, & expensas, quas in causa propterea fecerit; & idem dicimus, si oppositor non obtinuerit, nisi forte infra dictos viginti dies inter utramque partem concordia facta fuerit. Et si quis ædificaverit, vel ædificare voluerit, & aliquis ei contradixerit, & in causa fuerit ille, qui succubuerit, condemnetur in libris quinque den.

De

De occupatione terræ, vel casamenti. Rub XXIX.

QUælibet persona, quæ occupet, vel aliquid immittat, vel antea occupaverit, vel immiserit ubi ei non licuerit, teneatur removere infra octo dies, postquam fuerit requisita à persona, cujus est murus, vel casamentum, sive terra domino muri, casamenti, vel terreni, aliqua cujuscunque temporis præscriptione non obstante. Et Præses teneatur facere removere occupationem, vel appræhensionem expensis occupantis, & non removentis infra mensem post requisitionem inde sibi factam.

Quod nulla occupatio, vel consuetudo alicujus turris præjudicet aliis consortibus. Rub. XXX.

NUlla consuetudo quam aliquis de consortibus domorum, vel turrium, habet retro, vel habuerit in aliquo loco, domo, vel turri in anteam, quàm domus, locus, vel turris fuerit, vel est communis inter consortes, præjudicet aliis consortibus, qui non fuissent usi loco illo, vel turri, ita quod non præjudicet eis aliqua temporis præscriptio. Idem dicimus de casamentis positis in Civitate Pistorii, per quæ aliqua persona vadit, salvis pactis, & conventionibus inter consortes expressis. Idem dicimus de his, qui habuerint jus eundi, & redeundi per casamenta, vel domum, vel turrim alicujus, & hæc habeanr locũ etiam in districtu Pistorii. Si autẽ aliqua persona occupaverit sine justo titulo aliquod terrenum, sive casamentum, vel classum alicujus personæ in Civitate, vel districtu Pistorii, seu tenuerit, vel possederit, vel iverit retro sine justo titulo, dominis eorum non currat aliqua temporis præscriptio, nec eis, neque consortibus talis usus, vel temporis præscriptio præjudicet.

De eo, qui voluerit meliorem murum facere. Rub XXXI.

STatutum est, quòd si quis habet murum communem cum altero, & eorum alter voluerit ipsum murum meliorem facere, liceat ei ipsum ab imo, usque ad summum etiam destruere, præstita primò idonea cautione, & promissione à principali, ipsi, cum quo habet murum communem, & præstito primò idoneo fidejussore consorti suo, si consors voluerit recipere fidejussorem, antequam murum destruat, quod meliorem murum faciet suis expensis infra duos menses post destructionem. Et similiter liceat consorti ædificare in domo communi, non obstante quòd alius consors ibi partem habeat, dum tamen murus non deterioretur; & hæc omnia, quæ dicta sunt de Casis, sint dicta salva ratione eorum, qui recipiunt pensionem, & salvis pactis in Casis appositis, quæ omnia habeant etiam locum in districtu Pistorii. Et quia plurimæ discordiæ quotidie oriuntur occasione ædificiorum murorum communium, & aliorum spectantium ad ædificia; statuitur, quòd de cœtero de omnibus litibus, & discordiis, quas quomodocunque oriri contigerit inter quascunque personas, D. Commissarius Civitatis Pistorii, & ejus Iudex teneantur ad petitionem alterius partis, de facto, & per mulctam coge-

Bb 2 re,

re, & compellere dictas partes de dictis litibus, & discordiis ad compromittendum in duos Iurisperitos, & si non essent concordes in tertium etiam eligendum, & duo ex eis, auditis tamen uno, vel duobus Fabris murariis, partibus non suspectis, possint declarare, & sententiare inter dictas pattes, etiam altero absente, & irrequisito, & declarationi factæ modo prædicto, ipsæ partes debeant stare, & parere; quas declarationes dictus D. Commissarius, & ejus Iudex teneantur, & debeant executioni mandare omni solemnitate, & juris, & Statutorum omissa. Et nullus possit habere recursum super dictis discordiis, ad aliquem alium Officialem, seu Rectorem, & qui contrafecerit, ipso facto cadat ab omni suo jure, & nihilominus condemnari debeat per quemlibet Rectorē Civitatis Pistorii in libris vigintiquinq. den. quarum quarta pars sit Rectoris exigentis: quarta, partis adversæ, & reliqua Communis Pistorii. Et si quæstionem oriri contingat super proprietate muri, pro plena probatione habeantur fenestellæ in eo appositæ, capientes ultra dimidium latitudinis muri, dum ex alia parte non sint urgentiora indicia.

Statuitur etiam, quòd grondæ, quæ de cœtero fient, non possint occupare ultra tertiam partem viæ, super qua construerentur, vel protenderentur.

De pœna tenentis canalem in muro Communi. Rub. XXXII.

STatutum est, quòd si aliqua persona habet, vel habuerit cum vicino, vel consorte murum communem, non liceat ei supra ipsum habere canalem, vel tenere cujuscumque materiei sit, propter quod fluat, vel fluere possit aqua, vel stillicidium aliquod, & immittere in proprium solum vicini; nec etiam de muro proprio aliqua persona possit, nèc sit ei licitum aliquod stillicidium, vel aquam mittere in solum, quod sit proprium sui vicini; & contrafaciens, vel tenens post quindecim dies datos à Iudice, ut removeatur ab incepto, post denunciationem personaliter factam ab injuriato vicino, condemnetur in libris decem, & nihilominus removere teneatur, & condemnatio fiat, & exigatur per Iudicem D. Commissarii, cujus pœnæ medietas sit Communis, & altera medietas vicini prædicti, qui Iudex de talibus condemnet, & condemnationes exigat realiter, & personaliter detinendo, & bannum imponendo, & exigendo summariè sine strepitu aliquo judiciali, ut sibi justiùs videbitur, & etiam per ocularem inspectionem, possit judicare, & diffinire, à cujus sententia, & diffinitione non possit appellari, vel de nullitate dici. Quod si Iudex neglexerit prædicta infra quindecim dies à tempore reclamationis, condemnetur à suis Syndicis in libris vigintiquinque den. ad favorem Communis Pistorii, & condemnatio, & exactio fiat de suprascripto injuriato toties quoties contrafaciet, ut supra dicitur. Et intelligatur fieri injuria injuriato à quocumque sive domino domus, vel ab ejus familia, sive à quocumque alio, etiam extraneo fiat injuria, ita ut dominus domus intelligatur semper injuriare vicinum suum, de cujus domo injuria facta fuerit vicino, ut supra dictum est; & contra ipsum Dominum, vel quasi Dominum fiat

fiat exactio condemnationis, quæ inde fieret; & quod dictum est supra de muro communi, intelligatur murus communis, sive sit communis æqualibus partibus, sive inæqualibus.

Quòd non liceat consorti mittere ligna, vel aliquid in domo, vel turri communi.
Rub. XXXIII.

STatutum est, quòd si consortes alicujus domus, vel turris communis, vel aliquis ex ipsis consortibus haberet domum propriam, vel solum iuxta eam, & classus, seu via fuerit in medio inter domum, & solum proprium, vel propriam alicujus consortis, vel consortium: tali consorti, vel consortibus habentibus domum, vel solum proprium, vel propriam, juxta domum, vel solum commune, via, vel classo mediante, non liceat immittere lignamina, vel aliquid aliud in domum, vel turrim communem, nec pontem, vel andatorium facere supra terram à domo propria in domũ, vel turrim communem, & quod factum, vel missum in antea appareret à quacunque persona, tollatur, & removeatur à consorte, vel consortibus habentibus domũ, vel solum proprium, vel propriam propè domum, vel solum commune; & Præses observari facere teneatur infra quindecim dies, postquam reclamatum fuerit, alioquin auferat prædicta non observanti, libras decem den. ad favorem Communis Pistorii, & nihilominus pons, & andatorium tollatur, qui, vel quod missum est, vel factum, salvis pactis, & conventionibus habitis inter consortes, & non currat aliqua præscriptio temporis.

De claudendis. *Rub.* XXXIV.

CEnsemus, quòd de claudendis, quæ jam factæ sunt, vel erunt inter proximos vicinos Civitatis Pistorii, vel ejus burgi, sive sint ligneæ, vel de uno mattone supra alium, vel de alio muro per tres submissos ampliùs, vel minùs, Præses infra duos menses, ex quo inde fuerit reclamatum, faciat, & teneatur facere restaurare vicinum de illa claudenda pro medietate à vicino habente juxta vicinum aliam domum pro ea parte, qua utitur, vel uti voluerit commoditate dicti muri, vel claudendæ. Sed si vicinus, vel consors reclamaverit de cętero de vicino suo Potestati, vel de consorte habente domum juxta illum pro ea parte, qua utitur, ut faciat cum eo claudendam de lapidibus, vel matronibus, & calce usque in altitudinem trium semissorum communalium, vel juxta dictam grossitudinem arbitrio Rectoris, vel Iudicis: vicinus, qui dictum murum facere voluerit, non teneatur ad expensas factas in dicto muro, nisi ab eo tempore, quo utetur commoditate dicti muri, teneatur tamen dare medietatem soli, in quo constitui debet dictus murus, & de hoc teneatur Potestas, & ejus Iudex sine libelli oblatione, non obstante aliquo Statuto, & constitutione suprascriptis, vel infrascriptis. Et habeat licentiam vicinus, vel consors facere prædictam claudendam, vel communem domum reædificare, vel remutare infra duos menses post claudendam factam, vel domum reædificatam; & teneatur D. Commissarius facere resalvum fieri vicino, vel consorti, si ei exinde fuerit reclamatum, pro ea parte,

parte, qua utitur, vel uti voluerit commoditate dicti muri, vel claudendæ. Et quilibet teneatur ad instantiam cujuslibet vicini, ubi non esset aliqua claudenda, facere claudendam, saltem de palanchis, & ad hoc possit cogi invitus, ut concurrat ad expensas talis claudendæ, itaut fiat communibus expensis, & quilibet vicinus solvat dictas expensas pro rata soli, idemque observetur in omnibus, & per omnia inter foretaneos nostri districtus; & hoc capitulum locum habeat, quandò claudendæ factæ sunt in solo utriusque vicini, de his tamen excipimus manifestos pauperes. Quod si aliquis fecit, vel in antea fecerit murum in suo sol suis propriis expensis, vicinus, qui solum non dederit, vel partem expensarum non fecerit, teneatur vicinus ipse, qui ibi partem non habet, facere instrumentum de expensis, & muro novo, ædificatori, & ei, qui murum fecerit, qualiter est suus proprius, & ipse ibi non habet servitutem, nec partem. Et si fuerit requisitus à domino coram Iudice de faciendo dicto Instrumento de ipso muro, & non fecerit infra quatuor dies post requisitionem, puniatur in libris decem, & nihilominus cartam muri facere teneatur, & eadem pęna puniatur, si aliquid contra voluntatem domini immiserit.

De non tenendo fenestram super solum, vel curiam alicujus. Rub. XXXV.

STatutum est, quòd nulla persona cujuscunque status, vel conditionis existat, possit facere, habere, vel tenere fenestram in domo, casato, vel turri supra solum, vel curiam alicujus sui vicini, unde, seu per quam possit videre in solo, vel curia alicujus sui vicini, vel aliquid immittere, vel aquam projicere. Et quæcunque persona habet, vel tenet, & in antea fecerit, vel fieri fecerit, teneatur, & debeat infra quindecim dies, postquam inde fuerit requisitus, ipsam talem fenestram claudere, seu amoveri facere, sub pœna librarum vigintiquinque den. cuilibet contrafacienti vice qualibet solvenda, nisi domus ipsa extra muros haberet aliquid soli ex ea parte. Sed si reperiatur fenestra ferrata, vel non ferrata, quæ per triginta annos, & ultra judicio peritorum judicetur ædificata, non debeat removeri.

Quòd cloacæ, & voltæ sint sub terra. Rub. XXXVI.

STatutum, & ordinatum est, quòd omnes immunditiæ excurrentes, tam ex hortis, quàm aquariis, aliisque locis, recipi debeant in cloacis tenendis coopertis, quæ minimè impediant usus viarum, & quilibet Officialis Communis Pistorii, & etiam damnorum datorum, cogant quemlibet ad dictas cloacas sic faciendas, ut dictæ immunditiæ, & aquatrinæ recipiantur, & quilibet eis teneatur parere sub pęna lib. decem den. pro qualibet vice. Et ulterius Officiales allastrici teneantur pro debito eorum officii invigilare, ut contenta in hoc Statuto præcisè observentur, & procurare debeant, ut cloacæ, & aquarii reficiantur, ita ut subtus terram decurrant, de pecuniis eorum officii restituendis per dominos cloacarum, & aquariorum intra decem dies, & si in restauratione cessaverint in termino prædicto, incurrant pęnam librarum vigintiquinque, applicandarum eorum officio, & pro dicta pœna, & expensis

fis describantur in libro speculi Communis Pistorii, & Massarius Communis teneatur referre dictis Officialibus personas transgressorum,& lucretur quartam partem dictarum condemnationum; & prædicta locum habeant in præteritis, præsentibus, & futuris.

De dando viam ubi magis conveniens fuerit. *Rub.* XXXVII.

STatuimus, quòd Dominus prædii servitutem habentis, possit dare viam per ipsum prædium ei, cui debetur, in ea parte prædii sine malitia, & fraude, unde magis conveniens fuerit,& ei videbitur sine gravamine prædii servientis, & Dominus, cui debetur, recipere teneatur. Quæcunque verò persona habuerit aliquam viam per agrum alterius, & ipse, cujus ager est, seu quicunque alius vastaverit, vel clauserit, talis,cujus ager est, reducat in pristinum statum,& ipsam viam infra octo dies, à die factæ requisitionis remittat, sub pœna solidorum quadraginta denar. ab eodem de facto incurrenda,& ipse devastans condemnetur in libris quinque denar. ad favorem Communis Pistorii; quæ omnia locum etiam habeant in bonis existentibus in Potestariis.

De persona habente terram tenentem caput ad viam. *Rub.* XXXVIII.

STatuimus, quòd si qua persona, vel locus habeat terram simul cohærentem, non mediantibus foveis, sive mediantibus, tenentem caput ad viam publicam,& habeat jus eundi, & redeundi, sive servitutem, vel viam ad aliquam partem ipsius terræ per fundum alicujus personæ,vel loci; illa persona, vel locus, per cujus fundum erit jus eundi, & redeundi, vel agendi, vel servitus,vel via, teneatur redimere jus eundi, & servitutem viæ justo pretio æstimando per duos bonos,& legales homines à Rectore eligendos, quæ redemptio fiat ad requisitionem personæ, quæ habet jus eundi, & redeundi. Persona verò, vel locus servitutem, & viam eundi, & redeundi habens, teneatur vendere jus, viam, & servitutem prædictam ad requisitionem personæ, quæ debet servitutem justo pretio, ut supra æstimando, & de hoc teneatur quilibet Rector, & Iudex causarum summariè, sine strepitu, & figura judicii, libelli oblatione, & litis contestatione cognoscere,& terminare aliquibus feriis non obstantibus, nec de prædictis appellari possit, vel de nullitate opponi. Quæ omnia locum habeant,non obstante quod pater alienaverit filio, vel alii personæ, in quo casu intelligatur filius tanquã pater, & omnes tanquam vendentes, etiam aliquo capitulo non obstante. Et quælibet persona, quæ haberet bona distantia à viis,ad quæ non haberet facultatem eundi, nisi per aliena bona, cogere possit Dominum bonorum ad concedendum sibi facultatem eundi ad dicta bona ab ea parte, ubi minus damnosum concedenti fuerit arbitrio Domini Iudicis causarum civilium. Et pro commoditate prædicta teneatur solvere Domino bonorũ omnem illam quantitatem, quam declaraverit idem D. Iudex, à cujus declaratione, arbitrio, & sententia, non possit appellari, nec dici de nullitate. Et in dictis procedatur summariè, ut supra. Et si quis habeat servitutem eundi ad bona

sua

sua per bona vicini, vicinus possit se liberare à servitute prædicta, quandocunque habens servitutem eundi, possit ire ad bona sua unde minus damnosum fuerit, solvendo tamen pretium redemptionis, & liberationis servitutis, juxta declarationem pretii faciendam per duos amicos communes, & D. Iudicem causarum civilium, vel duos ex eis in concordia, possit tamē appellari quandò taxatio excederet lib. vigintiquinque; an verò vicinus teneatur, vel debeat vendere servitutem prædictam Iudicis arbitrio omninò relinquatur.

De alienationibus non faciendis personis, vel locis non subjectis jurisdictioni Communis Pistorii. Rub XXXIX.

HAC saluberrima lege provisum, & ordinatum est, quòd nulla bona immobilia cujuscunque qualitatis existant sita in Civitate Pistorii, vel districtu, possint vendi, aut donari, vel in solutum dari, aut jure pignoris, vel hypothecæ, aut alio modo, vel titulo tradi, aut quomodolibet obligari, aut ad usum, vel usumfructum concedi, vel in ultima voluntate relinqui, nec etiam ab intestato deferri, & acquiri alicui personæ, universitati, vel loco, quæ non sit oriunda ipsa, vel ejus pater de Civitate, vel districtu Pistorii, & quæ non sit subiecta jurisdictioni Communis Pistorii, sine licentia generalis Consilii populi Civitatis prædictæ; & qui contrafecerit, puniatur, & puniri debeat in duplum æstimationis, & valoris rerum sic alienatarum, traditarum, & relictarum. Insuper talis venditio, donatio, traditio, obligatio, & in solutum datio, & tale relictum, & acquisitio ipso jure non valeat, & nulla, & nullum sit; & ipsa bona sic vendita, tradita, acquisita, in solutum data sine licentia prædicta ex nunc, prout ex tunc, ipso jure, & de facto sint publicata Communi Pistorii, & per ipsum Communem vendi, locari, teneri, & alienari possint ad commodum dicti Communis, & Capitaneus, seu Commissarius dictæ Civitatis, vinculo juramenti teneatur, & debeat talia bona describi, & redigi facere inter alia bona dicti Communis. Possint tamen ipsa bona in ultima voluntate relinqui jure institutionis, & quoquo relicti titulo cuilibet loco Ecclesiastico, & cuilibet Hospitali, ac etiam cuilibet societati pauperum existentibus in Civitate, & districtu Pistorii, dummodo talis locus Ecclesiasticus, Hospitale, vel societas, antequam aliquid consequantur, & consequi possint, teneantur idoneè, & cum idoneis fidejussoribus subjectis jurisdictioni Communis Pistorii cavere ipsi Communi Pistorii, vel alicui publicæ personæ pro eo recipienti, quod ipsa bona eis relicta non alienabunt, nec obligabunt alicui personæ, societati, universitati, vel loco non subjectis jurisdictioni Communis Pistorii. Possint etiam talia bona per quamlibet aliam personam volentem se dedicare, committere, vel se conversare, etiam conversari, dedicari, & committi alicui Monasterio, Hospitali, aut alii loco religioso, vel pio existenti in Civitate, vel districtu Pistorii, in ipsa sui dedicatione, commissione, vel conversione, etiam dedicari, committi, vel conversari in aliud Monasterium, Hospitale, vel locum, dummodo tale Monasterium, Hospitale, vel locus teneatur primò cavere modo, & forma prædictis. Et quilibet forensis, qui venerit ad standū, & habitandū cum

sua

ſua familia in Civitate, & Comitatu Piſtorii, ut alii de Civitate, & Comitatu faciunt, poſſit emere, & tenere bona prædicta, non obſtante præſenti Statuto; ita tamen, quod ſi ipſi, vel eorum ſucceſsores receſſerint, ex tunc ipſi forenſes ſubjaceant diſpoſitioni præſentis Statuti, niſi priuſquam receſſerint, rem immobilem acquiſitam tranſtulerint in aliquem civem, vel comitatinum, aut diſtrictualem, qui ſit origine propria, vel paterna de Civitate, aut diſtrictu Piſtorii. Et quandocunque alicui forenſi per teſtamentum, vel ultimam voluntatem eſſet ab aliquo relictum de bonis ſupra comprehenſis, vel ab inteſtato delatum, vel acquiſitum, ipſe forenſis non poſſit, neque valeat ipſa bona, ut præfertur, habere, nec tenere, nec de illis, velle ſuum facere; ſed in eo caſu teneatur, & obligatus ſit, poſtquam de tali relicto, uel legato notitiam habuerit, ea vendere, diſtrahere, vel alienare alicui perſonæ de Civitate, Comitatu, vel diſtrictu Piſtorii, ea emere volenti; & caſu quo non eſſent in concordia de pretio, pro illo pretio declarando per Magnificum Prioratum Civitatis Piſtorii, vel ejus Locumtenentes, vel majorem partem eorũ. Ad hoc autẽ, ut talis effectus ſequatur, ille, cui prædicta bona relicta fuerint, vel acquiſita, teneatur, & obligatus ſit infra menſem à die habitæ notitiæ, ea venalia facere per publicum bannum mittendum in Civitate Piſtorii per publica loca ſolita, & conſueta, & interim fructus talium bonorũ intelligantur eſſe, & ſint acquiſiti Cameræ Communis Piſtorii pro dimidia, pro quarta parte notificatori, ſeu denunciatori, & pro reliqua Rectori, ipsã executionem facienti, & cuilibet liceat in futurum notificare quocumque tempore, non obſtante aliqua temporis præſcriptione.

De bonis immobilibus non emendis pro forenſibus. *Rub.* XXXX.

CUM nonnulli de Civitate, & diſtrictu Piſtorii quotidie emant bona immobilia ſita in Civitate, & diſtrictu Piſtorii pro forenſibus, & non ſubjectis jurisdictioni dicti Communis Piſtorii, & de ipſorum forenſium, & non ſubjectorum pecunia, & malitioſè, & fraudolenter (ut pœnas evitent Statutorum) fingunt ipſa bona nomine ſuo tantùm, & pro ſe, & de eorum pecunia propria emere, ipſorum tantùm nomina in contractibus inſeri facientes: Statuimus, quòd nulla perſona ſubjecta jurisdictioni Communis Piſtorii audeat, vel præſumat verè, fictè, vel ſimulatè talia bona emere pro aliquo forenſi, vel non ſubjecto jurisdictionis dicti Communis, aut donationis, vel permutationis, ſeu alio quocunque titulo talia bona ſic recipere, ſub pœna dupli æſtimationis, ſive valoris talium bonorum emptorum, vel receptorum, & nihilominus talis emptio, donatio, vel permutatio, & quilibet alius contractus factus, & celebratus modo prædicto, ſit nullus ipſo jure, & ipſa bona ſint, & eſſe intelligantur ipſo jure ex nunc, prout ex tunc publicata Communi Piſtorii, & per Commune Piſtorii teneri, vendi, alienari, & locari poſſint, & debeant ad commodum Communis, & eadem pœna teneatur venditor talium bonorum, aut quomodolibet obligatorum modo prædicto. Et quilibet de prædictis poſſit eſſe accuſator, vel denunciator, cui præſtetur fides cum uno teſte deponente de proprio auditu, vel præſentia, vel

exhibendo Instrumenta, & lucretur quartam partem æstimationis, seu valoris bonorum publicatorum, & aliam quartam Rector ille, qui fecerit ipsa bona publicari, & Cameræ Communis Pistorii applicari, & confiscari; quas ratas Rector, & accusator prædicti habere debeant à Camerario dicti Communis, postquam ipsa bona cum effectu ad dictum Commune, & Cameram ejus pervenerint, & non aliter, præcedente tamen partito Magnifici Prioratus, vel eorum Locumtenentium, obtinendo saltem per duas tertias partes eorum.

Quod nulla persona permittat bona sua teneri per aliquam personam, vel locum non subjectum. Rub. XXXXI.

UT nullus omnino locus fraudibus relinquatur; statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona, universitas, vel locus subjectus, vel subjecta jurisdictioni Communis Pistorii permittat, vel faciat bona immobilia, quæ teneret, & possideret tamquam sua in Civitate, Comitatu, vel districtu Pistorii, teneri occupata per aliquam personam, universitatem, vel locum non subjectum jurisdictioni Communis Pistorii; & qui contrafecerit, puniatur pęna in præcedenti capitulo disposita, & contenta, & nihilominus talia bona ex nunc prout ex tunc intelligantur, & sint publicata Communi Pistorii, distribuenda prout, & sicut in præcedenti capitulo continetur in omnibus, & per omnia.

De dationibus in solutum non faciendis per curiam forensibus, & de modo servando in eis. Rub. XXXXII.

STatuimus, quod si aliquis forensis, vel non subjectus jurisdictioni Communis Pistorii peteret coram Rectore, vel suo Judice, aut aliquo officiali dictæ Civitatis sibi dari, concedi, vel adjudicari in solutum pro aliquo debito, vel obligatione, aut pro executione alicujus sententiæ, vel præcepti bona, & de bonis immobilibus alicujus de Civitate, vel districtu Pistorii sita, vel sitis in ipsa Civitate, & districtu, facta relatione per arbitros talium bonorum ad hoc eligendos, teneantur Rectores, & officiales prædicti ipsa bona sic relata banniri, & subhastari facere per Civitatem Pistorii saltem tribus vicibus, adeo quod inter unam vicem, & aliam sit spatium saltem trium dierum; qua subhastatione facta, si quis reperiretur emptor subjectus jurisdictioni Communis Pistorii, qui emere vellet dicta bona, seu de dictis bonis, tunc ipse Rector teneatur ea vendere, & tradere emptori plus aliis offerenti. Si vero emptor non reperiretur, tunc pro ipsa æstimatione usque ad quantitatem debiti, & expensarum dentur in solutum tali creditori; ita tamen quod si inde ad quinq; annos tunc proximè secuturos ille, cujus fuerint dicta bona, vel ejus hæredes, & in eorum defectum quilibet alius de Civitate, Comitatu, vel districtu Pistorii, emere voluerit ipsa bona sic adjudicata, debeat ipse creditor eidem dicta bona vendere pro eo pretio, & quantitate, pro qua adjudicata fuerint, sibi refectis etiam expensis; & facta illi requisi-

quisitione per bannum in platea Communis, si non venerit, possit venditionem facere Judex, facto tamen prius deposito de quantitate pretii prædicti penes, & in manibus Camerarii Communis Pistorii, qui Camerarius quantitatem prædictam teneatur, & obligatus sit ponere ad introitum dicti Communis, & eam solvere, tam ipse quàm sui successores dicto creditori, vel ejus procuratori quandocunque advenerit, seu pro ea miserit, & ratificaverit venditionem prædictam à Judice factam.

De procedendo per Rectores contra Facientes contra prædicta. Rub. XXXXIII.

STatuimus, & ordinamus quòd Dominus Potestas, & Capitaneus, seu Commissarius Civitatis Pistorii, & quilibet eorum possint contra prædicta, vel prædictorum aliquod committentes procedere per accusationem, inquisitionem, & denunciationem, & ipsos accusatos, denunciatos, vel inquisitos ad tormenta ponere, præcedentibus, vel non præcedentibus judiciis prout eis videbitur, & repertos culpabiles punire, & condemnare pœnis prædictis in præcedentibus capitulis contentis. Quilibet autē possit accusare, denunciare, & notificare contra prædicta, vel aliquod prædictorum facientes, & committentes; probando tamen contra negantes eo modo quo dictum est supra Rubrica 39. *De bon. immob. non em.* Et quilibet dictorum Rectorum teneatur, & debeat contra tales denunciatos, inquisitos, seu notificatos procedere, & inquirere modo prædicto, & repertos culpabiles punire, & condemnare pœnis prædictis, & quicquid per eos in prædictis factum fuerit valeat, & teneat, nec possit appellari, vel aliquo modo infringi, vel de nullitate dici, & intelligatur solemniter actum, & de jure, non obstante aliquo statuto Communis Pistorii, cui volumus [in quantum prædictis, seu alicui prædictorum esset contrarium] per hoc præsens capitulum derogari, & derogatum esse.

Quod non possit provideri contra condemnationem factam de contrafacientibus occasione prædicta. Rub. XXXXIV.

PRovisum, & ordinatum est, quòd si casus evenerit, quòd aliquis Civis, vel districtualis Pistorii, vel alia persona condemnetur, vel condemnata fuerit per aliquem Rectorem Civitatis Pistorii occasione prædictorum, vel alicujus eorum, proponi, consuli, vel reformari non possit modo aliquo, quod aut aliqualiter annulletur, vel suspendatur, vel terminus prorogetur ad solvendum; & si contra prædicta factum, dictum, provisum, vel ordinatum fuerit, ipso jure sit nullum, & nullius efficaciæ, vel valoris, & nihilominus quilibet Rector, seu Officialis, qui contra prædicta fecerit, puniatur in libris quingentis den. & consulens, & reformans puniatur in libris ducentis den. Et prædicta omnia Statuta, capitula, & ordinamenta suprascripta, & infrascripta loquentia de alienationibus non faciendis de bonis im-

mobilibus non ſubjectis jurisdictioni Piſtorii inviolabiliter, & in perpetuum obſerventur, nec poſſit eis, aut alicui eorum derogari propter aliud Statutum, ordinamentum, vel reformationem, niſi talis reformatio, Statutum, & ordinamentum obtentum fuerit in Conſilio populi Civitatis Piſtorii, ſaltem per novem partes ex decem partibus Conſiliariorum dicti Conſilii, & ipſa, & quælibet eorum ſint Statuta populi, & leges municipales, & pro Statutis, & legibus municipalibus Civitatis Piſtorii, in perpetuum debeant inviolabiliter ab omnibus, & ſingulis obſervari, prout, & ſicut jacent, & ſcripta ſunt, & in eis plenius continetur, ad purum, verum, & ſanum intellectum. Et ipſa Statuta, leges, & ordinamenta, & quodlibet eorum locum habeant, & extendantur ad præterita, non obſtante aliqua temporis præſcriptione longa, vel longhiſſima, vel aliquo lapſu temporis, qui, vel quæ per jus civile præjudicet, aut per formam Statutorum, Communis, vel Populi, quibus, vel alicui prædictum ſuperius, vel inferius expreſsorum, alia præſcriptio, vel lapſu temporis præjudicare non poſſit, quin prædicta fiant, & executioni mandentur ſingulariter, præcisè, & abſolutè, ut ſuperius continetur.

Explicit Liber Tertius.





LIBER QUARTUS STATUTORUM PISTORII.



Quòd Commissarius, & Rectores, & eorum familia teneantur defendere officium Dominorum Priorum. Rub. I.



ENEANTUR D. Commissarius, & quilibet Rector Civitatis Pistorii, & eorum, & cujuslibet eorum Iudices, milites, Notarii, & familia officium DD. Priorum, & Vexilliferi Iustitiæ, & collegarum eorundem, & ipsos DD. Priores, Vexilliferum, & eorum Notarium, & Cives de officio collegarum pro posse defendere, & conservare, nec permittere eos, vel aliquem eorum gravari, nec eis ostiũ palatii ipsorum DD. Priorum, Vexilliferi, & Collegarum claudere, vel claudi permittere, sed ipsos benignè, & cum honore recipere, & gratia tractare; & si contrafactum fuerit per ipsos Rectores, vel eorum familiam, contrafaciens puniatur per eius Syndicos in libris vigintiquinq; dummodo per prædicta in præsenti capitulo contenta, non præjudicetur mandatis Suæ Celsitudinis Serenissimæ.

Quod de maleficiis committendis per Dominos Priores non possit cognosci per Rectores, nisi ut infra. Rub. II.

STatutum, & ordinatum est, ad hoc, ut liberiores in cunctis gerendis DD. Priores, & Vexillifer Iustitiæ, & officium Collegarum, sint suisq; negociis, & dictæ Civitatis Pistorii, & sine alicujus timore providere valeant, quòd Rectores Civitatis Pistorii, & quilibet eorum per se, aut eorum curias non possint, nec debeant occasione, causa, vel prætextu cujuscunque delicti, excessus, vel maleficii, etiam quantumcunque gravissimi, & enormis inquirere, procedere, aut quomodolibet exequi, etiam per denunciationem, accusationem, inquisitionem, vel notificationem contra, vel adversus aliquem,

seu

seu aliquos, qui tempore Magistratus, vel officii talis Rectoris fuisent, essent, aut erunt de officio DD. Priorum, & Vexilliferi Iustitiæ, vel de officio Collegarum, nec ipsos, vel aliquem eorum quoquo modo capere, vel detinere, seu detineri facere, sed successores immediatè præfatorum DD. Rectorum, possint, & valeant contra præmissos procedere, exequi, & punire, prout per Statuta Communis Pistorii disponitur, dummodo pœna non imponatur mutilationis membri, & ultimi supplicii. Si verò præmissi, qui sunt, vel erunt ex officiis prædictis, talia commisissent, seu committerent, propter quæ mutilatio membri, aut ultimum supplicium per Statuta Communis Pistorii, vel de jure communi, cui expresè, vel tacitè per Statutum non sit derogatum, sequi deberet, in illis casibus possint per Dominos Capitaneum, vel Potestatem, aut alios quoscunque capi, & detineri; & teneatur ille, qui talem, seu tales cępisset, infra tertiam diem post capturam ipsos, sic captos præsentari facere executori ordinamentorum Iustitiæ Civitatis Florentiæ, ut executionem fieri faciat; qui possit procedere, & condemnare secundùm qualitatem delicti, excessus, vel maleficii commissi, sub pęna, & ad pęnam florenorum quingentorum auri, ab ipsis Commissario, seu aliis Officialibus pro qualibet vice, ipso facto, absque aliquo actu, vel condemnatione facienda, incurrenda quoties per eos, vel eorum aliquem contrafactum fuerit, cujus medietas applicetur communi Florentiæ, & altera medietas Communi Pistorii; & Rector, qui hujusmodi pęnam exegerit, & pervenire fecerit in Commune Florentiæ, & Pistorii, ut prædicitur, habeat, & habere debeat, & sic per Camerarium Cameræ Communis Pistorii ei solvatur dimidia pars ejus, quod ipsi Communi Pistorii fecerit applicari, absque alia solemnitate servanda. Et nihilominus ipse Camerarius de salario debito, seu debendo d. Commissario contrafacienti prædictis, vel ea non servanti, retinere teneatur, & debeat, & Cameræ, tam Communis Florentiæ, quàm Pistorii, dare, & solvere, & si secus fieret, de suo proprio solvisse intelligatur, & ab eo, ejusque hæredibus exigi possit quandocunque; pro quibus omnibus contrafacientes sint, & esse intelligantur suppositi officio, & Magistratui Magnificorũ Consiliariorum Serenissimi Magni Ducis, & quatuor Commissariorum Civitatis Florentiæ super rebus Pistoriensibus, Octo Baliæ, & Conservatorum Legum Civitatis prædictæ, & cuilibet eorum, inter quos habeat locum præventio.

De victu, & expensis Dominorum Priorum, & de sigillando literas. Rub. III.

PRovisum, & ordinatum est, quòd officium DD. Priorum, & Vexillif. Justitiæ Civitatis Pistorii possit habere, & expendere pro eorum salario, luminibus, cartis, scripturis, & alijs necessariis, & consuetis de pecunia dicti Communis omne id quod fuerit ordinatum, & constitutum per ordinamenta dicti Communis. Et ad tollendum scandala, quæ oriri solent quotidie pro non sigillando literas, quæ per dictum officium deliberabuntur: Statutum est, quòd facta deliberatione literarum omnes de dicto officio, qui claves habebunt sigilli teneantur eas dare, & sigillare, sigillarique face-

facere, & permittere ipsas literas, sic deliberatas eas die qua deliberabuntur; & si quis eorum contrafecerit literasque ipsas non permiserit sigillari, expellatur de officio, de quo est, seu erit, & eo privatus esse intelligatur, & nihilominus incidat in pœnam librarum vigintiquinque den. cujus quarta sit accusatoris, quarta Rectoris venire facientis in Cameră Communis, & altera medietas ipsius Communis Pistorii; & contra tales quilibet officialis possit procedere infra terminum unius anni.

De pœna non obedientis Dominis Prioribus, & Vexillifero Justitiæ. Rub. IV.

ORdinamus, quòd D. Commissarius debeat punire, & condemnare omnia, & singula Communia, Communitates, & Universitates districtus Pistorii, & omnes, & singulos homines, & personas Civitatis, & districtus Pistorii, & aliunde, qui, vel quæ non paruerint, seu parerent in posterum mandatis, & præceptis quomodolibet factis per DD. Priores, & Vexillifer. Justitiæ pro tempore existentes, ea pœna, seu pœnis, qua, vel quibus per eos provisum exciterit, seu per duas partes ex eis. Qui Commissarius possit, teneatur, & debeat de prædictis inquirere, & ex suo officio procedere, punire, & condemnare de facto ad favorem Communis Pistorii. Possint etiam DD. Priores, & Vexillifer Justitiæ per duas partes eorum officii inobedientes mulctare, & condemnare in illis pœnis, summis, & quantitatibus, quibus, eis visum fuerit, & deliberata, & decreta per eos, seu duas partes eorum officii, exequantur, & executioni mandentur per quoscunque Rectores, & Officiales Civitatis Pistorii, & quascunque alias personas, & præcipuè per Rectorem ipsum, cui executionem commiserint.

De pœna Priorum, Vexilliferi Justitiæ, & eorum Notarii facientium contra alterum Priorem. Rub. V.

STatuimus, quòd si DD. Priores, & Vexillifer justitiæ, vel eorum Notarius, durante eorum officio se offenderint cum aliquo armorum genere, & vulnus factum fuerit, quilibet vulnus faciens, puniatur per Rectorem in triplum pœnæ, qua mulctaretur, si aliŭ offendisset, & de officio per ipsŭ Rectorē expellatur, & in perpetuum non sit, nec esse possit Prior, vel Vexillifer Justitiæ, seu eorum Notarius; Si verò aliter, vel alio modo, quàm cum armis se offenderint, offendens puniatur in duplum ejus, quod continetur in Statutis Cōmunis, vel Populi; de verbis tamen injuriosis inter se habitis, non puniantur; alii autem Priores, & Vexillifer Justitiæ, teneantur ipsi Rectori, quæ facta sunt infra tertiam diem notificare, ad pęnam librarum vigintiquinque den. à quolibet ipsorum incurrenda, ad favorem Communis Pistorii. Et nullus Prior, Vexillifer Iustitiæ, vel eorum Notarius, durante eorum officio, possit, vel debeat, nisi tempore rumoris, juxta, vel penès se in Palatio eorŭ residentiæ aliqua arma offendibilia habere, seu tenere, sub pęna scutorum vigintiquinq; ab eodem qualibet vice, qua contrafactum sit, incurrenda; & in prædictis, & quolibet eorum possit, & debeat Rector ipse ex suo officio procedere

cedere per inquisitionem, accusationem, & denunciationem, seu aliter quomodolibet, & repertos culpabiles pęnis prædictis punire, & condemnare; & prædicta, & quodlibet prædictorum dictorum Dominorum officio durante, & Vexilliferi Iustitiæ, & eorum Notarii, & ipso officio deposito, & finito facere possit, & debeat, non obstante aliquo Statuto Populi, & Communis Pistorii in contrarium loquente. Neque in prædictis offendenti prosit beneficium pacis, quoad solutionem condemnationis faciendam, quam integralitèr solvere teneatur in pecunia numerata tantùm; quæ locum habeant in futuris, & ad præterita non extendantur, ad quarum condemnationum solutionem, fidejussores ipsorum DD. Priorum, & Vexilliferi, & Notarii cum suis principalibus insolidum teneantur, & obligati sint.

De pœna Prioris inventi in fraudem. Rub. VI.

SI quis Prior, & Vexillifer Iustitiæ fuerit inventus in fraudem officii Prioratus, vel aliquid lucrari occasione alicujus officii fraudolenter, vel illicito modo, puniatur per D. Commissarium populi pro qualibet vice, saltem in libris centum den. ad arbitrium ipsius D. Commissarii, inspecta quantitate excessus, & ablata cum duplo restituat, & in perpetuum non sit Prior, vel Vexillifer Iustitiæ, vel eorum Consiliarius, dummodo cognitio deferatur secundùm formam Statutorum Communis Pistorii, & eorum approbationem factam.

Quòd DD. Priores, & Vexillifer Justitiæ non eligant ex se ipsis, vel Patrem, vel Fratrem, vel Filium alicujus ipsorum ad aliquod officium, nec ultra unum de aliqua domo, vel stirpe. Rub. VII.

PRovisum, & ordinatum est, quòd DD. Priores, & Vexillifer Iustitiæ Civitatis Pistorii pro tempore existentes, vel aliquis eorum, vel aliqui alii Officiales eligendi per dictos DD. Priores, & Vexilliferum, seu per Consilium dictæ Civitatis, non possint quoquo modo directè, vel indirectè eligere, vel deputare ad aliquod Officium, vel Baliam Civitatis Pistorii, vel pro Comitatu aliquem, seu aliquos ex se ipsis, vel eorum Notarium, vel aliquem patrem, filium, fratres carnales, vel nepotes ex filio alicujus ex dictis DD. Priorum, & Vexilliferi, vel alicujus aliorum Officialium eligendorum per eos, vel Consilium, nec ultra unum de aliqua domo, stirpe, seu progenie simul & semel, & pro una vice. Et si contrafactum fuerit, puniantur dicti eligentes; & taliter electi contra dictam formam acceptantes per quemlibet Rectorem Civitatis Pistorii in libris decem den. pro quolibet eorum; & quod factum fuerit, nullius sit efficaciæ, effectus, valoris, vel momenti, nec registrari, aut exinde alia solutio fieri debeat, nec possit. Quæ non habeant locum in Oratoribus, & Officialibus ad apodissam extrahendis, & Consiliariis in posterum extrahendis.

De

De non manifestandis secretis impositis per DD. Priores. Rub. VIII.

UT pœnarum terrore, credentiæ, quæ imponerentur in posterum, non manifestentur; statutum, & ordinatum est, quòd quandocunque Domini Priores, & Vexillifer Iustitiæ populi, & Civitatis Pistorii mandaverint aliquod consilium, dictum, vel factum teneri secretum, tale mandatum scribi facere debeant per eorum Notarium, vel Cancellarium Communis, & in eo pœnam apponere, quam crediderint convenire; & si quis de numero illorum, quibus imposita fuerit ipsa credentia, contra tale mandatum fecerit, incidat in pœnam in ipso mandato, & præcepto appositam; & si contrafaciens fuerit de numero ipsorum Dominorum Priorum, & Vexilliferi Iustitiæ, qui credentiam illam imposuissent, incidat in pœnam dupli ejus, quod in præcepto continetur. Et quilibet Rector ex eorum, & cujuslibet eorum officio, & ad denunciationem cujuscumque, contra prædicta facientes possit inquirere, procedere, punire, & condemnare in pœnis prædictis, à quibus condemnationibus non possit appellari, vel de nullitate opponi, etiam ratione ordinis non servati, vel solemnitatis omissæ, nec Rectores ipsi pro dictis condemnationibus aliquo tempore syndicari, vel modo aliquo molestari possint.

De non advocando, vel procurando per Dominos Priores, & Vexilliferum Iustitiæ coram aliquo Rectore &c. Rub. IX.

NUllus Prior, vel Vexillifer Iustitiæ, vel eorum Notarius adeat, vel procuret pro se, vel alia persona, coram aliquo Rectore, aut Officiali, vel vadat ad ipsorum, vel alicujus ipsorum Hospitium, & qui contrafecerit, puniatur per D. Commissarium populi dictæ Civitatis qualibet vice in libris vigintiquinque. Nec possit aliquis Prior, Vexillifer Iustitiæ, vel eorum Notarius ab ortu Solis, usque ad tertium sonum pulsatæ campanæ, exire è Palatio eorum residentiæ, nec extra Palatium dicto tempore stare, excepto casu infirmitatis, & salvo quod possit stare permanendo tribus diebus continuis in domo sua, sed non in apotheca, neque artem exercere, neq; per Civitatem, vel extra eam ire de die, sub pęna librarum quingentarum denariorum pro quolibet, ab eisdem de facto incurrenda, si contrafecerint. Neque exire extra Civitatem, vel Comitatum in aliqua parte, seu loco, sine expressa licentia Consilii populi, obtenta ad minus per duas partes, de qua apparere debebat manu Cancellarii, vel eorum Notarii, quam licentiam habere debeant ante eorum recessum, sub dicta pœna; neque excuset eum, vel excusare possit præceptum alicujus Rectoris, vel Officialis, aut alterius personæ, aut Collegii, seu dominationis, excepta S.C.R. sub dicta pœna, si contra dictam formam iret, staret, aut se absentaret, & ulteriùs contrafaciens, amittat omne feudum, seu salarium, quod habere, & recipere deberet à Communi Pistorii. Neque ipsi Domini Priores aut aliquis eorum possint ire ad funus alicujus personæ, neque ad aliquas nuptias, sub eadem pœna. Et quibuslibet diebus, & noctibus sex eorum of-

ficii ad minus remanere debeant in Palatio eorum residentiæ, sub pœna librarum quinquaginta den. cuilibet non reperto in dicto Palatio, nisi legitimus numerus eorum ex aliqua causa exiret è Palatio prædicto. Nec aliquis eorum possit in aliqua Curia conveniri, nec alios convenire, nisi obtenta licentia ab ipso officio, per duas partes saltem, manu eorum Notarii, vel Cancellarii Communis, ut supra dictum est, salvis causis jam cæptis activè, vel passivè, in quibus teneantur procuratorem constituere manu Notarii causarum civilium.

Quod Cancellarius sit loco Notarii Dominorum Priorum. Rub. X.

ET si contigerit, quod ex Bursis Notarii officii DD. Priorum, tam ordinatis, quàm ordinandis in futurum non reperiretur Notarius, vel si reperiretur esset absens, inhabilis, vel non idoneus secundùm ordinamenta; tunc, & eo casu Cancellarius Communis Pistorii, vel ejus Coadjutor, qui pro tempore fuerit, sit, & esse intelligatur, & esse debeat Notarius dicti officii Dominorum Priorum, & officium ipsum exerceat tamquam habilis, & idoneus, & non possit ipse Cancellarius pro dicto officio Notarii exercendo, vel ejus Coadjutor aliud petere, vel habere, nisi libras tredecim denariorũ pro carta, cera, & scripturis, nec teneatur ad dandam cartam, vel ceram alicui ex officio Dominorum Priorum. Et qui contrafecerit prædictis, incidat in pœnam librarum ducentarum denariorum de facto ab eo incurrendam, pro medietate Cameræ Communis Pistorii applicandam, pro quarta Rectori exigenti, & pro alia quarta accusatori, vel denunciatori: & Rationerii cujuscunque Camerariatus si reperierint aliquam solutionem factam contra modum, & formam prædictam, & non condemnaverint, similiter incidant in pœnam prædictam, & de prædictis perpetuò possit cognosci, inquiri, procedi, & terminari, quibuscunque in contrarium non obstantibus.

De officio Consilii. Rub. XI.

STatutum, & ordinatum est, quòd Consilium populi Civitatis Pistorii, quod pro tempore fuerit, simul, & unà cum D. Commissario, sive ejus Locumtenente solùm dicti D. Commissarii, & cum omnibus Prioribus, & Vexillif. Justitiæ, vel eorum Locumtenentibus, & Collegis, qui pro tempore fuerint, seu eorum duabus partibus, habeat, & habere intelligatur plenam, & liberam baliam, authoritatem, & potestatem constituendi reformandi, & ordinandi omnia, & singula, quæ pro bono, & pacifico statu Communis Pistorii, & populi dictæ Civitatis ipsi Consilio, & Consiliariis placuerit, præcedentibus provisionibus, & deliberationibus firmandis, ordinandis, approbandis, & obtinendis modo, & forma, prout, & sicut in effectu in omnibus, & per omnia continetur in Rub. 5. lib. 1. præsentium Statutorum, *De petit. firm.* ac per reformationes tam factas, quàm faciendas per habentes authoritatem super ordinatione officiorum Civitatis Pistorii. Et habeat jus creandi Rectores, & Officiales, Syndicos, & Procuratores ad actus quoslibet eligendos, constituendos, & firmandos: cessiones, transactiones, alienationes, & obli-

obligationes quaslibet faciendi, & omnia, & singula faciendi, & decernendi, quæ totum Commune facere potest, & Populus Pistoriensis, non obstante aliquo Statuto Communis, & Populi dictæ Civitatis in contrarium loquente. Sufficiat in dicto Consilio populi interesse numerum Consiliariorum, statutum, & ordinatum per Reformationem Communis Pistorii, & quod per duas partes, vel plures ipsorum Consiliariorum, quandò plures interessent Consilio, ex tribus partibus coadunatorũ in numero sufficienti obtentũ fuerit, plenum robur firmitatis obtineat, si major numerus circa dictum negocium per formam Statutorum, aut ordinamentorum suprascriptorum, & Communis Pistorii non requireretur. Et possit dictum Consilium facere, constituere, & ordinare leges, statuta, provisiones, & ordinamenta præcisa, & pęnalia perpetua, & temporalia, prout ei visum fuerit, quæ observari debeant ut supra, dummodo non sint contra statum, jurisdictionem, & præeminentiam Communis Florentiæ. Cujus Consilii, partita, & deliberationes, necnon provisiones primo loco, ut prædicitur, firmandæ, per Cancellarium dicti Communis Pistorii rogari debeant, & in ejus absentiam per Notarium DD. Priorum pro tempore existentem.

De modo, quo debeant Consiliarii intervenire in Consilio. Rub. XII.

QUoties fieret Consilium pro facto alicujus personæ specialis, ad quam pertinet Consilium, eijciantur de Consilio ipse, pater, frater carnalis, filius, nepotes, fratres consobrini, & manifestus inimicus; & hoc capitulum legatur in Consilio populi quandò esset Consilium, & quilibet de suprascriptis teneatur exire de Consilio, qui ibi inventus fuerit; quod si non fecerit, puniatur in libris quinque pro qualibet vice, & quilibet possit denunciare, & teneatur ei credentia. Et cùm Consilium populi congregari contigerit quacunque ratione, vel causa, nullus Consiliarius in eo congregetur, nisi cum lucco, aut civili toga, & pianellis, seu crepidis nigris, sub pœna librarum septuaginta pro quolibet, & qualibet vice, applicanda pro medietate Gabellariis Portarum Civitatis Pistorii, & pro altera medietate accusatori cum uno teste, qui Gabellarii, facta eis fide per dictum accusatorem cum uno teste; incontinenti teneâtur ei solvere dictam medietatem. Nulla tamen persona cujuscunque conditionis, vel status sit, Civitatis, vel districtus Pistorii possit portare in Palatio dictorum DD. Priorum, ab ostio mediæ scalæ supra, aliquod genus armorum offendibilium, sub pęna librarum centum pro quolibet, & qualibet vice, & pro quolibet genere armorum.

De Officialium juramento. Rub. XIII.

ORdinamus, quòd quilibet de Civitate, vel districtu Pistorii, qui quoquomodo eligeretur, vel assumeretur, vel præponeretur, vel erit, vel deputabitur deinceps pro Communi Pistorii ad aliquod Officium, Prioratus, Vexilliferatus, Notariatus, Consilii, Capitaneatus, vel ad aliud officium, vel Baliam Civitatis, vel districtus Pistorii, tempore acceptationis talis officii, & antequam ipsum officium incipiat exercere, juret corporaliter manu tactis

ſcripturis, & jurare teneatur, & debeat bona fide, & ſine fraude ſe eſſe in futurum perpetuò fidelem, & devotum, ac amatorem Imperii Suæ R. Celſitudini, & Civitatis Piſtorii. Et quicunque renunciaverit, vel recuſaverit tale juramentum præſtare, ſit, & eſſe intelligatur ipſo facto privatus officio, ad quod creatus, præpoſitus, aſſumptus, vel deputatus fuerit, & in perpetuum eligi non poſſit in Civitate Piſtorii ad aliquod officium, vel Balìam, de qua recuſatione, ſeu renunciatione, fieri debeat publicum Inſtrumētum per Notarium, coram quo fieret dicta renunciatio, vel recuſatio in actis Communis Piſtorii, ad hoc, ut exinde perpetua memoria habeatur, ſub pœna libr. quinquaginta den. ab ipſo Notario contrafacienti pro qualibet vice incurrenda.

Quòd nulla perſona Eccleſiaſtica ſit in aliqua balìa. Rub. XIV.

NUllus Eccleſiaſticus, vel Eccleſiaſtica perſona, vel quæ ratione Clericatus, vel converſionis declinaverit juriſdictionem Communis Piſtorii, ſit in aliquo officio, vel balia in Civitate Piſtorii, vel in aliqua Communitate Diſtrictus ejuſdem, niſi per formam alicujus Statuti, vel reformationis factæ, vel faciendæ aliud caveretur; & qui talem perſonam eligeret, puniatur pro qualibet vice in libris decem den. & id quod fecerit occaſione ſui officij non valeat, & non teneat ipſo jure.

Quòd condemnati non gaudeant officiis, nec eis jus reddatur. Rub. XV.

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunque fuerit condemnatus ob aliquod maleficium, non poſſit eſse in aliquo officio Civitatis, vel diſtrictus Piſtorii, niſi primò ſatisfecerit Communi Piſtorii de ipſa condemnatione in pecunia, vel alia pœna, prout in ſententia condemnationis. Et ſi receperit, vel exercuerit officium prædictum, caſſetur de ipſo officio, & condemnetur in libris quinque den. nec poſſit, aut debeat audiri in cauſis civilibus, aut criminalibus, agendo, defendendo, vel excipiendo, vel alio quocunque modo per ſe, vel alio in judicio comparendo, & quicquid factum fuerit in commodum, & utilitatem talis condemnati, ſit irritum, & inane, & omni careat effectu, & executione, donec non ſolverit ipſam condemnationem.

De eo, qui indebitè receperit officium. Rub. XVI.

ORdinamus, quòd ſi qua perſona receperit aliquod officium, quod ei nō liceret habere per conſtitutiones, ipſa perſona de dicto officio expellatur, & perdat feudum, ſive ſalarium; Et ſi Rectores Civitatis Piſtorii, aut aliquis eorum hoc permitterent per ignorantiam, aut alio modo, syndicentur exindè, & talis perſona reſtituat ipſum feudum, ſeu ſalarium, quod propterea habuerit, & condemnetur ulterius in libris decem den. ad favorem Communis Piſtorii.

De de-

De devetis non annullandis. Rub. XVII.

CUm provisum fuerit, & sit per Statuta Communis Pistorii de deveto Officialium forensium Civitatis Pistorii, & nonnulli studeant ad ipsa officia venire, quærentes, cùm sint in officiis, & ipsius, & ipsorum officio provideri, precibusque omnibus studeant complaceri, etiam contra ipsa Statuta, & provisiones jam factas: volentes in prædictis providere de remedio opportuno; statuimus, & ordinamus, quòd per Consilium Civitatis Pistorii, ab hodie in futurũ non possit quoquomodo provideri, vel ordinari de aliquo deveto, annullando alicui Officiali, nisi prius obtenta licentia ab ejus Reali Celsitudine Imperii Florentini, qua obtenta, postea obtineri debeat in Consilio Populi Civitatis Pistorii per tres quartas partes dd. Consilii, & aliter, & alio modo provideri non possit, sub pęna florenorum mille auri ab Officio Dominorum Priorum, qui pro tempore fuerint contra prædicta facienti, incurrenda,

Quod non constituatur Syndicus, nisi prius reformetur in Consilio. Rub. XVIII.

PRovisum est, quòd D. Commissarius Civitatis Pistorii, vel ejus Judex, DD. Priores, & Vexillifer Iustitiæ, & Consilium generale Populi, vel Communis Pistorii, vel aliquis ipsorum non possint, nec debeant pro se ipsis, & vice, nomine Communis Civitatis Pistorii, & pro ipso Communi, vel populo constituere, creare, vel ordinare in eorum, & dicti Communis Syndicum, & Procuratorem, actorem, factorem, & certum nuncium specialem aliquem, seu aliquos simul, & insolidum aliqua ratione, vel causa, quæ dici, vel excogitari possit, nisi primò reformetur in opportunis Consiliis dictæ Civitatis, secundùm formam ordinamentorum ejusdem, quod Syndicus, seu Syndici fieri debeant; ita tamen, quod prædicta non vendicent sibi locum in syndicatibus qui fierent, vel fiunt, pro præsentando electionem Rectoribus, & Officialibus Communis Pistorii. Et DD. Priores, & Vexillif. Iustitiæ, qui quolibet anno erunt de mense Januarii, dicto mense teneantur, & debeant eligi facere in Consilio populi ad partitum ad siccum duos Syndicos, qui debeant defendere, & ostendere jura Communis Pistorii, coram quocunque Rectore, & Officiali pro defensione Communis, & possint etiam accedere ad S. R. C. & alios Magistratus, ubi opus esset, pro prædictis, quorum officium duret per unum annum. Et ad prædicta dicti Syndici habeant mandatum, & authoritatem à Commune Pistorii, pęna dictis DD. Prioribus prædicta omittentibus librarum quinquaginta den. & amissione eorum salarii pro quolibet eorum, & habeant salarium dicti Syndici eis ordinandum per Consilium Populi, & duas partes ipsius. Tubicines autem electi per dictum Consilium, intelligantur quoad venditores gabellarum introituum, & aliarum rerum dicti Communis esse Syndici, & Procuratores ipsius, & quæ per eos, vel alterum eorum circa prædicta de consensu Dominorum Priorum fient, valeant, & teneant.

Quòd nulla balia duret ultra sex menses. Rub. XIX.

PRovisum est, quòd nulla balìa, auctoritas, vel Potestas Communis Pistorii deinceps dari, vel concedi possit, seu debeat per reformationem Consilii populi Civitatis Pistorii in futurum faciendam Dominis Prioribus, & Vexillifero Iustitiæ, nec alicui civi Pistoriensi directè, vel indirectè duratura, ultra sex menses, salvis tamen dispositis per alia Statuta circa prædicta in casibus specificatis. Et Domini Priores, & Vexillifer Iustitiæ, qui pro tempore fuerint, non permittant, quòd aliqua propositio fiat, ut aliqua balìa, auctoritas, vel Potestas detur, vel concedatur alicui, vel aliquibus Pistoriensibus, quæ duret ultra sex menses à die datæ, & concessæ in futurum computandos, & si contrafieret, non valeat, & non teneat ipso jure; & quilibet ex Prioribus, & Vexilliferis Iustitiæ, qui dictam propositionem fieri permitteret, puniatur, & condemnetur in libris decem den. pro qualibet vice. Et si placuerit Consilio populi, & Civitatis Pistorii, duret dicta balìa ad plus usq; in sex menses, & non ultra. Quicunque verò fuerit electus Orator, & iverit ad Civitatem Florentiæ, vel aliò ad aliquem Magistratum, seu ad aliquod officium per Commune Pistorii, & ejus auctoritate habeat devetum per quatuor menses, à die finitæ legationis; & teneatur quilibet, qui creatus fuerit, ire, sub pęna librarum quinque den. si recusaret, Cameræ Communis Pistorii applicanda. Et Cancellarius teneatur illum describere in libro bonor: Cõmunis modo, & forma, prout alii describuntur cum præjudicio privationis officiorum. Quæ locum habeant, nisi per Consilium Populi aliter fuerit deliberatum, seu provisum, & ablatum devetum ipsis Oratoribus; quod devetum per ipsum Consilium auferri possit per partitum ad siccum, nulla etiam super hoc præcedente petitione, aut provisione; & quæ dicta sunt de Oratoribus, habeant locum in omnibus commissionibus datis per dictum Consilium.

De officio Reformatorum Civitatis Pistorii. Rub. XX.

STatutum, & ordinatum est, quod quandocunque contigerit reformationem fieri de officiis Civitatis Pistorii, talis reformatio fieri debeat per graduatos cives ipsius Civitatis, seu per alios quoscumque, auctoritatem habentes deputatos modo, & forma infrascripta, videlicet: quòd possint ponere, & deliberare tempus reformationis, scilicet pro quanto tempore imbursationes per eos faciendas durare voluerint, & pro illo tempore, pro quo deliberaverint, possint providere solùm per viam imbursationis de officio Vexilliferi, Prioratus, & eorum Notarii de duobus mensibus in duos menses tantùm, & tam de ordinariis, quàm de subsidiariis prout voluerint, & de officio Consilii populi per eamdem viam imbursationis, & de sex mensibus in sex menses, & tam de ordinariis, quàm de extraordinariis. Item de Operariis Sancti Jacobi Apostoli, Sancti Zenonis, Sancti Ioannis Baptistæ, Sanctæ Mariæ Humilitatis, Montis Pietatis, & aliorum officiorum, tam factorum, quàm

quàm faciendorum: de rebus omnib.ad curam,& regimen Communis Pistorii pertinentibus, pro uno anno duraturis, vel minori, seu majori tempore, prout, & sicut eis videbitur: & de officio bonorum Virorum carcerum Communis Pistorii pro uno anno duraturo: & de officio Notarii Cameræ, & Notariorum causarum civilium pro uno anno, ut supra duraturis. Qui Reformatores pro ipsa reformatione facienda, possint expendere,& pro omnibus exinde dependentibus, licèt fuerint ad societatem aliquorum, qui non essent de Civitate Pistorii,etiam si voluerint in aliquem conferre aliquam remunerationem, seu honorem, vel quid aliud facere, solùm, & dumtaxat, usque in libris quatuorcentis den. & non ultra, computatis in his expensis Notarii reformationis, & ejusdem reformationis scripturarum; & aliter, vel alio modo provideri non possit de majori expensa, nisi obtineretur in Consilio populi per novem ex decem Consiliariis. Si verò venerint Reformatores de Florentia, & sine societate civium Pistoriensium, cùm expensa certa tunc limitari non possit; statuitur, quòd de expensa provideatur in dicto casu per Consilium populi. Teneanturque dicti Reformatores de cętero imbursare solùm personas secundùm formam infrascriptorum capitulorum, & si aliter imbursarent, imbursatio non teneat. Imbursati verò habeant, & habere debeant infrascripta deveta, quæ in insaccando, extrahendo, & officia exercendo, debeant firmiter observari, nec per Reformatores possint modo aliquo tolli, vel aliqualiter removeri. Nempè nullus possit esse de una bursa, vel sacco ad idē officium, nisi semel;& si quis extraheretur ad aliquod dictorum officiorum, qui non esset ætatis præfinitæ, videlicet quòd Vexillifer sit ætatis, saltem annorum quadraginta, tempore primæ extractionis: Priores verò, & eorum Notarius, & Collegæ, & Consiliarii,& omnes alii Officiales sint ætatis, prout disponitur in Reformationibus Officiorum &c. si ipsum acceptaret,incidat in pœnam librarum quingentarum den. vice qualibet,& de prædictis possit cognosci omni tempore, & sine temporis præscriptione, & præfinitione, de aliis verò devetis possit disponi per Reformatores, prout eis videbitur. Nec possit aliquis esse, eligi, vel assumi qui sit notatus aliqua infamia, respectu cujuscunque falsitatis, vel furti per eum commissi, vel commissæ, per condemnationem contra eum latam, in aliquo officio; quod si talis infamis aliquod officium acceptaret, vel exerceret, seu exercuerit, ipso jure incurrat pœnam librarum quingentarum den. in quibus possit, & debeat condemnari per quemlibet Rectorem Civitatis Pistorii, & de prædictis cognosci possit, nulla temporis præscriptione obstante. Quod si contigerit, quod ipsis Reformatoribus videretur de prædictis officiis, vel aliquo eorum providere per aliam viam, vel pro majori tempore, vel de alio officio, vel aliter quàm sit dictum, tunc, & eo casu possint recurrere ad Consilium populi Civitatis Pistorii, & ibidem dicere clarè, & exponere illud, quod eis videbitur expediens, & prout in eo fuerit solemniter reformatum, ita possit circa eorum dispositionem procedi.

De pœ-

De pœna recipientis indebitè aliquid à Camera. Rub. XXI.

STatuimus, quòd si quis indebitè, & fraudolenter aliquid receperit à Camerario Communis Pistorii, puniatur per D. Commissarium in libris centum den. ultra restitutionem pecuniæ, vel rei indebitè receptarum. Et ad Commune Pistorii spectet, pertineat, & possit & valeat providere, ordinare, capitulare, & ordinamenta, & provisiones facere pœnales, & pęnalia circa officium, & regulationem Cameræ, & ipsius Camerarios, & Notarios, eaq; registrare eo modo, & forma, prout Consilio populi videbitur, & placuerit pro utilitate ipsius Communis; & provisa, ordinata, & stabilita in prædictis, & circa prædicta per dictum Consilium populi valeant, & teneant, & executioni mandentur.

De Syndicatu Notariorum maleficiorum, causarum civilium, & damnorum datorum. Rub. XXII.

NOtarii quicunque maleficiorum, causarum civilium, & damnorum datorum Communis Pistorii, qui pro tempore fuerint, per majorem Syndicum, & Iudicem appellationum, & nullitatum dictæ Civitatis syndicentur; si verò Sindicum vacare contigerit, tunc, & eo casu syndicari debeant per quatuor cives, eligendos, & deputandos iuxta ordinamenta dictæ Civitatis, in quo procedatur hoc modo, videlicet. Quod finito eorum, & cujuslibet ipsorum officio dicti Syndici, seu cives teneantur vinculo eorum juramenti immediatè formare inquisitionem contra dictos Officiales, & ipsos facere respondere, & fidejussores præstare de solvendo condemnationem, quam fieri contingeret. Et quilibet, qui voluerit aliquid dicere, petere, vel opponere contra dictos Notarios, vel aliquem eorum, compareat infra tertiam diem futuram finito eorum officio, & quarta die debeant absolvi, vel condemnari.

De puris manibus habendis per Rectores. Rub. XXIII.

CUM omnes administratores puris uti manibus præcipuè deceat, ne eorum immunditia ceteris sit pravitatis exemplũ; statutum, & ordinatum est, quòd omnes, & singuli Rectores Civitatis, & districtus Pistorii, tam cives, quàm comitatini dictæ Civitatis, quàm etiam forenses extra districtum Civitatis Pistorii in eorum regiminibus, & officiis puras teneantur, & debeant manus habere, scilicet non petere, recipere, accipere, vel extorquere per se, vel alium, seu alios quoquo modo, directè, vel per obliquum à Communi Pistorii, vel Camera ipsius, vel ab aliqua Communitate, vel loco ipsius Civitatis, vel ab aliqua singulari persona aliquam pecuniæ quantitatem, vel rem aliquam cujuscunque conditionis, vel valoris extiterit, prætextu, vel occasione sui regiminis, vel officii, nisi quatenus, & prout eis licet, vel concessum foret per formam Statutorum, reformationum, & ordinamentorum Civitatis vel districtus Pistorii; & quilibet Rector, vel Officialis dictæ Civitatis, tam civis,

civis,& districtualis,quàm forensis, teneatur,& debeat tempore, quo juraverit de suo officio exercendo, inter cœtera, & principalitèr ad Sancta Dei Evangelia jurare in suo regimine,& officio puras habere manus. Si quis verò eorum in suo officio,vel regimine puras non haberet manus,seu nõ habere præsumpserit, puniatur, & condemnetur qualibet vice, qua contrafecerit, ad restitutionem ejus, quod habuerit, receperit, acceperit, vel extorserit ipse, vel alter pro eo, illi, à quo habitum, receptum extortum, vel acceptum extiterit, & ultra, pęnis infrascriptis, Communi Pistorii applicandis pro dimidia, pro quarta accusatori, & pro reliqua Rectori, Officialibus, seu Magistratibus, prout infra dicetur, videlicet. Quòd si D. Commissarius, Capitaneus, vel alter Officialis Civitatis Pistorii puras manus non habuerint, petendo, scilicet recipiendo, accipiendo, vel extorquendo, ut superiùs dictum est, puniantur, & condemnetur per eorum Syndicos pro baratteria, & tanquam baratterii pęna saltem librarum ducentarum, & usque in quingentas, arbitrio dictorum Syndicorum, inspectis qualitatibus personarum, & delictorum. Si verò Iudex, aut miles socius, aut Notarius D. Commissarii, Capitanei, vel alterius cujuscunque Rectoris, & Officialis, vel Notarius maleficiorum, seu quicunque forensis ad aliquod aliud officium in Civitate, vel districtu Pistorii deputatus, ut supra contrafecerint, seu extorserint, puniantur, & condemnentur per eorum Syndicos, pęna saltem librarum centum, & usque in trecentas arbitrio dictorum Syndicorum, inspecta qualitate personarum, & delictorum. Si autem fuerit domicellus, familiaris, vel birroarius alicujus Officialis forensis, puniatur, & condemnetur pœna librarum quinquaginta den. arbitrio Syndicorum prædictorum. Et insuper quicunque Rectorum prædictorum, vel Officialium, seu eorum familiariorum de baratteria, seu de non habitis puris manibus, vel quia contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit, vel commiserit, fuerit condemnatus, non possit in perpetuum eligi, vel recipi quoquo modo ad aliquod officium regimen vel baliam, seu cum aliquo Rectore, vel Officiali in Civitate, vel districtu Pistorii. Si quis verò civis, vel districtualis Pistorii contra prædicta, vel aliquod eorum fecerit, vel commiserit, puniatur,& condemnetur pro baratteria, & tanquam baratterius per dictum Dominum Commissarium populi Civitatis Pistorii, si fuerit Prior, vel Vexillifer justitiæ dictæ Civitatis in libras centum den. Si verò aliquis Officialis ad officium aliquod in Civitate Pistorii, vel districtu deputatus in libras quinquaginta den. & in perpetuum non sit, nec esse possit in aliquo officio, vel balia dictæ Civitatis. Prædicta verò non extendantur ad Notarios cives, vel districtuales Pistorienses, quibus ex forma Statutorum, vel ordinamentorum, vel reformationis dictæ Civitatis, vel ejus districtus liceret solutionem recipere de scripturis, quas fecerint in officio, seu quibus non foret per hæc Statuta, reformationes,& ordinamenta prohibitum dictarum scripturarum solutionem recipere, vel habere. Sed si aliquid acciperent, peterent, vel extorquerent de ipsis scripturis ultra quàm eis liceret ex forma Statutorum, reformationum, vel ordinamentorum, in hujusmodi casibus condemnentur ipsi Notarii, qui plus debito acciperent de scripturis

prædictis in quadruplum ejus, quod indebitè acceperint, & ultra in libras quinque den. arbitrio Syndicorum, qui eos syndicabunt. Nullus autem civis possit condemnari pro baratteria, eo quod receperit aliqua comestibilia, vel potabilia valentia solidos quinque, vel ab inde infra, & de prædictis, vel eorum quolibet possit probari per unum testem de visu bonæ conditionis, & famæ, & per quatuor testes de fama, ejusdem conditionis, & famæ, vel per octo testes de fama, eiusdem conditionis, & famæ prædictæ. Et quæcunque persona accusaverit, vel denunciaverit aliquem ex prædictis Rectoribus, vel Officialibus, vel eorum familiaribus de baratteria, seu de prædictis, vel eorum aliquo, vel qui testificatus fuerit, non possit, vel debeat condemnari, puniri, nec aliqualiter molestari pro eo, quod eum, quem accusaverit, vel denunciaverit, seu contra quem testificatus fuerit, corruperit, seu corrupisse diceretur, non obstante Statuto sub Rubrica *De pœna corrump. potestat.* vel aliquo alio Statuto ordinato, vel ordinando, seu reformatione dictæ Civitatis; & de prædictis, & quolibet prædictorum possit cognosci, procedi, & condemnari cum accusatione, & denunciatione cujuscunque personæ Civitatis, vel districtus Pistorii, & per inquisitionem ex officio sine aliqua accusatione, vel denunciatione infra annum post finitum officium, non obstante aliqua sententia absolutoria lata super generali inquisitione formata. Pro qua quidem pœna imponenda suprascriptis Rectoribus, officialibus, aliisque personis suprascriptis, prædicti contrafacientes intelligantur esse, & sint suppositi Officialibus legum, Octo custodiæ, & baliæ, ac etiam Officio quatuor Commissariorum Civitatis Florentiæ super rebus Pistoriensibus, inter quos habeat locum præventio, & sit in electione volentis accusare, vel denunciare, quam accusationem, vel denunciationem facere possint tam durante eorum officio, quàm post infra annum, ut supra. Nulla etiam persona possit aliquid solvere, ultra salaria supradicta in Statutis contenta, ad pœnam librarum vigintiquinque den., cujus medietas sit Communis, & altera Rectoris exigentis; & quilibet Rector possit in perpetuum de prædictis cognoscere, & condemnare. Et nullus Rector, seu officialis Civitatis, & districtus Pistorii, vel alius de eorum curia, & familia possit aliquid accipere, vel petere ab aliqua persona, quæ detenta esset in Palatio, vel in quocunque loco Palatii ipsius Rectoris, vel officialis quacunque de causa, etiam si ipsam personam detentam mitteret, & mitti faceret in suis carceribus occasione dictæ detentionis, vel carcerum, non obstantibus in prædictis aliquibus Statutis, consuetudinibus, vel ordinamentis de prædicta materia loquentibus, tractantibus, vel in contrarium disponentibus; quibus, & cuilibet ipsorum intelligatur esse, & sit generaliter, & specialiter derogatum, sub pœna, & ad pęnam, de qua supra, pro qualibet vice, qua contrafieret, ut supra applicandam, & pro qua sint suppositi, ut supra in aliis casibus dispositum est.



De pe-

De pecunia mutuo non accipienda per Rectores. Rub. XXIV.

STatutum est, quòd Commissarius, vel alius officialis Communis Pistorii non possint, vel debeant per se, vel alium de eorum familia, seu alicujus eorum accipere ab aliqua persona Civitatis, vel districtus Pistorii, mutuo aliquas quantitates pecuniarum, & ita ipsi, & quilibet de familia ipsorũ jurare, & facere teneantur; & quoties contrafecerint, seu eorum aliquis contrafecerit, perdant pro qualibet vice de eorum salario libras vigintiquinque denariorum, & in tantum condemnentur a Syndicis eorum, & mutuãs condemnetur à D. Commissario in libris centum denariorum, & dicti Officiales non possint mutuare, & si fieret contra, non valeat, & non teneat, & sit ipso jure nullum, & nullius efficaciæ.

De eo, quod fuerit illicitè extortum restituendo. Rub. XXV.

QUicunque Rector, seu Officialis, vel alia persona, quæ debet syndicari, & condemnari in aliquo reddendo, vel dando Communi Pistorii, & inventum fuerit, quod ipse Rector, Officialis, vel alia persona prædicta super hoc syndicanda, abstulerit, vel receperit aliquid injustè, totum id quod ablatum fuerit, vel extortum, aut acceptum revertatur ad illam personam, quæ illud dedit, vel cui illud ablatum, vel extortum fuerit, & condemnetur Communi Pistorii in libris centum pro qualibet vice.

De rebus Ecclesiasticis pignoratis. Rub. XXVI.

STatutum est pro augmento Divini cultus, & ut Ecclesiæ ornamentis culpa, & defectu Rectorum, & Pastorum earum, non spolientur, & mutuantis vorago cesset, quòd nulla persona cujuscunque status, vel conditionis existat, ullo modo audeat, vel præsumat prætextu alicujus mutui, depositi, vel commodati, quod per eos fieret, recipere, vel tenere quoquomodo in pignus, vel pro pignore, vel aliqua alia securitate, vel obligatione aliquem Calicem, Cruces, Thuribula, vel aliqua alia ornamenta, & fulcimenta auri, vel argenti alicujus Ecclesiæ, nec aliquos libros, planetas, dalmaticas, tunicellas, camices, amictus, vel aliqua alia fulcimenta, & ornamenta alicujus Ecclesiæ. Et qui contrafecerit, nil possit petere à tali, cui mutuasset; & nihilominus quilibet Rector, & Officialis Civitatis Pistorii ad petitionem, & instantiam cujuslibet Rectoris, Cappellani, vel Operariorum, seu cujuslibet Parrochiani ipsius Ecclesiæ teneantur, & debeant divini cultus intuitu, & sub pęna perjurii restitui facere ipsi Ecclesiæ dicta fulcimenta, & ornamenta, quæ pignorata, & obligata essent, & reperirentur, liberè, & sine aliqua expensa inde facienda.

De discordiis pacificandis. Rub. XXVII.

SI quæ discordiæ fuerint inter aliquas personas de Civitate, vel districtu Pistorii, statutum est, quòd ad mandata Communis teneantur DD. Priores, & Vexillifer Iustitiæ, tractare, & facere pro posse, quòd componatur

discordia, & ad pacem deveniatur, vel concordiam, vel saltem tregua ponatur, & firmetur inter ipsas personas, infra quindecim dies à die sequtæ discordiæ, vel à die scientiæ, seu à die, qua requisiti fuerint per aliquam ex dictis partibus. Et si aliqua persona nollet ad mandata D. Commissarii, Priorum, & Vexillif. Justitiæ Civitatis Pistorii, vel duarum partium Priorum, & Vexillif. facere de ipsa discordia pacem, vel treguam infra dictum tempus, cōdemnetur arbitrio D. Commissarii, & DD. Priorum, & Vexillif. Iustitiæ, donec d. pacem, vel treguã fecerit, ut dictum est, & saltem treguam teneatur facere per unum annum, & ultra, prout DD. Prioribus, & Vexillifero Iustitiæ videbitur.

De pacibus observaudis. Rub. XXVIII.

PRovisum, & ordinatum est, quòd D. Commissarius, & quilibet alius Rector Civitatis, & districtus Pistorii teneatur, & debeat observare, & observari facere omnes paces factas, & quæ fierent, & etiam facere dari, & præstari fidejussores bonos, & idoneos approbandos concorditer per dictas partes, & si non erunt in concordia, per dictum Rectorem, à quo prædicta fieri facerent, & ea fieri facere teneantur dd. Rectores tàm ex suo officio, quàm ad alterius petitionem, & non obtemperantes sibi in prædictis, possint punire, & condemnare, inspecta qualitate personæ inobedientis.

De summaria cognitione quæstionis prætextu capitulorum pacis. Rub. XXIX.

AD tollenda jurgia, & scandala, quæ possent oriri inter Cives, comitatinos, & districtuales Civitatis Pistorii, & ad corroborationem, & augmentum pacis; statuimus, & ordinamus, quòd Rectores Civitatis Pistorii, qui pro tempore fuerint, & eorum Iudices, teneantur, & debeant quæstiones, & lites, quæ coram eis ventilarentur, seu ventilabuntur, vigore, seu prætextu capitulorum pacis, cognoscere, terminare, ac diffinire summariè, de plano, sine strepitu, & figura judicii, & sine litis contestatione, & non obstante quòd ordo juridicus servatus non fuerit.

De treguis, & securitatibus præstandis. Rub. XXX.

SI quis Civis, vel districtualis Communis Pistorii peteret coram aliquo Rectore dictæ Civitatis, vel districtus sibi præstari, vel fieri treguam, seu securitatem ab aliquo, de quo dicat se timere, ne ipsum offenderet ratione alicujus odii, vel inimicitiæ, teneatur dictus Rector, vel ejus Judex maleficiorum, qui requisitus fuerit, requiri facere per nuncium Communis Pistorii personaliter, vel saltem ad domum ubi habitat, vel habitare consuevit, illum, à quo tregua, vel securitas præstari petitur, quòd infra terminum competentem comparere debeat coram eo ad treguam, vel securitatem præstandam tali petenti, & cùm venerit, cogat eum facere treguam, vel securitatem ipsi petenti præstare, & pro tali securitate, vel tregua date fidejussores idoneos secundùm suam possibilitatem, & discordiæ qualitatem, & de possibilitate, & qualitate sit in arbitrio Rectoris; & ipsa tregua duret per tres annos, & pro tribus annis fiat, duretq; tregua prædicta, & securitas de

non

non offendendo toto tempore Rectoris recipientis, seu recipi facientis securitatem prædictam,& ultra per unum mensem. Quòd si talis requisitus non venerit, & dictam securitatem, & treguam non fecerit, vel præstiterit, Rector ipsum talem non præstantem treguam,vel securitatem cogat ipsam treguam tali petenti facere, & præstare, & nihilominus ipse treguam, & securitatem non præstans, exbanniatur,& condemnetur arbitrio ipsius Rectoris, inspecta qualitate personæ, & negocii, dummodo non possit condemnari, nisi in pecunia, vel relegatione, & habeatur exbannitus pro maleficio, nec aliquod jus, vel ratio ei servetur, vel reddatur per officiales Communis Pistorii. Et quicunque occasione prædicta exbanniretur, exbanniri debeat per bannitores Communis Pistorii per totam Civitatem in locis consuetis,& maximè si fuerit civis,ad domum suæ habitationis; Rector verò, qui eos sic cōdemnaret, debeat eos condemnare sub conditione, videlicet, quòd si infra decem dies à die factæ condemnationis comparuerint coram ipso Rectore, & securitatem, & treguam fecerint, & satisdederint,ut supra dictum est, per se, vel eorum procuratores ad hoc specialiter constitutos, ipsi eximantur, & cancellentur à dicto banno,& condemnatione,seu relegatione,nihil propterea solvendo Communi, vel alii pro Communi dicta de causa, & non habeantur pro exbannitis, vel condemnatis; & si Rector de prædictis requisitus contrafecerit, vel ea non observaverit, condemnetur per ejus Syndicos in libris centum denariorum. A prædictis autem excipimus, quod nullus offensor, vel qui offensionem fecerit, vel faciet in futurum in personam alicujus, à tali offenso, vel ejus consanguineo petere, vel habere securitatem possit, & Rector non teneatur cogere talem offensum, vel ejus consanguineos securitatem,vel treguam præstare tali offendenti, hoc tamen non præjudicet consanguineis ipsius offensoris, qui treguam,& securitatem petere possint ab offenso, vel ejus consanguineis. Possit etiam quilibet Rector, ut supra, cogere homines de casatis Civitatis, & districtus Pistorii, habentes inter eos discordiam, facere, & præstare inter se treguam, vel securitatem, & ipsam vallare, & firmare idoneis fidejussoribus, pœnis, & promissionibus opportunis. Et omnes promissiones, obligationes, renunciationes, & ratificationes,& omnia alia, quæ continentur in treguis, vel securitatibus, de quibus supra fit mentio, sint firma,& rata, tam per principales,quàm per fidejussores, nec retractari debeant, vel possint de jure, vel de facto prætextu minoris ætatis,vel alicujus privilegii, vel beneficii suffragio, jure canonico, vel civili, vel etiam auxilio alicujus Statuti, vel ordinamenti editi,vel edendi, quin ipsæ treguæ, & in eis contenta inviolabiliter perdurent. Et in promissione treguarum, vel securitatum, omnia intelligantur per stipulationem solemniter facta,si ibi quantitas reperiatur adiecta, & enunciata, & omnia, & singula suprascripta, etiam, si ibi non sint. Rector autē, Iudex, & Notarius,qui recipiunt promissiones, & stipulationes treguarum, & securitatum, ipsas treguas, & pœnæ, adjectiones stipulentur solemniter pro quarta parte Communi Pistorii;& pro quarta parte Parti, seu personæ, cui fieret tregua, vel securitas, pro quarta Magistratui Dominorum quatuor Commissariorum Civitatis Florentiæ super

per

per rebus Pistoriensibus eo vigente, & in ejus defectum officio, & Magistratui D. Octo Baliæ, & Custodiæ Civitatis Florentiæ, & pro reliqua quarta parte Rectori exigenti, & venire facienti locis, & personis prædictis. Et si quis ruperit treguam, condemnetur de maleficio, tanquam si commisisset maleficium, vel alteram personam, cui facta non esset tregua secundùm formam Statutorum, vel juris, offendisset. Qua condemnatione facta, Rector, & ejus Judex prçcisè teneantur, absque libelli oblatione, & petitione, sine strepitu, & figura judicii offensorem, & ejus fidejussores pro tregua prædicta compellere in persona, & rebus ad solvendum infra quindecim dies pçnam conventionalem promissam pro observanda tregua, modo, & forma, & locis, & personis prædictis, ut supra continetur. Salvo, quod si offensor habuerit pacem ab offenso, vel ejus hæredibus infra decem dies à die factæ condemnationis, ipse offensor, nec ejus fidejussores ad dictam pçnam conventionalem solvendam quoquo modo, etiam applicatam non teneantur, sed intelligantur fuisse, & esse de ipsa pœna, & condemnatione in totum liberati, & penitus absoluti. Ad tollendum etiam omnẽ contentionem, quæ fieri, & oriri posset in treguis, pacibus, & securitatibus præstandis, & faciendis; declaratur, quòd in suprascriptis treguis, & securitatibus, & quibuscumque pacibus quoquo modo faciendis, nullus possit cogi promittere pro aliquo ejus conjuncto, vel consorte, qui sit sibi conjunctus ultra quartum gradum secundùm jus civile, & etiam nullus, qui non sit conjunctus, saltem in quarto gradu, ut supra, possit cogi intrare in securitate, pace, vel tregua, neque pro aliquo offendente, vel offenso, seu timente promittere, & se obligare. Notarii autem dictorum Rectorum rogati de dictis pacibus, treguis, vel securitatibus, teneantur, & debeant copiam in forma authentica dictorum Instrumentorum in discessu ab officio in Cameram Communis Pistorii relaxare; quod verò attinet ad salaria, & mercedes, servetur lex de administratione bonæ justitiæ. Et si Rector prædicta non observaverit, & executioni non mandaverit, ut dictum est, condemnetur per Syndicos, qui eum syndicabunt, in libris quinquaginta denariorum.

De exbannitis, & condemnatis liberandis. Rub. XXXI.

STatutum, & odinatum est, quòd quicunque reperiretur exbannitus, & & condemnatus, vel exbannitus tantùm, vel condemnatus tantùm, pro aliquo excessu, vel delicto, vel genere maleficiorum in denariis, vel alio modo, & habeat, vel habuerit pacem per publicum Instrumentum ab injuriam passo majore annis quatuordecim (minores autem quatuordecim annis, pacem reddere non possint) D. Commissarius, & ejus Judex, & quicunque eorum fuerit requisitus, sive à quocunque eorum fuerit petitum, teneatur, & debeat eum, vel eos de banno, & condemnatione extrahere, eximere, & eximi facere, & cancellari de libris exbannitorum, & condemnatorum Communis Pistorii, solutis primò ab eo, vel altero pro eo Communi Pistorii, vel ejus Camerario pro Communi recipienti solidis quinque pro qualibet libra con-

condemnationis de eo factæ, vel banni, quandò esset bannitus tantùm,& sufficiat si pax reddita fuerit ipsi exbannito, vel condemnato, vel exbannito tantùm, vel condemnato tantùm, vel ejus Procuratori, ad hoc specialiter constituto, & deputato. Verùm, si quis fuerit condemnatus,vel exbannitus pro aliquo maleficio, vel excessu; undè secundùm formam Statutorum poterat condemnari, & debebat in certa quantitate pecuniæ, vel re, si fuerit exbannitus, vel condemnatus in majori quantitate, vel re, & voluerit solvere,& solverit Camerario Communis Pistorii, illam pecuniam, vel rem, in qua poterat condemnari ex forma Statutorum, & ordinamentorum Pistorii, debeat excancellari de banno, & condemnatione nil plus solvendo Communi Pistorii, vel alii pro Communi. A prædictis autem, & de prædictis omnibus exceptuamus bannitos, & condemnatos, vel exbannitos tantùm, vel condemnatos tantùm, pro furto viarum, pro falsitate, pro vitio sodomitico, vel proditione, vel violentia compulsiva, vel ablativa, vel quia interdixerit terram, vel domum, ne coleretur, vel laboraretur, & exbannitos, & condemnatos tanquam assassinos, contra quos probatum fuisset per publicam famam ante condemnationem factam, & condemnatos, & exbannitos pro eo, quod fecerint vindictam in alterius personam, quàm offendentis, & condemnatos pro falsa moneta, & exbannitos, & condemnatos pro damno dato à libris quinque infra exclusivè, & exbannitos, & condemnatos ad pondus, numerum, & mensuram vendéntes, occasione alicujus venditionis factæ contra formam alicujus Statuti Communis Pistorii in libris quinque, & ab inde infra. Quibus nec pax, nec aliquod beneficium prosit, quantùm ad exemptionem de banno, vel condemnatione, nisi integrè solverint condemnationem de eis factam, quando essent exbanniti, vel condemnati, vel id, quod continetur in banno, quandò essent solùm exbanniti. Et si quis fuerit exbannitus, vel condemnatus ex eo, quòd offenderit aliquem exbannitum, vel condemnatum pro maleficio secundùm formam Statutorum Pistorii, debeat eximi, & cancellari de banno, & condemnatione, nil propterea solvendo Communi. Et quicunque per se, vel alium pro eo solverit condemnationem de eo factam, vel quantitatem in banno contentam Camerario Communis, per Notarium Cameræ Communis de banno, & condemnatione, & quolibet eorum eximi, & cancellari debeat. Et Præses, & ejus Judex, & quilibet alius, ad quos spectat officium de banno, & condemnatione eximendi, & cancellandi, & cancellari faciendi, solutis solidis quinque pro qualibet libra condemnationis, habita pace, ut dictum est supra, ipsum, & ipsos condemnatos, & exbannitos de ipsorum banno, & condemnatione per Notarium Cameræ infra quindecim dies, à die factæ solutionis cancellari faciat; qui Notarius, visa solutione, & instrumento pacis factæ, ut dictum est, licitè, & impunè teneatur, & debeat de libris bannitorum, & condemnatorum Communis Pistorii, & quolibet ipsorum librorum talem, qui habuit pacem, & solverit, cancellare, & ad hoc Notarius ipse ad mandata cujuscunque Rectoris compelli possit, & condemnari in libras vigintiquinque den. pro qualibet vice, qua contrafecerit, & prædicta non servaverit, & hoc statutum extendatur ad præterita,

terita, & futura; a libris verò quinque exclusivè infra, pax non prosit aliquibus condemnatis. Et casu, quo non reperiretur in Civitate, Comitatu, vel districtu Pistorii aliquis consanguineus injuriam passi, Consilium populi in dicto casu pacem reddere possit per suum Syndicum constituendum in dicto Consilio, obtinendo particulariter partitum, & propositionem per duas partes ipsius, & aliter non teneat, nec valeat pax ipsa. Et similiter quandò Communitas esset principaliter offensa, & substineret personam injuriam passi, ipsa Communitas possit reddere pacem, obtinendo partitum per duas partes, ut supra, alias non valeat; & ad probandum, quòd consanguinei injuriam passi non sint in Civitate, vel districtu sufficiant quatuor testes bonæ conditionis, & famæ, deponentes de publica voce, & fama, & non possit Syndicus fieri ad pacem reddendam, nisi primò, & separatim condemnatio cujuslibet legatur. Et quicunque fuerit aliquo tempore condemnatus, & virtute pacis sibi redditæ ab injuriam passo habuerit beneficium defalcationis condemnationis, ut supra dicitur; pro alia condemnatione, postea alia de causa, vel excessu contra eum facta, non gaudeat beneficio pacis prædictæ, sed solvat, & solvere teneatur, & debeat integram condemnationem, & computetur in numero scandala causantium.

De beneficio concesso confitenti maleficium. *Rub.* XXXII.

AD hoc ut perjuria cessent, statutum, & ordinatum est, quòd si quis accusatus, denunciatus, vel inquisitus in prima sua examinatione spontè confessus fuerit, se maleficium, vel excessum de quo accusatus, denunciatus, vel inquisitus est, seu contra eum inquiritur, commisisse, in dicto casu pœna, quæ sibi imponi deberet, & de tali maleficio, vel excessu, si contra eum legitimè secundùm formam alicujus statuti fuerit probatum, ei dari, sua pœna ordinata in quarta parte minuatur, & in tanta minus possit, & debeat condemnari, & non ultra; sed prædicta non vindicent sibi locum in pœnis corporalibus.

De privilegio concesso militibus de deferendo arma. *Rub.* XXXIII.

ORdinamus, quòd omnes milites Civitatis Pistorii tam facti, quàm illi, qui fierent in posterùm, ad reverentiam eorum militiæ, possint, & eis liceat impunè arma deferre offendibilia, & defendibilia per Civitatem, Comitatum, & districtum Pistorii.

Quòd festivitates custodiantur per Aromatarios. *Rub.* XXXIV.

SAncimus, quòd omnes Spetiarii, & Merciarii Civitatis Pistorii teneantur, & debeant custodire festa, & eorum apothecas non aperire, nisi modo, & ordine infrascripto, videlicet: Die Veneris Sancti, die Paschatis Nativitatis Domini, Die Resurrectionis Domini, die Paschatis Rosatæ, die Paschatis

schatis Omnium Sanctorum,& Ipsorum dierum quolibet dicti Spetiarii non possint modo aliquo de mane eorum apothecas aperire, sed dictis diebus Paschalibus pulsatis horis viginti tribus possint, & eis liceat aperire, & apertum tenere solummodo ostium dictarum apothecarum, usque ad tertium sonum de sero, prout eis placebit. Declarantes, quòd, si casus evenerit, quòd aliquis decederet, ad hoc, ut sepeliatur, & si aliquis infirmus egeret pro ejus infirmitate aliqua medicina, quæ non posset deferri, tunc in dictis casibus, & eorum quolibet, possint dicti Aromatarii, & eis liceat quolibet tempore, non obstantibus festivitatibus prædictis eorum apothecas aperire, & ceram pro mortuis dare, & medicinas ipsas, sub pœna, & ad pœnam solidorum viginti den. pro quolibet contrafaciente, vice qualibet incurrenda. Aliis autem diebus festivis à Statuto de feriis compræhensis, dicti Aromatarii possint de mane aperire sportellum, seu ostium eorum apothecarum,& ipsum apertum tenere usquequo divinum Officium fuerit cœptum in majori Ecclesia Pistoriensi, quo cępto statim dictas apothecas claudere teneantur, & ipsas aperire non possint usque ad serum, & pulsata hora vigesima secunda, & tunc tenere apertum solùm sportellum, vel unum ostium. Declarantes, quòd dicto tempore possint dare ceram pro mortuis, & medicinas pro infirmis, ut dictum est, & non aliter, vel alio modo, sub dicta pœna. Et etiam salvo, & declarato, quòd in diebus festivitatum S. Jacobi, Sancti Bartholomæi, & Sanctæ Crucis, quibus diebus sunt nundinæ in Civitate Pistorii, & diebus Sabatinis, & aliorum mercatorum, dicti artifices tenere possint impunè eorum apothecas apertas in totum, & tota die vendere, prout eis placebit, prout fieri consuetum est, non obstantibus festivitatibus aliquibus, quæ venirent, & caderent in dictis diebus Sabatinis,& mercatorum. Et Pizicagnoli possint quibuscunque diebus quadragesimalibus tenere apothecas apertas usque ad horam tertiarum de mane causa vendēdi pisces salatos, & alia salumina.

Quòd nullus possit conducere ad Civitātem, Comitatum, & Districtum Pistorii, Sal, vel Salinam.
Rub. XXXV.

STatuimus, & ordinamus, quòd nulla persona cujuscunque status, præeminentiæ, dignitatis, gradus, & conditionis existat, audeat, vel præsumat per se, vel alium conducere ad Civitatem, Comitatum,& districtum Pistorii, sal, vel salinam, & in ipsa Civitate, Comitatu, & districtu vendere, emere, seu vendere, vel emi facere,& donare per se, vel alium, vel aliquem contractum de ipso sale, vel salina facere quomodolibet, sub pęna librarum trecentarum, de facto incurrenda à quolibet contrafaciente,& qualibet vice. Et de prædictis omnibus D. Commissarius Civitatis Pistorii, & quilibet eorum ex suo officio, & per inquisitionem, accusationem, denunciationem cujuslibet inquirere, cognoscere, procedere, & terminare possit, & debeat, & quemlibet culpabilem punire, & condemnare in pęnis prædi-

ctis, quarum pœnarum medietas sit Communis Pistorii, quarta Rectoris exigentis, & in Cameram devenire facientis, & reliqua accusatoris, vel denunciatoris. Et nihilominus quilibet possit tales contrafacientes, & sal, vel salinam in Civitate, Comitatu, & districtu Pistorii conducentes, seu reducentes capere, & in fortiam Communis Pistorii præsentare, & talis capiens, & præsentans, ut supra, tertiam partem dictæ condemnationis, & dimidiam partem pretii quo venderentur bestiæ super quibus sal, & salina portaretur, quæ bestiæ in omni casu semper amittantur, habeat, & consequatur.

De Festivitatibus. Rub. XXXVI.

QUOD pertinet ad festivitates, serventur mandata Episcopi.

Explicit Liber Quartus.





LIBER QUINTUS STATUTORUM PISTORII.



Quod condemnationes applicentur Cameræ Communis Pistorii, & non alibi.
Rub. I.



DVERTENTES, quod per reformationem editam in Consilio Populi Civitatis Florentiæ, & per habentes authoritatem ab eo Civitas Pistorii fuit restituta in omnibus, & singulis suis introitibus, proventibus, gabellis, & aliis quibuscunque eo modo, & forma, & cum modis eisdem, & perceptionibus, & administrationibus, quibus prout, & sicut erat ante datam baliam in Civitate Pistorii Dominis Florentinis de anno millesimo quadringentesimo primo; Ideo declaraverunt omnia, & singula statuta maleficiorum, damnorum datorum, sive pœnam imponentium vigentium in Civitate Pistorii de dicto anno millesimo quadringentesimo primo, & ante tempus dictæ datæ baliæ, fuisse, fore, & esse approbata, & confirmata vigore dictæ restitutionis, & secundùm illa [salvis novis provisionibus præsentis novi Statuti, & legis damni dati, approbatis a Clariss. Practica] debere agi causas tam in modo procedendi, quàm sententiandi. Et similiter omnia, & singula statuta, reformationes, & provisiones tam Communis, quàm Populi Civitatis Pistorii quorumcunque introituum, gabellarum Communis Pistorii fore, approbata, & approbatas, & servari debere. Item quod omnes, & singulæ pœnæ, & introitus quicunque tam gabellarum, quam maleficiorum, seu quasi, tam Civitatis Pistorii, quàm Comitatus, & districtus ejusdem, & tam puræ quàm conditionales pertineant, & spectent, pertinere, & spectare debeant ad Cameram Communis Pistorii, tanquam ad Fiscum ipsius Civitatis Pistorii. Pariter omnes, & singuli Rectores cognitionem habentes debeant dictas condemnationes applicare Cameræ Communis Pistorii, & non alibi, nec in aliquo alio loco, sub

pœna librarum quingentarum pro quolibet, & qualibet vice, & nihilominus condemnatio aliter facta sit ipso jure nulla, & retractari debeat, adeo quòd maleficia non remaneant impunita, & pœnæ applicentur ut supra. Similiter quod Civitas Pistorii intelligatur habere bursam, & Fiscum, & Camera Communis Pistorii habeat, & habere intelligatur omnia, & singula privilegia Fisci, & Fisco quomodolibet attributa. Decernentes insuper, quod Civitas Pistorii possit, & valeat circa ipsos proventus, & introitus, & dependentia ab eisdem providere, ordinare, & reformare per ejus consilia opportuna, prout eis videbitur, & placebit, cum licentia tamen, & approbatione DD. Consilii, & Practicæ secretæ, vel Suæ R. Celsitud. Et omnia, & singula circa prædicta ordinamenta statuenda, & reformanda per Consilium populi observentur, & observari debeant per quoscunque Rectores, & officiales, tam Civitatis, & districtus Pistorii, quàm aliunde, absque aliqua approbatione inde facienda, & sic ex nunc (quatenus opus sit) ipsa omnia, & singula statuta, ordinamenta, & reformationes, tam nova, quàm vetera, & tam edita, quàm edenda per Consilium populi Civitatis Pistorii, tam circa dictos introitus, & proventus, quàm circa modum exigendi, & circa dependentia ab eisdem, observentur, & observari debeant vigore præsentis capituli, & sic (quatenus opus sit) ea approbaverũt, ordinaverũt, & deliberaverũt, non obstãtibus quibuscunque generalibus, & specialibus in contrarium facientibus, salvis tamen additionibus, & modificationibus faciendis, & quæ fieri contingerent per Suæ R. Celsitudinis, & ab ea authoritatem habentes. Declarantes, & statuentes, quod Rectores, & Officiales quicunque, qui tempore eorum regiminis facient aliquas condemnationes, & mulctas juxta formam statutorum occasione alicujus delicti, vel excessus, & applicaverint eas, ut supra, non possint, nec eis liceat eas exigere, nisi processerit ex libera voluntate talis condemnati ita solvere volentis. Exceptis tamen condemnationibus, & mulctis factis occasione blasphemiæ, armorum, ludi, pro vitio sodomitico, & falsitate, quas possint exigere, & ad Cameram Communis deveniri facere omnibus juris, & statutorum remediis opportunis. Rectores verò, & Officiales, qui fecerint executionem alicujus dictarum condemnationum, & mulctarum, habeant, & habere, & recipere possint ad summum solidos duos pro qualibet libra ejus, quod venerit in Cameram Communis occasione dictæ executionis, & pro sua rata, & parte, & dirictu, intelligendo tamen de illis condemnationibus, de quibus non esset provisum per alia statuta, quod Rectores majora salaria accipere possent, qui Rectores si fecerint executionem alicujus pœnæ, seu condemnationis legalis, vel conventionalis, atque eisdem Rectoribus, & Officialibus exigentibus applicata esset aliqua pars, & rata, tunc, & in dicto casu non possint habere, nec percipere dictos solidos duos pro libra qualibet, sed ratam tantùm eis applicatam prædictam, quæ intelligatur eis applicata, etiam pro dirictu dictæ executionis, & nil ultra petere, & recipere possint. Et quicunque contra prædicta fecerit quoquomodo incidat, & incidisse, intelligatur in pœnam librarum quingentarum den. pro quolibet, & qualibet vice, pro qua sit suppositus Conservatoribus Legum Civitatis

tatis Florentiæ, & possit cognosci de prædictis quocunq; tempore, & nulla temporis præscriptione obstante, quæ pœna applicetur pro dimidia dictis Conservatoribus, pro quarta Communi Pistorii, & pro reliqua quarta parte accusatori, & denunciatori. Quæ omnia habeant locum in Civitate, Comitatu, Montanea, & districtu Pistorii.

De condemnationibus, & multis faciendis per Capitaneum Montaneæ. Rub. II.

CUM per ordinamenta condita tempore creationis officii Capitanei Montaneæ Pistorii, & per nonnulla ordinamenta Communis Pistorii de ejus officio tractantia, sit dispositum, & ordinatum, quòd ipse Capitaneus debeat copiam ipsarum condemnationum ad Cameram Communis Pistorii transferre, & nonnulli procurent sine scriptura, vel de facto condemnare, & quod eorum condemnationes non appareant, & circa prædicta fraudes nonnullæ committantur; provisum, & ordinatum est ad obviandum fraudibus, quæ quotidie, & plerunque fiunt, quòd omnes, singulæ, ac quæcunque condemnationes, & mulctæ faciendæ in posterum per Capitaneum Montaneæ superioris quacunque de causa, & ratione, vel jure, tam de facto, quàm ordinariæ, debeant applicari Cameræ Communis Pistorii, & non alibi, & in ipsa Camera incamerari, sub pœna librarum mille Capitaneo contra prædicta facienti, aut attentanti, in quam pœnam condemnari debeat per Syndicos qui eum syndicabunt. Teneaturque ipse Capitaneus in præsentia DD. Priorum, quando jurat, specialiter jurare, & similiter ejus officiales ad Sancta Dei Evangelia manutactis corporaliter scripturis prædicta omnia observare, & executioni mandare, & Cancellarius Communis Pistorii, sive Notarius DD. Priorum, & Vexilliferi Justitiæ Civitatis Pistorii teneantur, & debeant notificare, & notum facere dictum Statutum, & in eo contenta dicto Capitaneo Montaneæ, quando defertur ei sacramentum prædictum, sub pœna librarum centum den. suprascriptis Cancellario, sive Notario ab eis de facto incurrenda, & Communi Pistorii applicanda, non propterea derogando, vel præjudicando in aliquo alicui concordiæ de prædictis factæ inter Commune Pistorii ex una parte, & homines, & Communitates Montaneæ prædictæ ex altera, salvo etiam quòd provisum est infra sub rubrica. *Quod Dominus Commissarius, & ejus Judices, &c.* circa suprascriptas mulctas, & condemnationes, quæ omnia in sua firmitate permaneant circa officium Capitanei Montaneæ. Et insuper dictus Cancellarius Communis Pistorii, ultra notificationem prædictam teneatur dare copiam præsentis Statuti cuilibet Capitaneo Montaneæ immediatè post ejus juramentum sub dicta pœna. Notarii verò dicti D. Capitanei teneantur, & debeant copiam condemnationum quarumcunque factarum per dictum ejus Capitaneum præsentare, & relaxare Notario Cameræ Communis Pistorii in membranis die prima sui syndicatus coram Syndicis, qui eum syndicabunt, sub pœnâ prædicta. Et quando dictus Capitaneus, vel ejus miles socius, seu Notarius venient

nient ad syndicatum, primò, & ante omnia deferatur dicto Notario juramentum per Notarium Syndicorum, quòd ipse Capitaneus non fecerit alias condemnationes, quàm eas quas præsentaverit.

De describendis condemnationibus in duplicato libro. Rub. III.

QUando Capitaneus, seu Commissarius, vel Potestas faciunt aliquas condemnationes de aliquo maleficio, vel quasi, teneantur & debeant ipsi, & quilibet ipsorum antequam ipsas condemnationes legi faciant in Consilio, ipsas facere duplicari in membranis. Et quando aliquis ipsorum debet condemnare aliquem, vel aliquos, antequam legi faciat in Consilio condemnationem vocent Notarium Cam ræ Communis Pistorii, & ei dare copiam faciant de condemnationibus faciendis tunc, & aliam sibi retineant; qui Notarius Cameræ sedere debeat ad bancum Capitanei, vel Rectoris facientis ipsas condemnationes, & absolutiones, & audire debeat condemnationes quæ legentur, & si eas concordare invenerit, reponat, & resignet in Camera Communis, & tunc sint, & habeantur pro authenticis: si autem discordare invenerit, Capitaneus, vel Potestas faciat corrigere, & concordare, & antequam concordaverint, & correctæ fuerint, ulteriùs non procedatur, & dicti Rectores teneantur proprio juramento non facere legere in Consilio aliquas condemnationes, nisi secundùm modum prædictum. Quæ quidem condemnationes possint, & debeant à Notario Cameræ pro tempore existenti cancellari, facta solutione per condemnatos, vel aliquibus causis per formam Statutorum Pistorii dispositis præcedentibus, & non ab alio fieri possit quàm ab ipso Cancellario, sub pœna librarum vigintiquinque den. pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice qua contrafactum fuerit, pro qua pœna sint, & esse intelligantur suppositi Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, quibus pro dimidia talis pœna applicetur, & pro alia dimidia accusatori.

De arbitrio, & balia D. Commissarii, & cujuscunque alterius Rectoris quocunque nomine vocetur, & eorum Judicis super Maleficiis. Rub. IV.

ORdinatum, & statutum est, quòd D. Commissarius, & quilibet alius Rector Civitatis Pistorii, & eorum Collaterales, & Judices maleficiorum, & uterque, vel eorum alter possint, & possit cognoscere cum accusatione, seu denunciatione de omnibus, & singulis maleficiis, vel quasi maleficiis, & excessibus, quæ committerentur tempore eorum, vel cujuslibet eorum regiminis, & ea inventa punire, & condemnare pœnis contentis in Statutis, & ordinamentis Communis Pistorii, & maximè Statuti Rubrica infrascripta *De officio Judicis maleficiorum*; dum tamen denunciatio, vel accusatio porrigatur modo, & forma contentis in proximo subsequenti capitulo; & præter cætera omnem aliam baliam habeant, & exercere possint, quæ ipsis Rectoribus, & Officialibus concessa sunt per quacunque ordinamenta

menta Civitatis Florentiæ, non obstante præsenti, & quocunque alio Statuto Communis Pistorii.

De ordine, & officio maleficiorum. Rub. V.

STatutum, & ordinatum est, quòd quando aliquis accusat aliquem de maleficio, debeat infrascripto modo procedi: Primo ponatur, & scribatur petitio accusantis: Secundo juret accusationem veram esse, & non calumniosam, & promittat eam prosequi: Tertio interrogetur, & sciatur, si habet Procuratorem, vel Advocatum: Quarto dentur fidejussores, & scribantur fidejussores approbandi, & qui approbari debeant a Camerario Communis Pistorii: Quintò, scribatur, & detur licentia recipiendi testes ac juramenta, & processus complendi in ejus absentia: Sextò, scribatur terminus datus ad prosequendum: Septimo, scribatur commissio, nuncio, & præconi citandi: Octavo, scribatur relatio nuncii, & præconis: Nono, si reus non comparuerit, banniatur, & præconi committatur: Decimo, scribatur relatio præconis.

De officio Judicis maleficiorum. Rub. VI.

STatutum, & ordinatum est, quòd Judex Domini Commissarii, & Domini Potestatis, vel alterius ejus Locumtenentis sit Judex maleficiorum Communis Pistorii, cognoscat, cognoscere possit, & debeat ipse, & quilibet alius Judex maleficiorum Communis Pistorii de omnibus, & singulis maleficiis, & delictis commissis in Civitate Pistorii, vel districtu inter quascunque & per quoscunque, ac etiam ubicunque commissis, & de omnibus delictis commissis in quocunque loco Civitate, vel Terra, per aliquem forensem contra aliquem, vel districtualem Pistorii, qui Iudex maleficiorum, super maleficiis cognoscat, & cognoscere teneatur, & debeat hoc modo, & ordine, videlicet. Quòd accusationem, vel denunciationem accipiat ab injuriam passo, sive sit sui juris, sive sit in patria potestate constitutus, absque patris consensu, vel à patre pro filio, vel à fratre pro sorore, aut ab aliqua persona conjuncta injuriam passo, & à magistro pro discipulo, & è converso, domino pro colono, vel pro vassallo, & serviente, vel à Syndico pro universitate, seu conventu, aut collegio, vel à Tutore, vel Curatore pro pupillis, vel minoribus, aut à marito pro uxore, vel è converso, vel aliquo de domo iniuriam passi, vel ab aliquo, ad quem pertinet de jure. Et accusatione, vel denunciarione recepta jurare faciat ipsum denunciantem, vel accusantem, quòd ipsam accusationem, vel denunciationem credit esse veram, & eam non porrexit, nec porrigit animo calumniandi. Quo juramento præstito, faciat ipsum promittere, quod accusationem, vel denunciationem prosequetur, sub pęna in Statutis contenta, & fidejussorem approbatum ab eo recipiat, quòd ipsam prosequetur sub dicta pęna, in quam dictus Judex condemnare eum possit, & teneatur, si ipsam prosequtus non fuerit. Quòd si accu-

accusator non fuerit prosequtus accusationem, ipse, & ejus fidejussor debeant in expensis condemnari, in quibus etiam condemnetur, si reus fuerit absolutus, à quibus Iudex eos non possit absolvere, nisi iustam causam habuerit accusandi arbitrio judicare debentis. Quo facto, dictus Judex citare faciat reum expensis actoris per Nuncium Communis Pistorii, ut compareat coram eo in termino sibi conjuncto, & citatio fiat in scriptis cum apodissa, continente nomen accusatoris, & nomen accusati, vel inquisiti, & totum tenorem substantiæ maleficii, de quo contra eum proceditur, & terminum infra quem debeat comparere, qui sit saltem duorum dierum, & debeant dictæ cedulæ dari citato, vel poni ad ostium suæ habitationis, & si non habuerit in Civitate, vel Comitatu Pistorii; affigantur, & apponantur ad ostia Ecclesiæ, vel Capellæ loci, ubi habitare consuevit. Et ipsa die inquisitionis, accusationis, vel denunciationis factæ, teneatur Iudex per Nuncium Communis Pistorii transmittere copiam ad Cameram Notario Cameræ Communis Pistorii clausam, & sigillatam sigillo talis Rectoris, vel Iudicis continentem totum effectum accusationis, denunciationis, vel inquisitionis, de qua proceditur coram eo, & ipsi Notario Cameræ realiter relaxare; neque possit de ipsa Camera extrahi per aliquem Rectorem, vel aliquam personam, sed ibi stare debeat, & cunctis copiam volentibus dictus Notarius tradere teneatur, pęna librarum centum, de qua transmissione, & traditione apparere debeat in actis Iudicis procedentis; in forensibus verò servetur forma Statutorum loquentium de forensibus.

Dentur dictæ cedulæ dicto citato in libertate propria constituto, nec possit pro prima citatione citari, vel sibi cedula dari per aliquem Nuncium Communis Pistorii alicujus accusationis, denunciationis, vel inquisitionis de eo factæ de aliquo maleficio, vel excessu, excepto, quam accusato, vel inquisito, occasione furtorum commissorum in viis, vel per fures, & latrones publicos, & famosos, raptores virginum, vel sanctimonialis prædictæ Civitatis, vel alicujus Castri, vel Rocchæ, Fortilitiæ, Terræ, vel Villæ, & hujusmodi, proditores, raptores, falsatores monetæ, vulneris cruenti facti, manu plena cum aliquo genere armorum in vultu alicujus civis, vel districtualis Pistorii, ex quo vulnere evidens cicatrix facta sit perpetuò remansura, & de cicatrice, quod sit remansura, constet in actis iudicio duorum medicorum vel chirurgorum parti, seu partibus non suspectorum, et contra intrantes in Civitate Pistorii aliter, quam per portas, et de destructione murorum, vel portarum dictæ Civitatis, & occasione maleficii commissi ad vindictam, seu pro vindicta cum aliquo genere armorum, et cum sanguinis effusione in personam alterius personæ, quam primo offendentis, ac pro assassinio, et vitio sodomitico, nisi extra Palatium, et domum Rectoris, qui vel eius Iudex, vel aliquis de sua familia citationes, et cedulas dictas fieri madaverit, et ubi persona citanda tempore citationis existeret in propria libertate, et non detenta in Palatio, vel domibus præfatorum Rectorum, vel alibi ad petitionē ipsius Rectoris, vel alicuius de sua familia. Quod si persona citanda esset in carceribus, possit, et debeat citari personaliter, & sibi cedula modo prædicto dari in dictis

dictis carceribus, vel domi ipsius, & suæ familiæ, ita quod die sequenti post diem factæ citationis, vel postea, non ante ipsum sequentem diem Custodes carcerum possint, debeant, teneanturque talem citatum ad ejus petitionem, si voluerit comparere, ducere sub fida custodia coram Rectore, vel Judice, cujus mandato fuerit citatus ad bancum juris in hora tertiarum, vel vesperarum, & de citatione, & cedulæ dimissione, stetur, stari debeat, & credatur relationi Nuncii, cui commissum fuerit, & debeant dictæ cedulæ registrari in actis unà cum commissione citationis. Prædicta tamen non vindicent sibi locum in processibus damnorum datorum, de quibus imponitur pœna librarum decem den. vel ab inde infra, nec in aliis extraordinariis judiciis, ubi imponitur pœna à libris quinque infra. Et si reus, contra quem ex officio in casu permisso, vel per accusationem, vel denunciationem proceditur non comparuerit in termino sibi dato Judex faciat eum banniri, dando ei terminum secundum qualitatem causæ (dummodo terminus sit saltem trium dierum) & delicti, personarum, & loci. Qui si contumax sit, & fuerit, & propter ejus contumaciam exbannitus non venerit juxta præcepta ante tempus condemnationis, elapso termino banni, possit, & debeat, tanquam si de maleficio constaret, condemnari, & ejus contumacia, elapso termino banni, & eo perseverante in contumaciam usque ad condemnationem, habeatur pro plena probatione, ac si de maleficio constaret. Quod si infra terminum sibi datum comparuerit, vel etiam post terminum ante condemnationem factam, solvendo Camerario Communis Pistorii solidos quinque pro banno, si bannum latum esset, de dicto banno eximatur, & cancelletur, & Judex ipsum comparentem faciat jurare de veritate dicenda, diligenter ipsum examinet super accusatione, seu denunciatione, seu inquisitione, ubi inquiri permittitur, & per ordinem scribere faciat ejus dictum, sive fuerit sui juris, sive in patria potestate. Quilibet autẽ [quantum ad maleficia, vel quasi, & processus maleficiorum] habeatur, ac si esset sui juris, dummodo omnes exceptiones, defensiones, & oppositiones, quæ competebant sibi ante responsionem, & in ipsa responsione, & post eam, intelligantur esse, & sint ipso jure reservatæ, ac si nominatim illas exposuisset, & expressisset, quas sibi liceat opponere, & specificare infra decem dies, & non postea; quæ responsio fieri possit, & recipi in scriptis, dum tamen confiteatur, vel neget factum de quo proceditur contra ipsum, cum quibuscunque verbis excusatoriis, vel sine, ita quod super accusatione, denunciatione, vel inquisitione possit ad ulteriora procedi. Qua responsione facta, si fuerit crimen, vel maleficium pro quo debeat perdere membrum, vel personam, non possit reum detinere, sed statim facta responsione, debeat eum mittere ad carceres Communis Pistorii, nec ipsum possit in Palatio retinere. Salvo quod prædicta non vindicent sibi locum in principalibus, contra quos per accusationem, vel inquisitionem proceditur ex causis, ex quibus permissum est Rectoribus, & Officialibus per inquisitionem procedere per formam præsentium Statutorum. Si verò fuerit casus maleficii, in quo non debeat membrum, vel personam amittere, vel alia pœna personalis imponi, tunc eum, recepta securitate idonea, relaxare

xare teneatur, & debeat, nec ipsum modo aliquo detineat personaliter, vel ad carceres mittat. Nec ipsum etiam personaliter detineat, vel ad carceres mittat, cui principaliter pœna imponitur pecuniaria, licèt in defectum solutionis imponeretur pœna corporalis, sed si satisdederit idoneè juxta formam suprascriptam audiatur, & non mittatur ad carceres; nec etiam possit illum detinere, vel ad carceres mittere occasione alicujus inquisitionis formatæ contra eum de novo, pendente dicto processu; nisi inquisitio formaretur ad denunciationem alicujus civis, vel districtualis Civitatis Pistorii, cui permittatur ex forma Statutorum, aliàs si securitatem non dederit, ut dictum est, ipsum detineat, dummodo non in Palatio, sed solùm in dictos carceres mittat eundem. Die juramenti præstiti, & examinationis de eo factæ assignetur terminus per Judicem cognoscentem decem dierum reo comparenti ad omnem suam defensionem faciendam, qui terminus, licèt non fuerit assignatus expressè, nihilominus intelligatur statutus ipso jure etiam actori, si tunc actor præsens fuerit, ad prosequendum dictam accusationem, vel denunciationem, si verò præsens non fuerit, etiam eidem actori ipso jure intelligatur assignatus. Infra quem terminum Judex recipiat omnes probationes saltem ad juramentum sive à parte, sive ex officio suo, ubi ex officio sibi procedere permittitur, & non ulteriùs ullo modo quantùm ad juramentum testes recipiat, & testes scripti, & positi super accusationem intelligantur legittimè producti per ipsum accusatorem, vel denunciatorem, quorum juramenta ipse Judex possit recipere in absentia dicti accusatoris, vel denunciatoris, ipsa absentia non obstante. Qui terminus decem dierum non currat quoad processum ipsis testibus existentibus contumacibus, quos testes ob dictam eorum contumaciam elapso termino citationis, & banni dati infra decem dies prædictos, & infra decem dies proximè secuturos, teneatur, & debeat ipse Judex in libris decem denariorum pro quolibet eorum de facto condemnare semel, & pluries, à quibus condemnationibus testium non possit appellari, vel de nullitate opponi.

Et si per testes ex officio, vel ab accusatore, aut denunciatore inductos, & juratos, vel alio legitimo modo invenerit veritatem maleficii commissi, licèt accusator, vel denunciator non fuerit prosecutus accusationem, vel denunciationem, ipsam dictus Judex cognoscens prosequi teneatur ex suo officio, & debeat ipse Rector cognoscens de consilio Judicis ipsius Rectoris condemnare. Si verò veritatem non plenè invenerit, ita ut possit ad condemnationem procedere, sed legitima indicia ad torturam, & confessionem eruendam, vel saltem sit probatum maleficium per unicum testem bonæ conditionis, & famæ legitimè probantem & per aliud indicium, vel alia indicia, debeat accusatum citari facere, ut veniat infra tertiam diem personaliter ad confitendum maleficium, vel se defendendum; qui si infra dictum terminum non venerit, habeatur pro confesso, non tamen quod ei prosit ad diminuendum condemnationem prædictam ex confessione prædicta. Et si comparuerit infra dictum terminum, & dixerit indicia non fore legitima, & quod ex eis, vel ex dicto unius testis prædicti, & ex dictis indicio, vel indiciis possit,

vel

vel debeat torqueri, vel cogi confiteri, interim non currat tempus prædictum datum ad condemnandum, vel ad absolvendum ipsi Judici cognoscenti. Quod si pronunciatum fuerit, indicium, vel indicia fore, & esse legitimum, & legitima, ut ex eo, vel eis cum dicto unius testis possit, & debeat torqueri: facta dicta pronunciatione, debeat citari talis comparens, ut personaliter compareat sequenti die coram ipso Judice cognoscente, & si personaliter non comparuerit, habeatur pro confesso, ut superiùs dictum est, omni appellatione cessante. Et ipsis testibus examinatis, eos, & eorum dicta publicare debeat præsentibus partibus, vel eis legitimè requisitis, & reprobationem testium, si qua partium eos reprobare voluerit, recipere debeat infra sex dies utiles à die publicationis, ita quod sufficiat citationem, seu intentionem, & reprobationem testium infra sex dies utiles porrexisse, & jurasse testes, & intelligatur datus terminus ad reprobationem testium sex dierum, & non ultra, & interim, donec dicta reprobatio fuerit terminata, tempora procedendi, vel diffiniendi non currant, & demum suo ordine terminetur, ita quod infra mensem in confessum, vel contumacem tantùm à die citationis numerandum, in negantem verò à die contradictionis terminetur; & si invenerit testes verum non deposuisse, & tulisse falsum testimonium, nulla fides eis adhibeatur, & allegationes utriusque patris audiat diligenter, & omnia referat Rectori. Qui Rector de consilio ejus Judicis per condemnationem, vel absolutionem, ubi testium accusatio, vel inquisitio non fieret, accusationem, denunciationem, vel inquisitionem, ubi inquiri permittitut, determinet infra terminum unius mensis in confessum, & contumacem tantùm, in negantem verò infra sexagintaquinque dies continuos, & illa sint tempora instantiæ in causis maleficiorum, vel quasi. Qui termini intelligantur præfixi Judici, & causæ, & instantiæ talium causarum, salvo quod succesor talis Officialis ultra suprascripta tempora habeat terminum viginti dierum, infra quos debeat procesum expedire, quibus elapsis tali successori intelligatur instantia finita. Dictus Judex maleficiorum, & ejus Notarii, exceptis diebus Dominicis Paschalibus, duodecim Apostolorum, & diebus festivis Virginis Mariæ, & Sancti Zenonis, pulsata campanella, ut dicitur *a tocchi*, veniat ad sedendum ad bancum Juris pro jure reddendo, & stet usque ad vesperas. Nec possint dictus Judex, & Notarii juramenta, & examinationem testium committere, sed per se recipiant, & examinent, & Notarii propria manu ipsorum scribant omnia, & singula, quæ ad dictum officium, circa maleficia pertinent; & si testes commiserint jurandos, vel examinandos alteri, non valeat id quòd factum fuerit, & qui commiserit, puniatur in libris quinquaginta den. per Rectorem, & ab officio repellatur, & procurare teneatur Rector per dictum Judicem, & Notarios prædicta observari, & fieri, & adimpleri facere. Si verò prædictæ solemnitates in quolibet casuum prædictorum per dictos Rectores, Judices, & Notarios maleficiorum, & Officiales, vel alterum eorum observatæ non fuerint, incidat ipse Rector, & Officiales, & quilibet ipsorum ipso facto pro qualibet solemnitate omissa in pęnam librarum vigintiquinque den. Communi Pistorii applicandam, & Notarii maleficiorum similiter pro quali-

bet solemnitate omissa, quæ ad ejus spectat officium non servata, in pęnam librarum decem den. ut supra applicandam. Bannum verò, & condemnatio, seu sententia, quæ etiam ex tali processu sequeretur, nihilominus valeant, & teneant, dummodò constet legitimè de maleficio, vel quasi, & delicto, vel quasi, per confessionem, vel probationem legitimam, vel contumaciam Rei. Et suprascripta substantialia in processibus maleficiorum, vel quasi, observentur, & debeant observari, videlicet, quod Reus requiratur cum cedula, & cedula registretur modo suprascripto, & si contumax fuerit, banniatur, & in publicatione testium detur terminus suprascriptus, & intelligatur statutus ad reprobandum ut supra, & quòd sententia feratur in termino ut supra continetur in scriptis, & suprascripta substantialia si observata non fuerint, sententia sit ipso jure nulla. Et nihilominus possit, teneatur, & debeat de eodem delicto iteratò cognoscere, & procedere ex integro, & terminare, non obstante aliquo Statuto, quod in contrarium loqueretur, ne remaneant maleficia impunita.

Circa maleficia commissa, & facta per forenses non facientes continuam residentiam in Civitate, vel districtu Pistorii cum sua familia, sufficiat requisitio facta in platea Communis Pistorii, & talis requisitio sic facta, habeatur, & intelligatur esse facta legitimè, dummodò banniatur per Civitatem Pistorii, in locis solitis, & consuetis dictæ Civitatis. Et Judex maleficiorum faciat ponere in scriptis ad ostium Palatii accusationem, vel inquisitionem, quæ fieret contra forenses, ita quod possit videri, & legi, & banna forensium mittantur solùm die Sabbathi juridica in criminalibus post tertiam, & ante vesperas finito termino citationis, nisi personaliter esset citatus. Omnes actus faciendi per mulieres, vel earum procuratores in criminalibus quæstionibus, si voluerint ipsæ mulieres in Palatio Rectoris inquirentis comparere, valeant, & teneant, non obstante Statuto, seu Rubrica *Quod mulieres non possint in judicio comparere*. Salvo quòd prædicta non vendicent sibi locum contra facientes, vel fieri facientes, vel quomodolibet molientes verbo, vel facto contra S. Celsit. Real. in quibus habeat liberum arbitrium inquirendi, cognoscendi, & puniendi, prout contineatur in ordinamentis Communis Florentiæ editis, & edendis. Item statutum, & ordinatum est, quòd D. Commissarius, & quilibet alius Rector, & Officialis Civitatis Pistorii possit sententias ferre, misso banno per vocem præconis Communis Pistorii in platea Communis Pistorii, & per Civitatem pro convocando Consilio generalis Communis, & populi dictæ Civitatis ad ipsas sententias audiendas, & quod ipsum bannum intelligatur, & sit terminus peremptorius ad veniendum, & ad videndum condemnationem, vel absolutionem assignatus parti, ac si dictus terminus foret ei per nuncium personaliter assignatus, vel citatio facta peremptoriè, ad hoc ut condemnatio valeat. Et si propter aliquid additum, vel detractum in processu, vel de processu alicujus accusationis, vel denunciationis, vel inquisitionis, vel propter aliquam solemnitatem, tam juris, quàm Statutorum omissam sententia non valeret, vel non foret ad quantitatem in Statutis contentam redacta, dummodò constet de maleficio, vel processu, possit, & debeat D. Commissarius, &

qui-

quilibet alius Officialis Civitatis Pistorii, qui talem condemnationem, vel mulctam tulisset, de novo, & iteratò procedere super accusationem, denunciationem, vel inquisitionem, primò datā, & formatā, nihil inde addito, vel detracto de substantia maleficii, & condemnationis, & omnia, & singula facere, quæ primò potuisset ante latam sententiam, non obstante, quòd de eodem crimine, & delicto fuisset aliàs cognitum, & sententiatum, & non obstante aliquo cursu temporis, dummodo dicta accusatio, vel denunciatio primò data, vel inquisitio formata fuerit infra tempora statuta, valueritque de jure. Et ubi Judex, vel Officialis, coram quo esset, omitteret, confirmare, vel infirmare, aut annullare sententiam, vel sententias, vel gravamen, seu gravamina, quæ dicerentur illata, vel querelam, ubi confirmandæ, vel confirmanda, aut annullanda essent; tunc Judex, & Officialis prædictus incurrat, & incurrisse intelligatur in pęnam quinquaginta lib. den. quam pęnam Camerarius Cameræ Communis Pistorii retinere teneatur de suo salario, si salarium habuerit à Communi, sin autem, de salario Rectoris, de cujus familia fuerit. Et quicunque non solverit condemnationem, vel mulctam de eo factam infra decem dies futuros post diem dictæ latæ sententiæ computandos, ab inde in futurū solvat, & solvere teneatur, & debeat Camerario Communis Pistorii pro ipso Communi recipienti quartam partem ipsius condemnationis, seu mulctæ de eo factæ, non obstante aliqua appellatione, vel nulliratis oppositione, nisi talis persona obtinuerit in causa appellationis interpositæ à tali condemnatione, vel mulcta. Cum autē quidam Rectores, & eorum Officiales, & Judices maleficiorū severitatem, imò asperitatē nimiam ostendentes hactenus consueverint inducere, imò seducere homines accusatos, & inquisitos ad renunciandum termino assignato eis ad eorum defensionem faciendam de aliquo excessu, vel maleficio, quod diceretur per aliquem commissum: provisum, & ordinatum est, quòd nulla persona accusata, vel inquisita in curia maleficiorum Civitatis Pistorii, præterquam in infrascriptis casibus, renunciare possit termino sibi dato ad defensionem faciendam, si tamen fieret secnndùm formam Statutorum Pistorii; nec D. Commissarius, Judex maleficiorum, vel aliquis alius Officialis dictæ Civitatis, excepto Capitaneo Custodiæ Civitatis prædictæ, & ejus curia in rebus Statuş dumtaxat, possit, & debeat modo aliquo minorem terminum assignare, quàm contineatur in Statutis dictæ Civitatis alicui accusato, vel inquisito, & si minorem assignaverit, non teneat ipso jure, & ipsa talis renunciatio, ipso jure sit nulla, & Notarius maleficiorum, vel aliquis alius Notarius prædictum minorem terminum, vel renunciationem scribere non possit, nec debeat, sub pœna librarum vigintiquinque den. De prædictis verò exceptuamus publicos, & famosos latrones, fures viarum, falsantes monetas, incendiarios, assassinos, proditores, & facientes, vel fieri facientes, vel quomodolibet molientes dicto, vel facto contra S. Celsit. Real. quibus licitum sit renunciare, & eis renunciantibus minorem terminum assignare, & prout in ordinamentis Communis Florentiæ editis, vel edendis contineatur, & dictus Notarius scribere possit, & d. talis assignatio, valeat, & teneat de jure. Judex verò maleficiorum, vel ejus Notarius, vel alius quicun-

que

que Officialis ad maleficia deputatus, non possint, aut debeant quoquomodo directè, vel indirectè accipere, petere, vel habere pro copia processus, & actorum, qui, & quæ fierent coram eis, nisi salaria descripta lib. 1. Rub. 21. Item salvis prædictis disponitur, & ordinatur, quod Judex D. Commissarii Pistorii teneatur, & debeat omnes querelas, denunciationes, & inquisitiones, & pariter omnes processus, & acta, quæ quomodocunque agitabuntur coram Notario Custodiæ D. Commissarii, & producentur coram eo, legere, videre, & diligenter animadvertere; & sententiis ferendis super dd. querelis, denunciationibus, & inquisitionibus assistere; & cum ejus participatione sententiæ prædictæ ferri, & promulgari debeant, & de his omnibus constare debeat in actis, itaut sententiæ, si aliter ferãtur, non valeant, nec contra condemnatum, aliquem producant effectum, nisi aliter de consensu Mag. DD. Consilii, & Pract. secretæ S.R. Celsitudinis appareat expressè de modo procedendi super dictis causis.

De carcerato pro maleficio non citando. Rub. VII.

Statutum, & ordinatum est, quòd nulla persona possit citari pro prima citatione, vel sibi cedula mitti, vel dari per aliquem nuncium Communis Pistorii occasione alicujus accusationis, denunciationis, inquisitionis factæ de ea de aliquo maleficio, vel excessu, exceptis casibus suprascriptis in quibus appellari non licet, nisi extra Palatium, & domum Rectoris, qui, vel ejus Judex maleficiorum, vel aliquis de sua familia citationem fieri cedula data mandaret, & nisi persona citanda tempore citationis existeret in propria libertate, & non detenta in Palatio, vel domibus præfati Rectoris, vel alibi ad petitionem ipsius Rectoris vel alterius de sua familia. Et si persona citanda esset in carceribus Communis Pistorii, possit, & debeat citari personaliter, & sibi cedula dari in dictis carceribus. Et nihilominus, etiam ipsa prima citatio facienda de aliquo carcerato fiat, & fieri debeat ad domum solitæ habitationis, & familiæ ipsius carcerati, ad hoc ut ejus affines, & consanguinei habeant notitiam ejus super quo inquisitus, accusatus, vel denunciatus fuerit ipse carceratus, & pro ejus liberatione, & salute providere possint; quæ quidem inquisitio, denunciatio, & accusatio formari debeat, & citatio prædicta fieri per dictum Judicem cognoscentem, ad summum infra tres dies post quam carceratus fuerit, sub pœna librarum trecentarum den. ipsi Judici, & Officiali omittenti pro qualibet vice, pro qua sint suppositi Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, quibus applicetur dicta pœna pro dimidia, pro quarta parte Communi Pistorii, & pro reliqua quarta parte accusatori, vel denunciatori. Et facta citatione, seu citationibus dicto carcerato, ut supra, die sequenti post ipsam diẽ citationis factæ, vel postea, & non ante ipsam diem sequentem, Custos carcerum prædictorum possit, & teneatur talem carceratum, si voluerit, & ad ejus petitionem, ducere sub fida custodia coram Rectore vel Judice, ex cujus parte fuerit facta citatio, ad bancum juris solitum in hora tertiarum, aut vesperarum, vel circa. Qui Rector incontinenti ipsum

sum recipiat, & scribi faciat responsionem seu excusationem quam ipse citatus comparens facere vult, & ea facta, & termino, seu spacio probationum, seu defensionis assignato, Custos reducat incontinenti talem carceratum, vel inquisitum ad carceres, & non possit ea die eum ducere, vel pati quòd ducatur ad Palatiun Rectoris præfati. Cedulæ quoque mittendæ quibuscunque accusatis, denunciatis, vel inquisitis contineant, & continere debeant totum tenorem substantiæ maleficii contenti in accusatione, denunciatione, vel inquisitione, & terminum duorum dierum saltem, & debeant dictæ cedulæ registrari, seu scribi in actis unà cum commissione citationis, & responsione, vel excusatione carceratorum, accusatorum, denunciatorum, vel inquisitorum, & possint fieri, & debeant recipi, & scribi in scriptis, & sine scriptura, prout placuerit respondenti seu accusato, dum tamen confiteatur, vel neget factum, vel facta, de quo, vel quibus proceditur contra eum, cum quibuscumque verbis excusatoriis, vel sine, ita quod super accusatione, denunciatione, vel inquisitione possit ad ulteriora procedi reservatis comparenti omnibus ejus juribus, exceptionibus, & defensionibus secundùm formam Statutorum post responsionem, vel excusationem factam. Et debeat incontinenti recipi fidejussio, & statui terminus probatorius, & nisi statutus esset intelligatur juxta formam suprascripti capituli, & dimitti respondens, vel excusans, & si non satisdederit, vel sit casus, in quo non sufficiat satisdari, ad carceres mittatur, & eodem die nullatenus post prædicta, possit, vel debeat in Palatio Rectoris, qui, vel ejus Judex, & aliquis de sua familia procederet contra eum, detineri, nec Custos, si fuerit carceratus, ducere, seu reducere, vel permitti, quod reducatur ad dictum Palatium ullo casu, vel modo. Quod si contra prædicta, vel aliquod eorum factum fuerit, puniatur vice qualibet Rector, vel ejus Judex contra facientes pœna librarum centum den. & Notarius maleficiorum cujuscunque Rectoris pęna librarum vigintiquinqe ad favorem Communis Pistorii; Et insuper id quod contra prædicta, vel aliquod eorum factum fuerit, vel ex eo secutum, non valeat, & non teneat ipso jure. Prædicta verò locum non habeant in Capitaneo, in his, quæ continerent bonam custodiam jurisdictionis, & status Suæ Celsitudinis Realis, & in omnibus, in quibus, vel per quæ posset esse rumor in Civitate, vel Comitatu Pistorii, & de his quæ essent contra dictum Serenifs. Magnum Ducem Hetruriæ.

De casibus, in quibus permissum est D. Commissario, & eorum Iudicibus maleficiorum per inquisitionem procedere. Rub. VIII.

ORdinamus, quòd Dominus Commissarius, & quilibet alius Rector, & eorum Locumtenentes, & Iudex maleficiorum Civitatis Pistorii, & quilibet eorum possit cognoscere ex officio per inquisitionem de homicidiis, furtis, rapinis virginum, & Sanctimonialium, proditoribus, falsitate monetæ, & vitio sodomitico. Et possint etiam inquirere de vulnere cruento facto manu plena cum aliquo genere armorum, & contra intrantes Civitatem Pistorii per muros, & aliter quàm per portas, & etiam contra frangentes, & rumpentes,

ac

ac destruentes muros Civitatis, vel portas in aliqua parte contra formam Statutorum, & contrafacientes, vel fieri facientes, vel quomodolibet molientes contra S. Celsitudinem Realem, & repertos culpabiles de prædictis, vel aliquo eorum, punire, & condemnate secundùm formam Statutorum Pistorii. In quibus quidem casibus contra molientes contra S. Celsitudinem, habeat liberum arbitrium inquirendi, cognoscendi, & puniendi, prout contineatur in ordinamentis Communis Florentiæ editis, vel edendis, & ubi Statuta non loquuntur secundùm formam juris communis; à quibus sententiis non possit appellari modo aliquo, vel de nullitate dici.

Quòd D. Commissarius, & ejus Judices maleficiorum habeant auctoritatem inquirendi, & procedendi de maleficiis contra forenses. Rub. IX.

ORdinamus, quòd D. Commissarius, & ejus Judices maleficiorum habeant purum, & merum arbitrium secundùm formam suæ jurisdictionis inquirendi, & procedendi contra omnes, & singulos forenses, qui reperirentur in Civitate Pistorii, Comitatu, vel districtu pro omnibus, & de omnibus maleficiis, & excessibus commissis in Civitate, Comitatu, vel Districtu Pistorii, & eos punire, & condemnare ad suam voluntatem, & arbitrium in personis, & rebus, inspecta qualitate criminis, a quibus condemnationibus appellari, vel supplicari non possit.

Quòd Iudex maleficiorum possit procedere super certis denunciationibus. Rub. X.

STatutum est, quòd si quis fecerit accusationem, vel denunciationem de aliquo de Civitate, vel districtu Pistorii, videlicet, quòd aliquis blasphemaverit Deum, vel Beatam Virginem, vel Sanctos ejus, & remiserit accusationem, vel denunciationem, vel pacem fecerit, & prosequtus non fuerit, nihilominus Dominus Commissarius, & Iudex maleficiorũ in his procedere teneantur, & possint ex suo officio, & repertos culpabiles, condemnare secundùm formam Statutorum. Et quod aliquis Camparius tempore sui officii, nõ possit occasione campariæ accusare, vel ab aliis occasione dicta accusari, & quandò dicta occasione accusaret, relinquatur interpretationi, & providentiæ Rectoris.

De scribendo titulum inquisitionis ante omnem processum. Rub. XI.

PRovisum est, quòd D. Commissarius, & ejus Jndex maleficiorum, & omnes alii Iudices, & Officiales maleficiorum Communis Pistorii, teneantur, & debeant quando facient, vel aliquis eorum faciet, vel facere intendit aliquem processum per modum inquisitionis super aliquo maleficio, vel excessu, quòd diceretur commissum, scribi facere, & formare titulum inquisitionis sine aliqua diminutione, antequam examinentur illi, vel ille, contra quem, seu quos inquisitio formaretur, & antequam examinentur testes de veritate dicenda, inquirenda, vel habenda. Et Notarii deputati ad scribendum acta criminalia præcisè jurent, teneantur, & debeant non scribere aliquem processum, qui fieret per modum inquisitionis, nisi primò scriberent, vel aliquis ipsorum

sorum

ſorum titulum inquiſitionis, ut ſupra dictum eſt, & D. Commiſsarius, Iudex, & Notarius, qui contrafacerent, puniatur in libris vigintiquinque pro quolibet, & qualibet vice.

De pœna ejus, qui non fuerit proſecutus accuſationem. Rub. XII.

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunque fecerit aliquam accuſationem, vel denunciationem de aliquo, quam non proſecutus fuerit ſecundùm formam Statutorum, condemnetur per D. Commiſsarium in libris decem denar. & ad reſtitutionem expenſarum adverſæ parti, taxatione facta per Iudicem juramento præſtito per accuſatum de ipſis expenſis; & ubi fuerit eam proſecutus, & ipſam non probaverit, condemnetur per D. Commiſſarium in libris vigintiquinque. Et prædicta non habeant locum in accuſationibus faciendis de damnis datis, in quibus imponatur pęna ſolidorum decem, ſalvo ſemper Statuto loquente *De pæna facientis falſas accuſationes.*

De fidejuſsoribus dandis per Communitates ſuper relatione maleficiorum. Rub. XIII.

STatutum, & ordinatum eſt, quod quælibet Communitas, Comitatus, & diſtrictus Piſtorii teneatur, & debeat præſtare cautionem per eorum Syndicos, ſeu Vicarios de parendo Domino Commiſſario, & ejus Judici, Officialibus, & Curiæ, & de denunciando maleficia, quæ in eorum juriſdictione committerentur, de quibus ſpectet cognitio ad ipſum D. Commiſſarium, ſub pęna librarum vigintiquinque den. cuilibet Communitati, & Syndico, & qualibet vice, qua contrafactum fuerit, quam cautionem præſtare teneantur coram Notario talis Rectoris infra decem dies poſt introitum officii D. Commiſsarii occaſione cujus fidejuſſionis ipſi Rectores, & eorum Officiales aliquã quantitatem pecuniæ recipere non poſſint, ſub pœna librarum vigintiquinque eis per eorum Syndicos imponenda, & Syndicus, qui ſemel præſtiterit cautionem, non poſſit cogi ad ſe repræſentandum, vel comparendum coram aliquo Officiali, ratione dicti officii, niſi tempore cautionis præſtandæ, & non poſtea, & niſi quando accideret denunciari aliquod maleficium, vel aliquam informationem fieri. Qui quidem Syndici, ſeu Vicarii Populorum Villarum, & Communium Comitatus, & diſtrictus Piſtorii teneantur, & debeant homicidia, & maleficia cum ſanguinis effuſione in eorum Communi, & juriſdictione infra tertiam diem coram D. Commiſſario, & ejus Judici maleficiorum, & Curiæ referre, & denunciare, ſub pęna librarum quinque den. pro quolibet eorum, & qualibet vice incurrenda, & Communi Piſtorii applicanda.

De puniendo eum, qui ſtudioſè percuſſerit aliquem. Rub. XIV.

CUm pęna ob maleficia ſolvi maxima ſuadeat ratio, ſtatutum, & ordinatum eſt, quòd ſi qua perſona percuſſerit aliquem manibus vacuis, aut pede, vel capillos illum traxerit, vel aliter offenderit, & ex percuſſione ſanguis exierit, puniatur in libris vigintiquinque. Si verò ſanguis non exierit, in libris decem, & ſi percuſſerit in vultum, & ſanguis non exierit, in lib. 25. & ſi ſanguis

 exie-

exierit, puniatur ulterius prout Rectori videbitur, inspecta qualitate personarũ, & facti, non transcēdendo tamen summã libr. quinquaginta. Si verò dederit alapam alicui, qui fuisset de numero DD. Priorũ, vel Vexillif. Justitiæ, vel Notarii eorum Civitatis Pistorii ipse, vel ejus pater, vel ejus ascendentes, vel descēdentes per lineã masculinã vel percusserit in vultu aliquem ex prædictis, condemnetur in libris centum den. Si verò sanguis exierit, puniatur ulterius, prout Rectori visũ fuerit, non excedendo tamen libras ducentas den. inspecta qualitate personarum, & facti. Si verò cum armis vetitis, vel baculo, vel lapide, vel alio Instrumento apto ad maleficium committendum, quis aliquem aggressus fuerit, & eum non percusserit, puniatur in libris quinque, & viginti, sed si eum percusserit, & sanguis exierit, puniatur in libris ducentis den. pro quolibet vulnere, salvo quod si vulnus non sit factum, & sanguis exierit, puniatur in libris centum, sed si eum percusserit, & sanguis non exierit, puniatur in libris quinquaginta. At si quis percusserit aliquem in vultu cum armis, cum sanguinis effusione, puniatur in libris quadrigentis, vel minori summa arbitrio Rectoris, inspecta qualitate personæ, & percussionis, salvis semper Statutis loquentibus *De pœnis offendentium Priores*, & si ex tali percussione cicatrix facta fuerit perpetuò remansura, vel membri debilitatio, puniatur in duplum pęnæ prædictæ, quòd si dubium esset, an cicatrix facta fuerit perpetuò remansura, vel non, stetur dicto, & declarationi medicorum duorum eligendorum per Rectorem de tali maleficio cognoscentem, de qua declaratione, & dicto constet in actis ipsius Rectoris. Si verò quis occiderit, vel occidi fecerit, seu percusserit, aut percuti fecerit studiosè, & præmeditatè aliquam personam de Civitate, Comitatu, aut districtu Pistorii, vel Florentiæ in quacunque Civitate, vel loco, seu parte mundi occiderit, vel occidi fecerit, vel percusserit, seu percuti fecerit, ex qua percussione mors sit secuta, tam faciens, quàm fieri faciens, pęna capitis puniatur, & pro dicto homicidio, etiam uno, & eodem tempore possint pęna capitis puniri tres, si tot fuerint, qui fecerint, aut fieri fecerint, hoc modo, videlicet. Quod fiant duo Capitanei in faciendo, & unus in fieri faciendo, & è converso, prout facienti placuerit, qui Capitanei fieri debeant à conjuncto, vel conjunctis occisi, qui si requisiti per Rectorem de hoc cognitionem habentem, non facerent dictos Capitaneos in termino ab eo statuto, tunc talis Rector, coram quo penderet talis processus, faciat, & facere teneatur eosdem, & ipsos tres Capitaneos punire pęna capitali, ut præfertur, alii verò, qui dicto homicidio interfuerunt, & percusserunt, in libris quatuor millibus pro quolibet condemnentur, qui verò non percusserunt, in libris mille denar. Qui autem fieri fecerint ultra prædictos Capitaneos, & non percusserint, in libris duabus millibus pro quolibet eorum condemnentur. Bona verò dictorum homicidarum, & condemnatorum pęna capitali adjudicentur, in totum Fisco secundùm usum, & dispositionem legis, salvis juribus hæredum occisi pro eorum damnis, & interesse, & si quis lapidem projecerit, sive aggressum in burgis, vel suburgis fecerit contra aliquem, & non percusserit eum, puniatur in libris decem den. & si eum percusserit, & sanguis non exierit, puniatur in libris quinquaginta den. nisi homicidium sit fa-

factum, quo casu pęna homicidii, ut dictum est, puniatur, quod si ex tali projectione lapidum bellum fuerit inceptum in Civitate Pistorii, burgis, vel suburgis, proijciens lapidem, puniatur in libris centum den.

Et in quolibet casu prædictorum aggresus, & percussus possit se defendere ipse, & eum adjuvans incontinenti, intelligendo adjutores, qui fuerint cum eo, & quidquid in defendendo se factum fuerit à parte aggressi, & percussi, fiat, & sit sine pęna, adeo quod repercutiens in ipsa contentione, intelligantur se defendere, dummodo repercutiat manibus vacuis, si manibus vacuis fuerit percussus, & manibus plenis, si manibus plenis fuerit percussus incontinenti. Et si quis offenderit aliquem venientem ad Consilium, seu stantem, vel redeuntem à Consilio, vel Consiliis Communis, vel populi, vel D. Commissarii, vel DD. Priorum, vel Vexilliferi Justitiæ, vel Parlamento, vel coram aliquo Judice causarum Communis, vel D. Commissarii, vel in Camera Communis, vel stantes ad domum defuncti, vel euntes ad ignem extinguendum, vel stantes, vel redeũtes ab igne extinguendo in Civitate, burgis, vel in suburgis, seu in platea Communis, vel in aliqua Ecclesia, puniatur pęna dupli, qua puniretur, si in aliquibus aliis locis commisisset maleficium. Et quicunque juraverit aliquẽ interficere, de quo constet, condemnetur in libris quinquaginta. Et pariter qui fecerit aliquem venire ad iram, puniatur juxtà dispositionem Rub. 49. & 50. hujus libri. Quæ quidem pęnæ, de quibus supra fit mentio, in quolibet casu prædictorum non habeant locum quando aliquis de Civitate, Comitatu, vel districtu Pistorii offenderet, vel offendi faceret aliquam personam forensem; extra districtum Pistorii, & Florentiæ, & habitantem in loco non subjecto jurisdictioni Civitatis Florentiæ, & extra jurisdictionem Civitatis Florentiæ sit offensa, seu occisa, quo casu contra talem sic offendentem, vel occidentem per viam accusationis, vel inquisitionis procedi non possit, tam per Rectores, dictæ Civitatis Pistorii, quam etiam alios quoscunque Magistratus Civitatis Florentiæ ubilibet existentes.

De offensionibus, quæ fiunt per Comitatinos contra cives. Rub. XV.

Statutum est, quod comitatini, & districtuales Civitatis Pistorii, & etiam habitantes in Civitate Pistorii, qui non habuerunt officia Communis Pistorii, nec per se, nec per eorum ascendentes, nec non etiam forenses, qui læsionem aliquam facerent civibus Civitatis Pistorii, condemnentur, & condemnari debeant in duplum pęnæ, qua condemnari deberent, si alium læsissent, aut offendissent. Qui verò occiderit Civem sit rebellis, & rebellium pęnis subjaceat, & ita condemnari debeat per Rectorem cognoscentem.

De damnis, & expensis reficiendis. Rub. XVI.

Si quis vulneraverit aliquam personam contra formam juris, & Statutorum Civitatis Pistorii, condemnetur, & compellatur de facto per D. Commissarium ad voluntatem vulnerati infra quindecim dies ad restitutionem, & satisfactionem expensarum factarum, & faciendarum occasione vulneris in medicis,

dicis, & pro aliis causis necessariis ad curationem vulneris, summariè, & sinè tela judiciaria, quas expensas D. Commissarius taxare teneatur infra dictum tempus quindecim dierum.

De pœna offendentis D. Commissarium, vel forensem Officialem. Rub. XVII.

ORdinamus, & statuimus, quòd quicunque commiserit aliquod maleficium in personam Officialium Civitatis Pistorii cum aliquo genere armorum cum sanguinis effusione, vel sine, puniatur à D. Commissario in persona, & bonis ad sui arbitrium, si verò sinè armis, ut puta manibus vacuis, vel verbis, vel alio quocunque modo sine armis, puniatur à D. Commissario ad sui arbitrium in bonis tantùm. Hoc tamen declarato, quòd in quolibet casu prædictorum, puniatur saltem pęna dupli, quam si alium quemquam offendisset, & D. Commissarius habeat arbitrium in inveniendo, & cognoscendo prædicta contra quascunque personas secretè, palam, & per quemcunque modum, viam, & genus tormentorum, vel quo, vel quibus ei melius visum fuerit. Si verò maleficium fuerit commissum in personam D. Commissarii, vel alicujus de sua familia, puniatur secundùm formam præsentis capituli per D. Commissarium, ita quòd dictus D. Commissarius habeat baliam in inquirendo contrafacientes contra pacificum statum, & pacem Civitatis Pistorii, & eos punire possit suo arbitrio, & in hoc sit conservator libertatis, & pacis, & teneatur conservare, & observare æqualitatem, inter cives Civitatis Pistorii, & hoc Statutum aliis prævaleat.

De his, qui exceptuantur à pœnis. Rub. XVIII.

IN omnibus offensionibus, & pęnis exceptuantur hæ personæ à pœnis, si pater filio fecerit offensionem, vir uxori, vel è contra, dominus, vel domina, vassallo, sive famulo, vel famulæ, magister discipulo, frater fratri, vel sorori, patruus, vel avunculus nepotibus, vel è contra, eo intellecto, quòd si fuerit grave maleficium, vel offensæ, puniatur, & si fuerit homicidium commissum inter dictas partes, sive quærimonia fuerit porrecta, sive non puniatur. Si verò fuerit minor sexdecim annis usque ad duodecim annos, sit in arbitrio regiminis cognitionem habentis. Si verò fuerit minor duodecim annis, nulla ei pęna imponatur, nisi fuerit maleficium gravissimum, vel grave, de quo supra dicitur, tunc sit in provisione ipsius regiminis cognitionem habentis, & quod de minoribus duodecim annis dicitur in causis, ubi debeat imponi pęna, sit in provisione regiminis pęna imponenda, dummodo nulla pęna corporalis imponatur. At si quis prædictorum, exceptis minoribus duodecim annis, contradixerit laborerium terræ, vel habitationem domus, vel prædiorum alterius, non exceptuantur à pęnis.

Statutum ad vindictam. Rub. XIX.

QUoniam statutum unum alteri noxium esse non debet, & gravè, & juri, & æquitari naturali contrarium est, quod quis ex alterius facto gravetur,

tur,

tur, hoc præsenti Statuto, & ordinamento cum Dei auxilio perpetuo valituro provisum, & ordinatum est, quod nulla persona conjuncta, seu de domo, stirpe, vel consortibus alicujus personæ Civitatis Pistorii, vel districtus, vel aliunde, quæ in suum corpus ab aliqua persona Civitatis, vel districtus Pistorii offensa fuerit, vel studiosè offenderetur in posterum, nec etiam ipsa persona offensa audeat, vel præsumat vindictam facere, vel fieri facere in corpus contra aliquam personam conjunctam de domo, seu stirpe, vel consortibus talis offendentis, nec etiam in res, nec ipsam personam conjunctam pro tali vindicta in corpus, nec in res offendere, & intelligatur facta semper pro vindicta offensio, si talis in corpus, vel in res offendens fuerit primò offensus in corpus, vel in res, vel consors, seu de domo, vel conjunctus per lineam masculinam primæ personæ offendentis, nisi alia manifesta offensio, præter primam, ab ipso secundo offendente facta fuerit. Si qua verò persona ex ipsis conjunctis, seu de domo, stirpe, vel consortibus offensæ personæ, vel ipsa offensa persona contra prædicta, vel aliquod prædictorum fecerit, vel fieri fecerit, & ipsi offensioni interfuerit (& intelligatur fieri fecisse quicunque, qui tali offensioni interfuerit) pęna capitis puniatur, ita quòd penitus moriatur, si mors secuta fuerit, quo casu possint, & debeant puniri pęna capitali usque ad sex, si tot intervenerint, & alii ultra sex, puniantur pęna pecuniaria in duplum pęnæ, quam dictant Statuta. Si verò secuta fuerit membri abscissio, vel debilitatio, vel faciei vituperatio per evidentem cicatricem ex vulnere, puniatur in duplum ut supra. Si autem nec mors, nec membri debilitatio, vel abscissio, vel faciei vituperatio, ut præmittitur, fuerit secuta ex tali offensione, sed cum sanguinis effusione, cum aliquo genere armorum facta fuerit ipsa offensio, tunc tam faciens, quàm fieri faciens, qui interfuerit ipsi offensioni, in libris mille denariorum puniatur, vel majori pęna, si majori pęna esset puniendus secundùm formam Statutorum, ordinamentorum, vel reformationum Civitatis Pistorii. Si verò nec mors, nec membri abscissio, vel debilitatio, vel faciei vituperatio secuta fuerit, ex ipsa offensione, nec cum aliquo genere armorum cum sanguinis effusione facta fuerit ipsa offensio, licet sine sanguinis effusione, sine armis, vel cum armis, puniatur tunc talis offendens, & offendi faciens, qui dictæ offensioni interfuerit, in triplum pęnæ, qua alius deberet puniri, & condemnari, secundùm formam Statutorum, ordinamentorum, & reformationum Civitatis Pistorii. Quòd si plures fuerint hujusmodi offendentes, seu contrafacientes, vel fieri facientes, omnes quotcunque fuerint, puniantur. Et si aliqua persona conjuncta, vel non cujuscunque loci contra prædicta, vel aliquod prædictorum facienti, vel offendenti expresè, vel tacitè, directè, vel indirectè quoquomodo, qui dici, vel excogitari possit, dicto, vel facto præstiterit auxilium, consilium, vel favorem, si quidem præsens fuerit tali vindictæ, & offensioni, & persona conjuncta fuerit similiter, condemnetur, & puniatur in quolibet casu prædictorum eo modo, quo puniri, & condemnari deberent prædicti, qui prædicta, aut aliquod prædictorum committerent in quolibet suprascriptorum casuum. Si verò fuerint personæ non conjunctæ, sint, & esse intelligantur assassini, puniantur, & puniri debeant in personam

omnes

omnes, qui intervenerint, qui ponantur super curru, & ducantur per Civitatem Pistorii, & eorum carnes cum forcipibus de corpore eorum incidantur, & abscindantur, & postea cum capite deorsum plantetur in loco justitiæ, in quo fit, vel fieri consuevit executio contra assassinos, itaquod penitus moriantur, si tamen mors ex tali offensione, ad quam intervenerunt secuta fuerit, & si offensio facta fuerit circa res, & talis offensio fuerit æstimata damni ducentorum scutorum, & ab inde supra. In aliis verò summis puniatur, vel puniantur in quadrupli pęnam; qua punirentur per alia Statuta, & quilibet eorum intelligatur insolidum obligatus. Hoc declarato, quod quoad omnia, & singula in præsenti provisione, & ordinamento contenta, intelligantur esse conjuncti, & consortes etiam naturales, & spurii, & ex quocunque licito, vel illicito coitu nati, & si fieret aliquod homicidium, vel offensio pro vindicta, vel factum, seu facta fuisset olim de aliquo, seu aliquibus homicidiis in uno, vel pluribus, & esset dubietas, vel contentio, utrum fuerit, vel sit vindicta, vel non, vel utrum pax fieri debeat inter partes, vel non, vel utrum occidens, seu occidentes, vel offendentes, & eorum, vel cujusque eorum consortes debeant pacem habere ab occisi, vel offensi, vel occisorum, vel offensorum consortibus omnibus, & singulis, vel non, de tali offensa, vel homicidio, seu homicidiis jam perpetratis uno, vel pluribus, hæc sint in declaratione D. Commissarii pro tempore in officio existentis, quam declarationem in prædictis, & quolibet prædictorum facere possit, ipse D. Commissarius infra mensem à die sibi, vel suo assessori, vel assessoribus porrectæ petitionis, non obstante aliqua oppositione, vel sapientis consilii petitione. Et si declaratum fuerit per dictū D. Commissarium tale homicidium, vel offensam factam fore, fuisseve pro vindicta, vel pacem debere fieri, præcisè cogat, & cogere possit, & debeat partes observare per mulctam, vel condemnationem realitèr, & personalitèr, & per descriptionem bonorum, & omni alio modo, & via, quibus sibi placebit, & de facto ad pacem faciendam, & roborandam cum bonis, & idoneis fidejussoribus, & cautionibus, & pro illis personis, quæ per formam præsentis provisionis, & ordinamenti fieri potest, seu debet, & cum ipsis personis, & cum ipsis promissionibus, obligationibus, & cauthelis, quæ D. Commissario placebunt. Et à tali declaratione, mulcta, & processu, quæ, & qui propterea fierent, seu fieret per ipsum D. Commissarium, sive ejus Judicem, vel Officiales per quemcumque qui sentiret se gravatum possit appellari, & de iniquitate dici, & tunc prædicta exequi non debeant usquequo talis oppositio, vel iniquitas fuerit terminata, Salvis tamen aliis pęnis contra supradictis dispositis, & contentis in aliis Statutis, & salvis statutis dantibus præmium eos occidentibus. Salvo, & excepto in omnibus supradictis, quod si contingeret offensam, seu conjunctam personam, seu de domo, vel consortibus primi offendentis sociantes ipsam personam offendere illum, qui offenderat, in dicto tali casu vindictam faciens in eos, non subjaceat dictis pœnis, & talis persona sic offensa in dicto casu non gaudeat beneficio præsentis provisionis, & ordinamenti. Et nullus condemnatus, vel exbannitus, vel condemnatus tantùm, vel exbannitus tantùm, vel condemnatus, vel exbannitus in antea pro rebellione,

vel

vel etiam aliqua persona condemnata, vel exbannita pro maleficio, vel in futurum exbannienda, vel condemnanda, quæ à quocunque potest, vel poterit impunè offendi, etiam si non sint, vel nô fuerint expresso nomine, & pronomine exbanniti, vel condemnati, exbanniendi, vel condemnandi per aliquem Rectorem, vel Officialem Civitatis Pistorii, gaudeant, seu gaudeat privilegio præsentis Statuti, provisionis, & ordinamenti. Et D. Commissarius teneatur & debeat de prædictis inquirere, & repertos culpabiles in prædictis, & circa prædicta punire, sub pœna librarum quingentarum denariorum de ejus salario retinenda, applicanda pro dimidia Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, pro quarta parte Cameræ Communis Pistorii, & pro alia quarta parte accusatori, vel denunciatori. Et de prædictis omnibus quilibet possit esse accusator, vel denunciator, & credatur ei cum uno teste tantùm bonæ famæ, & conditionis.

Qualiter bona homicidarum debeant confiscari. Rub. XX.

STatutum, & ordinatum est, quòd quicunque in futurum occiderit, seu fuerit condemnatus pro homicidio, ejus bona debeant confiscari Cameræ Communis Pistorii pro dimidia, & pro alia dimidia hæredibus occisi, & dictæ Cameræ Communis Pistorii debeant applicari. Et quicunque fuerit in futurum condemnatus pro maleficio in pecunia, & non solverit condemnationem infra dies vigintiquinque, augeatur illi pœna in quarta parte, & debeant, & possint confiscari, & incorporari Cameræ Communis Pistorii tanta bona, & de rebus dicti condemnati, quæ secundùm communem æstimationem valeant, & capiant dictam condemnationem factam, & expensas. Et quilibet Rector ex suo officio possit; teneatur, & debeat facere dictam confiscationem, & incorporationem, hoc modo, videlicet, quòd tales Rectores debeant mittere per Civitatem Pistorii, per loca consueta Civitatis bannum, sivè edictum per unum ex publicis præconibus dictæ Civitatis, in quo edicto requirantur omnes, & singuli aliquid recipere, & habere debentes à dicto condemnato, & in ejus bonis jus prætendentes habere, quòd debeant comparere coram dicto Rectore infra octo dies tunc proximè secuturos, & etiam, ne ignorantia alicui noceat, elapsis dictis octo diebus simili modo, & forma mittatur aliud proclama, ut omnes comparentes possint, & debeant dicere, & ostendere eorum jura, & maximè mulieres pro earum dotibus, etiam constante matrimonio, & satisfactis primò de dictis bonis omnibus Creditoribus secundùm juris prærogativam, & ordinem, de residuo dictorum bonorum fiat confiscatio de tot, & tantis de dictis bonis, quæ capiant æstimationem dictæ condemnationis, & expensarum. Et Rectores Civitatis, & districtus Pistorii, & quilibet ipsorum possint, & debeant procedere ad venditionem talium bonorum, ut supra incorporatorum, & confiscatorum, & illa vendere modis, & formis infrascriptis, & consequi quilibet eorum, qui sic venderet talia bona confiscata, & incorporata solidos duos den. pro qualibet libra dictæ totius summæ, quæ perveniat ad commune Pistorii ex tali venditione, quos solidos duos accipere debeant à Camerario Communis Pistorii, postquam exacta fuerit

rit pecunia ex tali venditione, & non ante, in quibus solidis duobus includatur diriсtus,& omne aliud emolumentum concessum per Statuta vigore condemnationis factæ, & casu quo Rector, qui confiscationem, & incorporationem fecerit, non exegisset integram quantitatem ex bonis confiscatis, tunc, & eo casu ejus successores, quorum opera, & facto residuum, quod superesset, exigeretur, & in Cameram Communis Pistorii devenisset, habere debeant solidum unum den. pro qualibet libra de residuo dictorum bonorum exacto; alter verò solidus sit, & pertineat ad Rectorem, qui confiscationem fecerit, & sententiam tulerit. Debeant tamen observare in venditionibus prædictis modum infrascriptum, quòd bona confiscata, & incorporata debeant describi in una cedula, in ea apponendo quantitatem terræ, qualitatem, confinia, & loca, ubi sita sunt, & nomina contratarum, adeo quòd unusquisque de eis possit se diligenter informare, & si essent domus, describantur clarè, & descripta, & adnotata affigantur valvis Palatii illius Rectoris, qui talem venditionem fieri fecerit, & sic affixa debeant permanere ibi per octo dies continuos. In quo termino octo dierum debeat per publicum præconem Cõmunis Pistorii banniri in villa, seu castro, in quo, seu qua erunt posita dicta bona si sunt in comitatu, vel districtu, si autem sint in Civitate, in via, vel strata, in qua sunt, & qualiter bona sunt confiscata, & incorporata, & quòd infra terminum in Statuto compræhensum, debēt vendi, & deliberari per curiam illius Rectoris, qui nominetur. Quo termino elapso, & factis dictis proclamationibus, debeant postea subhastari, & incantari per tres dies continuos ad minus semel in die, & in ultima die deliberari debeant. Et antequam deliberentur de hoc fieri proclama in platea publica Communis Pistorii, & in Platea salæ per duas horas ante deliberationem prædictam, & cuilibet indifferenter plus offerenti cõcedantur bona prædicta, prout continuè observatur, de qua venditione debeat esse rogatus Notarius Cameræ Communis Pistorii. Et quæ dicta sunt supra de bonis confiscatis, intelligantur etiam habere locum in venditionibus bonorum alicujus condemnati, cui fuerit facta condemnatio pro delicto, de quo possit procedi per inquisitionem secundùm Statuta Communis Pistorii. Quæ bona condemnatorum, ut supra dictum etiam fuit, dicti Rectores vendere possint, servando tamen easdem solemnitates. Et quilibet, qui condemnatus fuerit, donec non solverit condemnationem de eo factam, non possit audiri in civilibus, vel criminalibus, vel agendo, vel defendendo, aut aliquid in ejus favorem fieri possit.

De bonis committentium maleficia tensiendis. Rub. XXI.

TEneatur D. Commissarius, & quilibet Judex maleficiorum Civitatis, & districtus Pistorii incontinenti facta accusatione, vel denunciatione, vel inquisitione formata de aliquo maleficio perpetrato, vel commisso ab aliqua persona de homicidiis, vulneribus enormis, & cruentis, & aliis maleficiis turpibus invenire, & inveniri facere, & tensire, & tensiri facere bona omnia accusatæ personæ, vel contra quam inquireretur, & facere ea describi pro Communi

muni

muni Pistorii, pro solvendo, & publicando, si publicanda fuerint. Et Rector cognoscens, & quilibet alius Rector Civitatis Pistorii, possit, & debeat bona condemnatorum, & homicidarum vendere modo, & forma in præcedenti capitulo contentis. Et condemnatus, cujus bona sic venderentur, habeat terminum, si ipsa bona immobilia fuerint unius anni ad redimendum ea, & si mobilia fuerint, habeat terminum quindecim dierum ad redimendum ut supra, & si non reperirentur emptores talium bonorum, confiscentur tot bona, quæ capiant dictam condemnationem, & Rector habeat ratam suam, prout, & sicut in præcedenti Statuto continetur.

Quod condemnati, & exbanniti ob contumaciam intelligantur rectè condemnati, & exbanniti. Rub. XXII.

AD hoc ut, contumacibus eorum contumacia prodesse non possit, statutum, & ordinatum est, quòd si quis ratione contumaciæ reperiatur condemnatus, vel exbannitus, & ejus condemnatio, vel bannum reperiatur in Camera Communis Pistorii, contra condemnationem, vel bannum qualitercunque, & quomodocunque latum, & factum, seu latam, & factam opponi non possit, sed præsumatur ipsa condemnatio, vel bannum sic repertũ legitimè factum, vel facta, eo ipso, quòd condemnatio, vel bannũ inveniatur in Camera Comunis, & ipsa condemnatio, vel banna executioni mandentur, non obstantibus aliquibus, quæ opponi possent contra prædicta.

De cancellandis condemnationibus, vel bannis. Rub. XXIII.

QUod attinet ad cancellandas condemnationes, vel banna, servetur quod servatum est usque modo.

De prohibitione tormentorum. Rub. XXIV.

STatuimus, quòd nullus Rector Civitatis, vel districtus Pistorii, vel ejus Judex, seu Officialis, vel aliquis de sua familia, possit, audeat, vel præsumat torquere, vel alicui generi tormentorum subijcere aliquam personam Civitatis, vel districtus Pistorii, nec etiam cogere, vel compellere, seu inducere vi, vel metu alicujus tormenti ad confitendum, vel testificandum aliquod delictum, maleficium, vel excessum, vel aliquod aliud, vel ad revocandum, tollendum, vel irritandum aliquam suam negationem, responsionem, vel excusationem, aut aliquod aliud factum per eum, vel alium, seu alios pro eo in sui favorem, vel aliqua ratione prædictorum, vel alicujus ipsorum facere, nisi prout de jure communi, vel ex forma Statutorum, vel alicujus ipsorum facere permittitur, sub pœna librarum quingentarum den. incurrenda à Rectore, per quem, vel in cujus Palatio, etiam per quamcunque personam fuerit contrafactum, si tortus, vel coactus fuerit de numero Priorum, & Vexilliferi Justitiæ, & Notarii ipsorum Dominorum Priorum, qui fuerit ad dicta officia Prioratus Vexill. vel Notarii, vel in antea fuerit, & librarum ducentarum quinquaginta pro quacunque alia persona de Civitate, vel districtu Pistorii, qua torta, & coacta fuerit, salvis semper in prædictis, & infrascriptis quibuscunque aliis privilegiis prædictorum Dominorum Priorum, & Vexilliferi

Justitiæ, & eorum Notarii, & insuper quod contrafactum, vel secutum fuerit, non valeat, & non teneat ipso jure, & intelligatur omnis confessio, revocatio, & irritatio prædictorum, vel alicujus ipsorum, quæ facta reperiretur post primam responsionem, seu excusationem per accusatum, denunciatum, vel inquisitum, fuisse factam vi, vel metu tormentorum. Et quod quis fuerit tortus per aliquem de sua familia, vel in ejus Palatio possit probari per unum testem de visu, & quatuor testes bonæ conditionis de fama, vel sex testes dictæ conditionis, de fama tantùm, & hujusmodi probatio habeatur pro plena, & sufficienti probatione.

Quod exbanniti Communis Florentiæ, vel Pistorii possint impunè offendi. Rub. XXV.

QUilibet possit impunè offendere, & offendi facere, etiam usque ad mortem inclusivè, & etiam uti assassinum, vel assassinos, quemlibet exbannitum Communis Florentiæ, & Pistorii pro maleficio, & condemnatum in pœnam, & ad pęnam capitalem, & non aliter, qui descriptus reperiretur quomodocunque in libro malefactorum dicti Communis Florentiæ, vel Pistorii in Camera Actorum existente, & intelligatur exbannitus quousque reperiretur descriptus in libro condemnatorum non cancellatus. Condemnati autem in pecunia videlicet pęna librarum ducentarum, & ab inde supra ex quacunque causa non possint esse Officiales Communis Pistorii, nisi primò solverint dictam condemnationem, antequam accipiant tale officium secundùm formá ordinamentorum dicti Communis. Et prædicta, quæ loquuntur de bannitis descriptis in dicto libro locum habeant, etiam in condemnatis, & condemnandis omissis registrari, seu poni in libris condemnatorum in Camera prædicta existentibus, de quibus fit mentio in primo libro Communis Florentiæ Statutorum posito sub Rubrica de officio Notariorum positis sub libris exbannitorum.

Quod Communitates teneantur capere malefactores. Rub. XXVI.

PRovisum est, quod si aliqua rapina, vel furtum perpetratum, seu perpetrata, factum, vel facta fuerint in Civitate, vel districtu Pistorii, universitas, Communitas, seu Villa, in cujus territorio prædicta, vel aliquod prædictorum perpetratum, vel perpetrata, seu facta fuerint, teneatur, & debeat furtum, & committentes furtum, rapinam, vel aliquod prædictorum capere, & in fortiam regiminis Civitatis Pistorii, vel alterius Officialis jurisdictionem habentis ipsum, vel ipsos, vel aliquem prædictorum committentium ducere; quod si non fecerit, talis Communitas, seu Villa, in cujus territorio prædicta, aut aliquod eorum facta fuerint, vel essent, teneatur satisfacere, & emendare damnum, & damna, & nihilominus puniatur pęna librarum quinquaginta denariorum pro qualibet vice, vel majori, seu minori, arbitrio regiminis, inspecta qualitate personarum, & facti; & prædicta omnia possint probari per veras, & legitimas probationes, vel saltem per unum testem de visu, & per quatuor testes de publica voce, & fama, qui sint bonæ opinionis, & famæ, & habeatur pro plena, & legitima probatione. Et factis dictis pro-

probationibus infra tertiam diem post terminum elapsum datum ad reprobandum testes, regimen, coram quo probatio fieret, seu talis quæstio moveretur, de qua possit cognoscere D. Commissarius Pistorii, vel Judex (si ad ejus jurisdictionem spectet) super damnis datis, antequam sententiam ferat, teneatur processum talis inquisitionis, vel quæstionis, & maximè petitionem, & testium dicta reducere, & exponere coram Dominis Prioribus, & D. Commissario, qui pro tempore fuerint, qui deliberent, si talis petitio videtur malitiosa, vel non, & si per eos, vel majorem partem eorum deliberatum fuerit non esse malitiosam, facto inter eos partito ad fabas pro affirmativa, vel negativa, tunc procedatur ad dictam emendationem, & aliter non procedatur ad sententiam, vel emendationem, nisi prius facta deliberatione prædicta, & prædicta omnia, & singula locum habeant in furtis futuris. In emendatione verò, quæ peteretur fieri de furto, seu furtis, valoris librarum decem, vel ab inde infra per aliquam personam Civitatis, vel districtus Pistorii, procedatur secundùm formam aliorum Statutorum Communis Pistorii, de prædictis tractantium, & à processu faciendo occasione prædictorum, vel aliquo eorũ non possit appellari, supplicari, vel de nullitate dici, opponi, vel alio quovis modo infringi talis processus, & simili modo puniatur, & teneatur Communitas, Terræ, Villæ, vel Castri, per cujus territorium transiverit furtum, seu rapina prædicta. Et omnia suprascripta regimen Civitatis Pistorii, coram quo quærela de prædictis, vel aliquo eorum fieret, teneatur, & debeat executioni mandare, juxta formam suæ jurisdictionis, sub pęna librarum ducentarum denariorum.

Quod Communitas teneatur trahere, vel currere ad rumorem. Rub. XXVII.

ORdinamus, quod quælibet Communitas, districtus Pistorii, & homines ipsius audito rumore, viæ furti, vel damni dati per aliquos malefactores teneatur incontinenti campanam illius Communitatis, in cujus territorio prædicta fierent, pulsare, & prosequi eum, vel eos cum armis omnibus, & capere si potuerit, & ducere in fortiam Cõmunis Pistorii. Et quæcunque Communitas, quæ hoc non fecerit, puniatur à regiminibus pro qualibet familia in solidis quinque den. habita ratione, & qualitate negocii, & hoc capitulum detur omnibus Communitatibus districtus Pistorii, & Consules, seu Vicarii ipsarum ipsum legi faciant in Communi, & poni in eorum statutis. Et quicũque de dictis Communitatibus, qui ad prædicta non traxerit, ex quo audivit & non succurrerit, de prædictis, cum viderit, vel auxilium præstare poterit, puniatur à regimine in libris decem, viduæ autem, & pupilli ad ea non teneantur. Et insuper ad petitionem, vel rumorem alicujus, vel aliquorum, qui dubitarent offendi ab aliquo, vel aliquibus ex rebellibus, vel exbannitis pro maleficio, Communitas, vel Universitas, in cujus territorio esset, teneatur trahere ad rumorem, & juvare talem, seu tales, qui offendi dubitarent, & capere, & detinere, & in fortiam Rectoris Communis Pistorii ducere tales rebelles vel exbannitos, & si in tali rumore occiderent tales rebelles, vel exbannitos,

non teneantur ducere in fortiam, nec ex tali homicidio quisque puniri possit, vel debeat. Et quælibet singularis persona cujuscunque Communitatis, & cōditionis esset, quæ reperiretur ab illo tali, vel talibus, qui dubitarent offendi ab illo tali, vel talibus bannitis, & rebellibus, teneatur trahere ad rumorem, & juvare, & defendere illum, vel illos, & capere, & detinere, & in fortiam Communis Pistorii ducere tales bannitos, seu rebelles, & etiam eos impunè possit offendere, & Communitas, quæ non traheret ad talem rumorem, puniatur pro qualibet familia, arbitrio regiminis. Et singularis persona cujuscunque conditionis civis, districtualis, vel forensis, qui non traheret ad rumorem, & prædicta facere recusaret, puniatur in libris quinquaginta, & omnia prædicta sint in providentia regiminis, inspecta qualitate personarum, temporis, & locorum.

Quod qualibet Communitas teneatur capere homicidas, & malefactores. Rub. XXVIII.

SAncimus pro bono statu Civitatis Pistorii, & districtu ejusdem, & ad ejus conservationem, quod si contingeret aliquod homicidium, vel vulnus, vel aliquam capturam alicujus hominis fieri, vel committi in aliqua Terra districtus Pistorii, vel in ejus territorio, vel territoriis, illa talis Terra, sive communitas, in cujus territorio committeretur, si non caperet, & præsentaret in fortiam Communis Pistorii, seu Domini Commissarii, vel alterius Officialis jurisdictionem habentis ipsum homicidam, vel malefactorem ad mandata Communis Pistorii, & talis homicida, vel malefactor ad mandata dicti Communis non venerit, condemnetur illa Communitas, seu Terra arbitrio regiminis pro quolibet homicidio, vulnere, vel captura in suo territorio commissa, & nihilominus teneatur ipsa Communitas refundere omne damnum, quod offensus in ipsa Communitate, & ejus territorio substineret, ita quod si unus, sive plures fuerint homicidæ, vel malefactores ipsum Commune puniatur, ac si unus fuisset tantum homicidia, vel malefactor. Et hoc capitulum teneatur Dominus Commissarius, & eorum Judices, & famuli integraliter observare, non obstante aliquo statuto, vel reformatione, Communis Pistorii retrofactis, quæ in quantum contrarium loquerentur, habeantur, & sint pro cassis, irritis, & vanis, & nullius efficaciæ, vel valoris, ad quam pœnam non teneātur viduæ, & pupilli. Et teneatur regimen, & quilibet de sua familia non exigere, vel fieri facere ab aliqua Communitate districtus Pistorii, vel ab eorum Judicibus, vel Officialibus, vel alia persona pro eis aliquod depositum pecuniæ, vel alterius rei ante homicidium perpetratum, vel vulnus factum. Et si quis Officialis alicujus Communitatis, aut alter fraudolenter aliquid fecerit, vel fieri commiserit, aut consenserit, ad hoc, ut delinquens non caperetur, & ut fugeret, puniatur arbitrio regiminis.

De

De pœna carcerati occidentis Custodem &c. Rub. XXIX.

ORdinamus, quod quicunque existens in aliquo carcere Communis, seu Civitatis Pistorii interfecerit aliquem custodem dicti carceris, vel in dicto carcere alterum carceratum, amputetur, ei caput, & si feriret, ita ut sanguis exierit, puniatur pœna Statutorum duplicata, & ulterius arbitrio Domini Commissarii, non obstante aliquo Capitulo Communis Pistorii, & maximè, ubi loquitur quod puniatur pæna pecuniaria, & D. Commissarius, & ejus Judex possit suo arbitrio inquirere, & quandocunque sibi placuerit.

De pœna rapientis carceratum de fortia Rectorum, & eorum familia. Rub. XXX.

STatuimus, quod si aliquis carceratus, vel malefactor ablatus fuerit per aliquem Civitatis Pistorii, vel districtus, vel alium undecunque fuerit de fortia Domini Commissarii Civitatis Pistorii, de Domo, Curia, Palatio, Carcere, vel Platea, vel aliquo alio loco ducendo, vel reducendo, vel etiam ducendo ad patibulum, capite puniatur, & bona ejus publicentur si carceratus ille, vel malefactor personam perdere debeat, si verò membrum perdere debeat, eadem pęna puniatur, qui eum rapuerit, si verò in pœnam pecuniariam condemnari debeat qui eum rapuerit, in duplum pœnæ, qua malefactor puniendus venerit. Qui autem ad prædictos excessus committendos præstiterit adiutorium, vel favorem sociando eum ad dictum maleficium committendum, vel operam dederit, puniatur immediatè pœna pecuniaria superius imposita. Si verò in persona, vel membro, puniatur arbitrio Rectoris de prædictis cognoscentis, dummodo non puniatur minori pœna librarum trecentarum; & prædictus D. Commissarius possit ex officio, & per inquisitionem procedere contra prædicta, vel prædictorum aliquod committentes. Et si quis per vim rapuerit de fortia familiæ, vel nuncii aliquem detentum pro debito, solvat debitum pro quo detentus erat, & insuper in libris quinquaginta den. condemnetur.

De pœna furum, & latronum. Rub. XXXI.

UT cetra sit pœna furum, & latronum provisum, & ordinatum est, quod fures, & latrones publici, & famosi ultimo supplicio furcarum puniātur, intelligendo furem, & latronem publicum, & famosum, quecunque convictum fecisse saltem tria furta diversis temporibus, & diebus in Civitate, vel districtu Pistorii, & in quacunque alia parte mundi contra aliquam personam Civitatis Pistorii, Comitatus, vel districtus. Qui verò unum furtum commiserit, in majori quantitate librarum quinquaginta den. vel valoris ipsius quantitatis, condemnetur in libris quingentis den. ad arbitrium regiminis. Et si à libris vigintiquinque supra, condemnetur usque ad libras trecen-

trecentas ad dictum arbitrium, & qui in aliquo dictorum casuum, condemnationem de se factam non solverit infra decem dies, post dictos decem dies latæ condemnationis, si in fortia Communis Pistorii tempore condemnationis foret, vel si tunc non esset in dicta fortia, post diem quo in dictam fortiam devenerit, amputetur ei manus dextera, ita quod à brachio totaliter separetur. Et si fuerit a decem libris supra, condemnetur fur usque ad libras centum. Et si à libris quinque supra, condemnetur in libris quinquaginta den. & ab inde infra usq; in libris vigintiquinque den. arbitrio regiminis, in quolibet casu prædictorum, inspecta qualitate personæ, & facti. Et quicunque in prædictis casibus, vel aliquo eorum, exceptis suprascriptis duobus casibus, non solverit condemnationem de se factam in termino suprascripto, amputetur ei auricula dextera, & sigilletur cum sigillo ferreo calido in facie, adeo quod ab omnibus videri, & cognosci possit, & cum dictis conditionibus, & pœnis debeant fieri condemnationes, & pęnæ furum prædictorum. Et nihilominus condemnentur in eadem condemnatione ad restitutionem ablatorum, sive per accusationem, sive ex officio per inquisitionem sit processum, & sive ipsa restitutio petita fuerit, sive non, de quibus quidem furtis possit procedi ex officio per inquisitionem.

De vulneribus factis in fures. Rub. XXXII.

DE vulneribus factis in fures suprascriptos, ut supra continetur, & de infrascriptis vulneribus, & offensionibus, sint immunes à pęnis hi, qui ferierint de nocte eos, quos invenerint furantes, vel secantes bladum suum, vel alias res, si se defenderit cum armis, & hi etiam, qui ferierint aliquos, quos invenerint de nocte in domo sua.

De pœna assassini, & facientium offendi per assassinos. Rub. XXXIII.

STatutum, & ordinatum est, quod si aliquis de Civitate Pistorii, vel districtu ejus fecerit offendere in dicta Civitate, vel alibi ubicunque aliquem de Pistorio, vel districtu ejus per aliquem, seu aliquos, qui assassini appellantur, si offensus moreretur, ex illa offensione debeat ille, qui offensionem fieri fecerit, capite puniri, si in communis fortiam pervenerit, & omnia sua bona confiscari debeant, & si haberi non posset, condemnetur pœna prædicta, & sit perpetuò exbannitus, & in perpetuum non possit habitare in Civitate Pistorii, vel districtu; si autem offensus prædicto modo non moreretur, tunc ille, qui offendere facit, hoc modo puniatur, videlicet, si vulnus esset in vultu, vel membrum aliquod debilitatum, condemnetur in libris duabus millibus, quam pœnam si non solverit, manus ei abscindatur, & pes. Si autem vulnus non esset in vultu, nec sequeretur debilitatio membri, condemnetur Communi Pistorii in libris mille, & si non solverit, manus ei abscindatur. Et assassinus, vel assassini, qui aliquas ex dictis offensis fecerint, & in Communis fortiam pervenerint, trahantur ad caudam mulorum, usque ad locum justitiæ, & ibi ampu-

amputetur eis caput, ita ut moriantur. Et qui talem assassinum, vel assassinos in sua domo receptaverit, vel retinuerit in Civitate Pistorii, vel Districtu, puniatur pœna librarum ducentarum; & bona talium assassinorum debeant confiscari, & ipsorum bonorum medietas sit Communis, & alia medietas sit offensi, vel ejus hæredum, & eorundem assassinorum filii perpetuò sint exbanniti à Communi Pistorii, & perpetuò non possint habitare in Civitate, & districtu Pistorii. Et quicunque talem assassinum ceperit, & in fortiam Communis duxerit, ita quod possit puniri, debeat habere de Communi Pistorii libras quadringentas den., quas regimen eidem dare, & solvere faciat à Camerario Communis Pistorii, post decē dies post præsentationē talis Assassini, & bona prædictorum tam fieri facientium offensam, quàm assassinorum nullo modo defendi possint, vel debeant quin confiscentur, & sic regimen teneatur, & debeat nullam audire defensionem, quin de bonis, quæ invenirentur possidere tempore commissi maleficii, fiat ut supra continetur; & in prædictis, & circa prædicta, & quolibet prædictorum D. Commissarius, & ejus Judex maleficiorum in inveniendo, & cognoscendo, plenum habeant arbitrium, & de his acerrimam indagationem facere teneantur. Quibus quidem malefactoribus pax non prosit, nec aliquo beneficio capituli Communis possint adjuvari, ad hoc ut possint liberari à banno, vel condemnatione. Et possit regimen Civitatis Pistorii infra mensem sui regiminis per legales, & honestas personas facere inquirere, & investigare per Civitatem omnes, & singulos assassinos, & receptatores eorum, qui de dicto crimine fuerint infamati, & ab eis fidejussores accipere de parendo mandatis ipsius regiminis, & securitate recepta ab eisdem, præcipiatur eis per dictum regimen, vel ejus Judicem eos exire de Civitate Pistorii, & Districtu, & extra stare toto tempore sui regiminis, & si regimen prædicta non fecerit, perdat libras quinquaginta den. de suo salario. Nullus autem debeat condemnari, eo quod per assassinum fieri fecerit maleficium propter contumaciam tanquam assassinus, nisi probetur saltem per publicam famam ante condemnationem factam, eum tanquam assassinum maleficium commisisse, vel fieri fecisse per assassinum. Et hoc capitulum sit præcisum, & non intelligantur assassini attinentes personæ mittentis, vel ducentis eum, vel eos ad prædicta maleficia committenda usque in quartum gradum, ex latere Patris, vel Matris, vel qui fuerit de domo sua, casata, vel familia.

Ubi debeant esse furchæ, & corporales executiones fieri. Rub. XXXIV.

STatutum est, quòd furchæ, super quibus deberent suspendi homines, & corporales executiones fieri, sint, & esse debeant in loco nuncupato, *Allo Sperone*, extra Civitatem Pistorii per stratam Florentinam publicam in solito loco per unum miliare longè à dicta Civitate Pistorii, & fiant ibi duæ murellæ, & unum monumentum expensis Communis, & prædicta teneatur regimen observare, sub pœna librarum quinquaginta. Nec possit dictum Regimen aliquam executionem, seu vindictam corporalem facere in Prato Communis ob reverentiam Dei, & Beatæ MARIÆ Virginis, Ordinisque Fratrum

trum

trum Minorum. Salvo quod de Civibus Pistoriensibus possit fieri vindicta, seu executio in quocunque loco Civitatis Pistorii, ubi voluerint consanguinei, sed debeat eas facere, & fieri facere extra circulum Civitatis, & ubi ipse voluerit extra circulos.

De pœna iuvantis solvere pænam. Rub. XXXV.

QUicunque de Civitate, Comitatu, vel districtu Pistorii se obligasset per sacramentum, vel aliam promissionem quomodolibet, & sub quibuscũque verbis factam solvere aliquam pœnam, ut aliquis feriret aliquam personam, vel quomodolibet alio modo eam offenderet, habeatur, ac si fecisset vulnus, vel offensam, & eadem pęna puniatur, & puniri debeat.

Quod terminus in condemnatione personæ appositus incipiat currere à die, qua venerit in fortiam Communis. Rub. XXXVI.

STatutum, & ordinatum est, quòd termini appositi in quibuscumq; condemnationibus latis per quoscunque officiales Civitatis Pistorii, in quibus esset apposita pęna personæ, vel membri, vel alicujus afflictionis corporis in defectum solutionis non factæ in termino in dicta condemnatione apposito, intelligantur currere, & currer incipiant post diem, qua dictus condemnatus venerit in fortiam Communis Pistorii post ipsam condemnationẽ. Et sic intelligantur, & intelligi debeant ipsa verba, etiam si expresè dicerent terminum inchoare à die latæ sententiæ, adeo quod intelligantur hęc verba, videlicet à die, qua in fortiam Communis venerit. Et possit quandocumque, antequam in fortiam Communis venerit, etiam si terminus defluxerit solvere pęnam pecuniariam, & illam solvendo, sit liber à pęna in defectu solutionis apposita.

Quod campana pulsetur de sero post Solis occasum. Rub. XXXVII.

ORdinatum est, quod campana, quæ pulsatur, & pulsari consuevit ad recollectam, pulsetur de sero post Solis occasum, ut dicitur, *a distesa*, & sonitus dictæ Campanæ intelligatur esse, & sit campana pœnæ duplæ. Et quicunque committeret aliquod maleficium contra aliquem post sonum Ave Mariæ, quæ pulsatur de sero, usque ad sonum Ave Mariæ, quæ pulsatur de mane, & sic noctis tempore, duplici pęna puniatur, qua veniret puniendus, juxta formam statutorum, non obstante aliquo statuto in contrarium loquente, & disponente.

De pœna facientis cartam falsam. Rub. XXXVIII.

STatuimus, quòd si quis Notarius scienter fecerit cartam falsam, & hoc liquidum fuerit D. Commissario, abscindatur ei manus dextera, & artem amplius non exerceat. Idem dicimus in omnibus, & per omnia de ea persona,

quæ

quæ ſcienter fieri fecerit falſum Inſtrumentum, ſi verò aliquis fecerit, vel fieri fecerit ſcienter plures cartas falſas, ſeu plura Inſtrumenta falſa, igne comburatur, ita quod penitus moriatur; ſi verò ſcienter uſus fuerit falſo nomine, vel procuratorio, vel quocunque nomine, puniatur in libris ducentis den. Et quæ dicta ſunt de faciente, vel fieri faciente cartam falſam, & utente carta falſa, vel inſtrumento, obſerventur in omni alia perſona, quæ fecerit, vel fieri fecerit, vel fuerit uſa falſis literis. Item quecumque perſona, quæ fecerit, vel fieri fecerit quocunque modo aliquas privatas literas, vel ſcripturas falſas, incidat, & incidiſse intelligatur ipſo facto, & jure pro prima vice in libris quingentis, & poſt primam vicem in pęnam librarum mille den. Et intelligantur eſſe, & ſint omnes, qui contra prædicta, aut aliquod prædictorum fecerint, & prædictas falſitates commiſerint, in perpetuum privati omnibus officiis Communis Piſtorii, ad quæ nullo unquam tempore poſſint reſtitui, niſi obtentum fuerit in Conſilio populi, per novem ex decem Conſiliariis, præcedentibus tamen proviſionibus ſuper id faciendis. Et regimen Civitatis Piſtorii, & ejus Judex maleficiorum de prædictis poſſint inquirere, & nihilominus tam faciens, quàm fieri faciens, condemnetur læſo ad damna, & intereſse.

De reprobatione teſtium, & pęna falſorum teſtium, & producentis eos,
Rub. XXXIX.

ORdinatum eſt, quòd ſi in aliqua lite, ſeu quæſtione coram aliquo officiali Communis Piſtorii, aut quocunque Judice ordinario, vel delegato in cauſis ſæcularibus, vel ſpiritualibus, vel coram aliquo, ſeu aliquibus arbitris, ſeu arbitratoribus, ſive ſit actor, ſive ſit reus, qui induxerit, vel induci fecerit per ſe, vel per alium, teſtes falſos, ſuper negotio principali, puniantur ipſi teſtes, & quilibet eorum, & eos producens, ſi erit ruſticus, vel comitatinus, vel inhabilis ad officia Civitatis Piſtorii, in lib. 100. den. & ulterius mitretur, & fuſtigetur, & ſi in termino decem dierum non ſolverit condemnationem, perforetur eorum lingua, & ſi erunt cives habiles ad officia, condemnentur in lib. 400. denar. & relegentur per biennium in carceribus Stincarum Civitatis Piſtorii, & in perpetuum priventur officiis, & honoribus dictæ Civitatis. Et intelligatur quem produxiſse falſum teſtem, vel teſtes, non ſolùm quia ipſe produxerit, ſed etiam ſi ejus Procurator produxerit, niſi tempore productionis, & ante per quindecim dies fuerit abſens à Civitate Piſtorii, & nomen, & pronomen ipſius condemnati dictis de cauſis, vel aliqua earum, & locus, & cappella unde eſt, ſcribatur in mitra, & ipſa mitra poſt condemnationem, & executionem figatur in ſolario curiæ maleficiorum Piſtorii, ita quod ab omnibus poſſit videri, & legi ſive condemnatus fuerit, ſive non, quæ ibi ſtare debeat toto tempore Rectoris, poſtea tollatur per unum ex berroariis Bariſelli. Et Regimen Civitatis Piſtorii, & ejus Judex, poſſit, teneatur, & debeat de prædictis, & quolibet eorum cognoſcere, procedere, punire, & condemnare ad accuſationem, & denunciationem cujuſcunque perſonæ, & ex officio, & per inquiſitionem ſine aliqua accuſatione, vel denunciatione, & veritatem inquirere, & recipere per omnem viam, modum, & genus tormentorum. Ac etiã

possit, & sibi liceat procedere modis prædictis, vel aliquo, seu alio eorum contra eos, qui de hujusmodi scelesto crimine fuerint deinceps publicè diffamati, & repertos culpabiles, punire pęnis prædictis, & de dicto crimine possit cognosci, procedi, & condemnari infra unum annum à die juramenti testium, de quorum testimonio ageretur computandum, salvis semper in prædictis, & quolibet eorum privilegiis Dominorum Priorum, & Vexilliferi Justitiæ, & eorum Notarii Civitatis Pistorii; prædicta autem, & quodlibet prædictorum locum habeant, & intelligantur, si testis super facto principali, vel super intentione producentis falsũ tulerit, & deposuerit testimoniũ, & si testis tulerit variũ testimoniũ super ipso facto, vel intentione producentis, adeoq. ex tali variatione falsitas depræhendatur ex ipso dicto testis falsum intelligatur tulisse testimoniũ, & sine aliqua alia probatione non puniatur talis testis, nec producens eum pœnis, & modis prædictis, sed puniatur pœna librarum 50. dũtaxat. Et quilibet accusator, qui accusare voluerit aliquẽ testem, vel producentẽ eum de falso, teneatur, & debeat satisdare de libris 400. si accusatus, & denunciatus fuerit civis habilis ad officia, & si erit comitatinus, vel inhabilis, de lib. 200. pro quolibet teste, vel producente accusato dandis, & solvendis Communi Pistorii, & de expensis restituendis ipsi accusato, si non probetur falsitas in quibus, libris quinquaginta, & expensis; Rector causam cognoscens, si ipsum accusatum absolverit, vel pronunciaverit, super accusatione non esse procedẽdum, teneatur, & debeat in ipsa absolutione, vel pronunciatione ipsum accusatorem condemnare, sub pœna librarum vigintique den. pro qualibet vice. Et ad hoc, ut examinatio testium sine suspicione procedat, & terror sit præsentia Judicis falsitati, quilibet Judex causarum civilium Communis Pistorii, & Judex appellationum, & nullitatum ipsius Civitatis, teneatur, & debeat interesse examinationi testium productorum coram se, vel suo prædecessore, si à partibus litigantibus, vel aliqua earum fuerit requisitus, sub pœna librarum 25. den. vice qualibet à contrafacienti incurrenda, & sufficiat in dicto casu fieri examinationem per unum ex notariis dd. causarum, & pro tempore deputatis cum Judice ad examinationem testium. Salvo quod si in tali casu steterit per Iudicem, quo minus examinatio testium fiat infra debitum tempus, tempus non currat producenti testes, nec ejus adversario, donec ipsa examinatio fiat, & in casu prædicto debeat examinatio testium fieri in Palatio residentiæ talis Judicis. Possit insuper, & debeat testium examinatio fieri in quacunque causa, quæstione, vel lite, quolibet die, non obstantib. aliquibus feriis, & diebus feriatis, illis diebus duntaxat exceptis, qui feriati sint in curia maleficiorum Communis per statuta Civitatis ipsius. Et ne privilegia Clericorum aliis sint damnosa, nullus Clericus recipiatur, & recipi possit in testem in aliqua curia sæculari, nisi primò fiat fides Judici quæstionis per literas Domini Episcopi Pistoriensis, vel ejus Vicarii, quod talis clericus sit, & reputetur bonæ conditionis, & famæ, nec sit notatus infamia, vel falsitate. Et si postea constiterit Judici talem clericum falsum tulisse testimonium, teneatur, & debeat per suas literas Domino Episcopo, vel ejus Vicario notificare hujusmodi falsitatem, ipsumque reverenter precari, quod talem clericum debita pœna pu-

puniat, faciendo de primis literis mentionem, quæ literæ, tam primæ, quàm secundæ in actis præfati Iudicis debeant registrari, quod si contra dictam formam aliquis clericus fuerit receptus in testimonium, ejus receptio, vel attestatio sit ipso jure nulla, & hæc de clericis incedentibus in habitu, & tonsura clericali, & facientibus habitationem continuam in aliqua Ecclesia, vel in domo alicujus Ecclesiæ dicta intelligantur, cum alii clerici non incedentes, & non habitantes, ut prædicitur, non debeant, consideratis Synodalibus constitutionibus, & Statutis Civitatis Pistorii, pro clericis reputari. Denique cum subornatores falsitatis sint non minus ipsis falsariis puniendi, statuimus, quod nullus advocatus, vel procurator, vel patrocinator, vel alia quæcunque persona audeat, vel præsumat docere, instruere, vel subornare personam aliquã, ut ferat testimonium falsitatis, sub pęna librarum centum den. à quolibet cõtrafaciente, vice qualibet incurrenda, & super hoc procedi, & cognosci possit modis, & formis superius dictis.

De pęna corrumpentis Dominum Commissarium, vel aliquem Officialem.
Rub. XXXX.

ORdinamus, quod nulla persona audeat, vel præsumat corrumpere D. Commissarium, & ejus Judicem precio, vel alio modo, vel aliquem officialem Communis Pistorii, seu aliquem de sua familia, vel berroarios, vel Priores, aut Vexilliferum Justitiæ, vel Camerarium Communis, aut aliquem eorum, ad pęnam librarum quinquaginta den. pro quolibet, & qualibet vice, habita, & considerata ratione delinquentium, & delicti secundùm providentiam regiminis. Et intelligatur corrupisse officialem quicunque dederit, vel solverit aliquid, quod sit prohibitum per formam Statutorum, & quicquid fieret in favorem talis dantis, sit ipso jure nullum. Et nulla persona audeat, vel præsumat inducere per se, vel alium aliquem Rectorem, & Officialem, aut aliquem de suprascriptis precio, præcibusve, vel alio quocunque modo, aut attentet, vel præsumat dare, vel donare, vel aliquid promittere, vel promitti facere per depositum, vel alium quemcunque modum contra honorem, vel officium ipsorum, vel alicujus eorum, & Communis Pistorii. Si quis autem contrafecerit, puniatur per Dominum Commissarium Pistorii pro qualibet vice in libris vigintiquinque, & plus, & minus, inspecta qualitate facti, & personarum, & perdat depositum.

De pęna extorquentis per violentiam. Rub. XXXXI.

ORdinamus, quod nulla persona extorqueat violenter alicui aliquid, & qui contrafecerit, puniatur in libris quinquaginta den.

De pœna vocantis aliquem ad judicium alterius Judicis. Rub. XXXXII.

STatutum, & ordinatum est, ad refrenandum malitias, & cavillationes plurium civium, comitatinorum, & districtualium Civitatis Pistorii, & di-

ſtrictus, qui trahebant de foro Civitatis Piſtorii cauſa vexandi, & deprimendi eoſdem cives, comitatinos, & diſtrictuales ad alium forum extra Iuriſdictionem Civitatis Piſtorii, ut ipſorum juribus privarentur, & exactiones facerent ab eis per tales Judices alterius jurisdictionis, ſub quorum examine ducebantur. Quod nulla perſona per ſe, vel alium ſuo nomine aliquam perſonam Civitatis, Comitatus, vel diſtrictus Piſtorii cujuſcunque conditionis exiſtat de Civitate, Comitatu, & Diſtrictu oriundam, vel habitantem ſtantem ad mandata Communis Piſtorii, poſſit trahere ad judicium pro aliqua cauſa, vel quęſtione civili, vel criminali, nec contra eam per aliquem Iudicem extra Civitatem, & diſtrictum Piſtorii, procedi poſſit pro aliqua cauſa civili, vel criminali, nec contra eam per aliquem in cauſis prædictis, aut coram aliquo, vel aliquibus Judicibus per aliquem Iudicem, vel Iudices extra Civitatem Piſtorii, vel de his, vel pro his, de quibus cognoſcere poſset, & poteſt D. Commiſſ. Civitatis Piſtorii, & quia prædictæ vocationes ad judicium, ut ſupra, fiunt ut plurimum per divites contra pauperes, & per volentes magnas expenſas fieri cõtra illos, qui vellent expenſis parcere; Ideo proviſum ſit, quod qui contrafecerit, facta fide per conventum, etiam per ſolam cedulam citatoriam; vel per quamcunque cedulam ſibi per nuncium dimiſſam, vel quovis alio modo, immediatè incidat ipſo jure in pœnam librarum ducentarum, applicandarum pro dimidia Cameræ Communis Piſtorii, & pro alia dimidia tali citato, & ad judicium tracto, & nihilominus talis contrafaciens, cadat à jure ſuo, in quam pœnam condemnetur talis contrafaciens, per quemlibet Rectorem Civitatis Piſtorii, ad quem haberetur recurſus, omni juris ſolemnitate omiſſa, ſub pœna librarum ducentarum tali Rectori requiſito, prædicta non obſervanti, applicanda pro dimidia Communi Florentiæ, & pro alia dimidia Cameræ Communis Piſtorii, de quibus ſyndicari debeat tempore ſui ſyndicatus.

De pœna ejus, qui vendiderit rem cauſa vexandi aliquem. *Rub.* XXXXIII.

SAncimus, quòd nulla perſona Civitatis, vel diſtrictus Piſtorii aliquo titulo alienet aliqua bona, res, ſive jura alicui non ſuppoſito in civilibus jurisdictioni Civitatis Piſtorii aliquo modo cauſa vexandi aliquem, ſeu citandi, vel trahendi aliquem civem Piſtorienſem, vel diſtrictualem extra jurisdictionem Communis Piſtorii, & qui contrafecerit, puniatur in libris vigintiquinque, quoties culpabilis fuerit. Et ſi qua perſona olim contrafecerit, vel faciet in futurum, alienatio non valeat ipſo jure, & nihilominus alienans cogatur ſummariè, & de facto ad reſarciendum damna, & expenſas, etiam nullo juris, vel ſtatutorum ordine ſervato, & regimen teneatur alienationem prædictam facere retractari, ſeu caſsari de facto, prout de facto proceſſit.

De pœna vendentis res plus una vice. *Rub.* XXXXIV.

ORdinamus, & ſtatuimus, quod nulla perſona vendat, vel quoquomodo, aut titulo alienet, vel in perpetuum concedat, vel locet in perpetuum ali-

alicui personæ, vel loco rem aliquam immobilem, quam alteri personæ vendiderit, alienaverit, in solutum concesserit, vel locaverit, sub pœna librarum ducentarum à contrafacienti vice qualibet incurrenda, & plus, & minus, inspecta qualitate rei venditæ, alienatæ, seu locatæ, & personæ, cujus pœnæ medietas sit Communis Pistorii, & reliqua sit secundi emptoris, & nihilominus dictus venditor, vel alienator teneatur restituere precium secundo emptori, & omne interesse, & damnum, quod inde sequeretur sine strepitu, & figura judicii. Et venditio, alienatio, locatio, vel concessio contra præsentia ordinamenta factæ hactenus, & quæ fierent in futurum, sint ipso jure nullæ, & pro nullis habeantur, & intelligantur, & hæc locum habeant in præteritis, & futuris.

De pœna petentis debitum jam solutum. Rub. XXXXV.

PRovisum, & ordinatum est, quòd si qua persona Civitatis Pistorii, vel districtus petierit quomodocunque coram aliquo Rectore, vel officiali Communis Pistorii aliquod debitum, quod sibi jam solutum fuerit, regimen teneatur eam condemnare ad favorem Communis Pistorii in duplum ejus, quod ipsa persona petebat. Si verò solutio debiti appareat per publicum Instrumentum, puniatur in libris centum den. si debitum petitum fuerit à libris quinquaginta infra, si verò ab inde supra, condemnetur in duplo debiti petiti, cujus pęnæ medietas sit Communis Pistorii, & altera medietas debitoris, & conventi. Quæ omnia procedant, & locum habeant in quocunque petente undecunque sit, & sive per se petat, sive per alium, & etiam in hæredibus.

De pœna creditoris non restituentis cartam debiti. Rub. XXXXVI.

SAncimus, quod quilibet mercator, vel mercatrix, & creditor, soluta sibi debiti quantitate, incontinenti teneatur restituere, & restitui facere suo debitori cartam debiti, si qua est, & ipsam cancellari facere ad voluntatem debitoris ipsius, & Notarius ipsam abbreviaturam cancellare teneatur ad voluntatem creditoris debiti, & apponere ibi annum, & diem, & facere ipsi debitori receputam de solutione, vel instrumentum quietationis ad voluntatem, & expensis debitoris. Et quilibet mercator, vel creditor contrafaciens, puniatur in aureis decem à regimine ad favorem Communis Pistorii quoties contrafecerit, & teneatur etiam sub eadem pœna mercator suam scriptam privatam cancellare, & idem intelligatur in omnibus aliis credentiis mutuis, & debitis ab omnibus, & singulis aliis personis, & Notarius teneatur tunc ipsam abbreviaturam cancellare.

De pœna adulterii, stupri, & incestus. Rub. XXXXVII.

PRovisum, & ordinatum est, quòd D. Commissarius, & ejus Judex, vel eorum Judices non possint, vel debeant contra aliquem hominem, vel mulie-

mulierem in quæſtione adulterii, vel ſtupri procedere per viam inquiſitionis, vel denunciationis, ſed per accuſationem tantùm, & accuſante marito, vel filio, vel fratre, vel patre mariti, vel mulieris, vel ipſis, aut altero ipſorum conſentientibus, per curiam procedatur, de quo conſenſu primo, & ante omnia appareat in actis Curiæ maleficiorum manu Notarii ad maleficia deputati, & non alia perſona ad prædicta admittatur. Et ſi accuſatio inſtitueretur per aliquam aliam perſonam, quam dictum ſit ſupra, accuſatio non ponatur, & non admittatur, & aliter, vel alia forma, vel modo in quæſtione adulterii non procedatur. Et quicunque commiſerit adulterium jacendo cum uxore aliena, ſeu vidua mulier, vel cum alia honeſta de Civitate Piſtorii, ſi contra voluntatem mulieris, puniatur in libris quingentis, ſi verò cum voluntate, in libris ducentis quinquaginta. In diſtrictualibus verò, in medietate pœnæ, & de voluntate mulieris poſſit inquiri, & fieri, & ejusdem mulieris ſtetur dicto uſque ad condemnationem. Si verò quis commiſerit ſtuprum cum virgine, incidat in pœnas ſupraſcriptas cum iſta tamen adiectione, quod ultra aliam pęnam, teneatur conſtituere, & dare ipſi virgini dotes convenientes ſecundùm ſtatum ipſius virginis. Si verò non fuerit habilis ad dotem cōſtituendam, ſi violenter commiſerit, intelligatur ipſo jure eſſe, & ſit confinatus, & relegatus in perpetuum extra Civitatem, Comitatum, & diſtrictum Piſtorii, & totius Imperii Florentini, ſub conditione, quòd ſi prædicta confinia non ſervaverit, intelligatur ipſo jure eſſe, & ſit incurſus in pęnam capitis; ſi verò non violenter, fuſtigetur, & amputetur ei auricula. Et ſi qua perſona commiſerit adulterium cum aliqua ſclava, fanteſca, vel hujuſmodi conditionis, condemnetur in libris decem, & ultra, uſque in vigintiquinque libris, inſpecta qualitate perſonarum, & culpæ, & hoc ſi fuerit de voluntate dictæ ſclavæ, fanteſchæ, vel hujuſmodi; ſi verò contra voluntatem, condemnetur in libris vigintiquinque, & uſque in libris centum, ad ad arbitrium regiminis, inſpecta qualitate perſonæ. Salvo quòd ſi fuerit publica meretrix, non incurrat in aliquam pęnam. Et ſi aliquis jacuerit cum aliqua ſerva, ſcilicet ſclava, & eam prægnantem fecerit, teneatur ſatisdare, & cogi poſſit, ad ſatisdandum de æſtimatione dictæ ſclavæ, reſtituenda domino, ſi ex hoc perierit dicta ſclava, ac etiam de reficiendis expenſis, & intereſse domino, quæ, & quas exinde ſuſtulerit arbitrio boni viri taxandis, & quod de coitu, & adulterio commiſſis cum dictis ſclavis, non poſſit cognoſci, niſi per accuſationem, vel ſaltem quęrelam domini, quandò præceſſerit de eorum voluntate.

De pœna non facientis confici inſtrumentum de conſenſu matrimoniali.
Rub. XXXXVIII.

STatuimus, quòd omnes, & ſingulæ perſonæ Civitatis, Comitatus, & diſtrictus Piſtorii, quæ contrahunt matrimonium, teneantur, & debeant facere fieri inſtrumentum publicum per publicum Tabellionem, de conſenſu matrimoniali utriuſq. conjugum, & contrafaciens puniatur in libris decem den. Cam. Communis Piſtorii applicandis.

De

De pœna Communitatis venientis contra aliam Communitatem.
Rub. XXXXIX.

STatuimus, quòd si Communitas alicujus Terræ nostri districtus venerit manibus armatis contra alteram Communitatem ejusdem Districtus, puniatur in libris centum den. ad favorem Communis Pistorii, si habet centum focos, & ultra, usq; ad ducentos, si verò habuerit ducentos focos, & ultra, puniatur in libris ducentis, si verò habuerit minus centum focis, puniatur pro rata dictæ pœnæ, & ulterius arbitrio D. Commissarii, inspecta qualitate facti, & personarum.

De improperiis non faciendis. Rub. L.

STatuimus, quòd regimen Civitatis Pistorii faciat bannire per præconem per Civitatem primo mense sui regiminis in die Sabbathi, quod non fiant alicui improperia de homicidiis, de pace fracta, vel de aliquibus vulneribus, & si contrafactum fuerit masculus de improperiis, maleficii, seu homicidii, vel pacis fractæ, puniatur in libris vigintiquinque, & ultra, usque in quinquaginta, inspecta qualitate personæ, facti, & loci. Si autem fœmina fuerit, quæ de homicidio fecerit improperium, puniatur in libris decem den. & de improperio vulneris, vel aliquo alio maleficio, puniatur in libris quinque, & hoc capitulum ipsum regimen faciat legere in suo consilio, quarum pœnarũ medietas sit Communis Pistorii, & altera accusatoris.

De pœna dicentis alicui villaniam. Rub. LI.

PRovisum est, quòd si quis dixerit alicui villaniam, gravem injuriam cõtinentem, Regimen teneatur invenire, si inde fuerit reclamatum, quod si invenerit, ei libras quatuor denariorum auferat, & etiam ultra usque in decem, inspecta qualitate personæ, loci, & temporis. Et prædicta non intelligantur habere locum in consanguineis, vendicent tamen sibi locum indicentibus veritatem in injuria illata; idem dicimus de mulieribus, excepto quòd non puniantur, nisi in libris quatuor den., & si non habuerint unde solvant, solvere teneatur maritus de dote sua, nisi apparuerit hoc dixisse causa compescendi, vel gastigandi aliquem, & dictum Regimen possit inquirere de omni villania, quæ dicitur alicui personæ in aliquo Palatio Communis Pistorii, & coram quocunque Rectore, seu Dominis Prioribus, vel aliquo Officiali, & ipsos delinquentes punire pœnis duplicatis.

De pœna offendentis Procuratorem, vel Advocaum Adversarii. Rub. LII.

ORdinamus, & statuimus, quod nullus audeat, vel præsumat offendere, vel offendi facere quoquomodo, dicto, vel facto aliquem, qui contra eum advocaret, vel procuraret in aliqua Curia alicujus Judicis, vel Officialis Communis Pistorii pro aliqua persona, sive loco, quod si contrafactum fuerit, puniatur qui contumeliam dixerit, vel minas intulerit per ipsum Iudicem,

vel

vel Officialem ex suo officio sibi per præsentem constitutionem attributo pęna librarum tercentarum, & ultra, inspecta qualitate causarum, & personarum. Si verò alibi fuerit facta offensio, dicto, vel opere, puniatur offendens pœna quadrupli, ultra pœnam librarum tercentarum, quam si alium offendisset, & intelligatur offensus Procurator, vel Advocatus contra offendentem, qui contra eum procuraret, vel advocaret, aut procuraverit, vel advocaverit, ita ut prædicta sibi locum vindicent omni tempore litis pendentis, & etiam post litem finitam per sex menses. Et prout dictum est facere teneatur Judex, vel Officialis, coram quo offensio, vel reclamatio facta fuerit, sub pęna librarum centum eidem imponenda per Syndicum, qui eum syndicabit.

De pœna ligantis alicui manus. Rub. LIII.

SI quis alicui civi ligaverit studiosè manus, puniatur in libris centum, & si civis hoc fecerit contra forensem, media pœna puniatur, & è converso forensis hoc faciens contra civem, media pœna puniatur, & plus, & minus arbitrio regiminis, & talibus non prosit pax ad evitandam pœnam, & excipimus latrones, fures, incendiarios, & vastatores, & illos qui in domo alterius reperiuntur, qui possint sine pœna ligari.

De pœna frangentis murum inter se, & vicinum suum. Rub. LIV.

STatuimus, quòd nulla persona Ecclesiastica, vel sæcularis de cętero audeat, vel præsumat per se, vel alium aliquo modo frangere, vel rumpere murum, quem habet, vel haberet communem cum vicino suo sine ejus consensu, sub pœna librarum quingentarum denariorum qualibet vice, qua contrafecerit.

De pœna cedentis, vel rumpentis murum, casam, vel columnam. Rub. LV.

SI quis devastaverit, vel ceciderit casam, vel trabem, vel columnam casæ alterius civis studiosè, vel rumperet murum, vel parietem casæ, damnum emendare teneatur, & debeat, & insuper puniatur in libris quinquaginta denariorum, & plus, & minus, sicut regimini videbitur, inspecta qualitate facti rerum, & personarum, cujus pęnæ medietas sit illius, cui fuerit cæsa, vel devastata, vel rupta casa, vel paries, vel res ex prædictis, & altera medietas Communis.

De pœna displantantis cigliare, sepem, vel terminos amoventis. Rub. LVI.

QUicunque explantaverit, vel inciderit cigliare de campo alterius, vel terminos amoverit, vel sæpem, vel sæpes inciderit, vel fregerit sæpem, vel claudendam steccharum, vel parietem, seu aliam rem aptam ad clausuram alicujus campi, possessionis, vel prædii Civitatis Pistorii, vel vinearum, vel horti,

horti, vel fossum commune, inter se, & suum vicinum miserit sine licentia ipsius vicini, condemnetur in scutos vigintiquinque, & relegetur per sex menses in carceribus Stincarum Civitatis Pistorii, si erit habilis ad officia; & quoad comitatinos, & inhabiles ad officia, in scutos 10. & mittentur; & prędictæ pœnæ locum habeant in causis amotionis terminorum: verum quoad sæpes, & cigliaria, si quis ea combusserit, puniatur in lib. 25. denar. Si verò aliquis repleverit foveam communem inter se, & vicinum sine ejus licentia, incidat in pœnam librarum vigintiquinque den. & si justè fuerit reclamatum, Regimen, ultra dictas pœnas condemnet talem delinquentem, seu delinquentes ad relevandum cigliare, terminos reponendum, & foveam excavandum, & in pristinum statum omnia reducendum infra octo dies, nisi hi, qui hoc fecerint, haberent jus eundi per campum, cujus cigliare displanatum fuerit, & præsumatur foveam misisse eum, in cujus campo terra foveæ inveniretur sine alia probatione, salvis aliis majoribus pœnis, & salvo quòd si quis explanaverit cigliare, aut aliquod ex prædictis fecerit de commissione, vel mandato alicujus Officialis Communis Pistorii, non incidat in aliquam pœnam, & conquærens de prædictis non audiatur.

De pœna tenentis aliquas possessiones sine licentia. Rub. LVII.

ORdinamus, quòd nulla persona Civitatis, vel districtus Pistorii laboret, vel laborare faciat, vel comparet, vel aliquo titulo accipiat, vel teneat terras, & possessiones aliquas Communis Pistorii sine consensu, & voluntate Communis, & persona contrafaciens, puniatur in libris decem den. & fructus ex ipso laborerio sint Communis Pistorii. Et contractus, vel alienatio facta, vel factus de rebus prædictis, sit ipso jure nullus, vel nulla, & nemo faciat cōtra prædicta, & regimen teneatur facere hoc banniri bis ad minus toto tempore sui regiminis. Quæ omnia intelligantur habere locum in possessionibus, & bonis particularium personarum in omnibus, & per omnia.

De pœna turbantis possessionem alicujus. Rub. LVIII.

STatutum, & ordinatum est, quòd nulla persona audeat, vel præsumat turbare possessionem alicujus, videlicet domum, vel aliam possessionem & si quis contrafecerit, puniatur per regimen Civitatis Pistorii in libris ducentis denariorum ad favorem Communis Pistorii pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit. Quam pœnam si non solverit infra unum mensem a die factæ condemnationis, & non dimiserit possessionem domino, in dicto casu ex nunc; prout ex tunc, & è converso intelligatur esse, & si cessans, & fugitivus cum omnibus, & singulis præjudiciis, & oneribus impositis cessantibus per quæcunque ordinamenta Communis Florentiæ, tam edita, quàm edenda. Et quia causa contenta in statuto est mixta, liceat in dictis causis appellare, ac etiam in causis, de quibus loquitur statutum in subsequenti Rubrica.

De pœna ejus, qui interdixerit alicui laborerium, vel habitationem domus propria auctoritate. Rub. LIX.

STatutum, & ordinatum est, quòd aliqua persona non audeat, vel præsumat interdicere propria auctoritate alicui aliquod laborerium terræ, vel habitationem alicujus possessionis, domus, vel rei, & bonorum, quæ, & quam, seu quas non possideat, & si quis contrafecerit, puniatur pro qualibet vice in libris quadringentis, quam pęnam si non solverit infra decem dies, intelligatur esse, & sit relegatus extra districtum Pistorii per decennium, & si dicta confinia non servaverit, & ea ruperit, censeatur incursus in pœnam capitis, possit tamen mitiùs condemnari per Rectorem cognitionem habentem, inspecta qualitate personæ, & facti.

De pœna ludentis. Rub. LX.

STatuimus, & ordinamus, quòd quicunque in Civitate Pistorii, vel ejus districtu luserit ad aliquem ludum taxillorum, & excepto, quàm ad tabulas, & scacchos, palam, & in aperto ad aliquem ludum cartarum, excepto ludo, qui dicitur *La diritta, & triumphi*, incidat in pœnam librarum quinque. Si verò aliquis luserit secretò in aliqua domo, seu loco ad aliquem suprascriptorum ludorum, taxillorum, & cartarum vetitorum, puniatur pœna librarum quinquaginta pro quolibet, & qualibet vice. Retinens verò ludum in sua domo, apotheca, vel alio loco, puniatur pęna librarum centum. Et intelligatur retinere ludum, qui patitur quem ludere in sua domo, apotheca, vel alio loco, propria, vel conducta, quarum omnium suprascriptarum pęnarum, quarta pars sit Rectoris eas exigentis, quarta sit accusatoris, vel denunciatoris, cui teneatur secretum, si ei placuerit, & reliqua medietas sit Communis Pistorii. Et quilibet Rector Civitatis, & Districtus Pistorii, possit procedere per viam accusationis, & inquisitionis, & ex his quærere veritatem, & sit plena probatio unus testis omni exceptione major. Et quòd aliquis luserit in aperto, credatur duobus de familia Rectoris cum juramento, & eorum relationi stetur. Qui autem mutuaverit aliquam quantitatem pecuniæ ludentibus palam, vel secretò, puniatur pęna librarum decem den. & nihilominus pecuniam mutuatam perdat, & ad probandum quem mutuasse in ludo, sufficiat testimonium ejus, cui mutuata fuit pecunia cum uno alio teste. Stantes verò ad videndum aliquos ludere ad aliquem dictorum ludorum vetitorum, condemnentur in libris quatuor pro quolibet eorum, quæ omnes pęnæ applicentur ut supra. Item si apparuerint aliqua indicia unum, vel plura, quòd aliquis luserit ad aliquem ludum prohibitum, puta sextarum, tabularum, vel taxillorum, vel aliquod aliud indicium apparuerit, puniatur inventus in libris quatuor, & etiam ille, in cujus loco fuerit inventus, i ilibris quatuor pro quolibet, & qualibet vice, ut supra applicandis. Et de ludo non reddatur jus aliquod, nec alicui solventi pro ludentibus, nec mutuanti ludentibus, salvo quod de ludo tabularum possit reddi jus, usque in libris quinque den. Et si aliquis de lu-

de lusoribus denunciaverit infra viginti quatuor horas, alicui Rectori Civitatis Pistorii omnes, qui secum luserint Talis modo prædicto, denuncians, sit impunis, & non possit condemnari, vel puniri.

Quod Iudex D. Commissarii non præbeat consilium. Rub. LXI.

CEnsemus, quod Iudex Domini Commissarii, vel alius Iudex forensis Cõmunis Pistorii teneatur sacramento non dare, vel præbere consilium in aliqua causa, vel quæstione vertente inter personas, loca Civitatis Pistorii, vel districtus, sub pęna librarum decem den. pro quolibet, & qualibet vice, per Syndicum ei de suo salario auferenda, quandò syndicabitur.

Quòd nullus Advocatus, vel Procurator alleget aliquid contra Communitatem Pistorii. Rub. LXII.

ORdinamus, quòd quicunque Advocatus, vel Procurator allegaverit, vel dixerit aliquid contra jurisdictionem Cõmunis Pistorii, vel Communis Florentiæ, quæ nunc est, fuit, vel fuerit, in aliquo, ad diminutionem jurisdictionis, vel jurium Communis Pistorii, si prædicta opposuerit, dixerit, vel allegaverit, condemnetur in libris centum den. & in tali allegatione, diminutione, vel oppositione, non audiatur, vel admittatur.

De eo, qui præstiterit patrocinium alicui extra Districtum Pistorii. Rub. LXIII.

STatuimus, quòd nullus Judex, vel laica persona audeat, vel præsumat advocare, seu patrocinium præstare alicui personæ forensi extra Districtum Pistorii contra Commune Pistorii, nec contra Commune, & jurisdictionem Florentiæ, & Iudex, & Notarius, qui contrafecerit, puniatur in libris vigintiquinque quoties contrafactum fuerit. Quæ omnia intelligantur lócum habere, si talis persona non habuerit licentiam à D. Commissario, vel Prioribus, & Vexillifero justitiæ Civitatis Pistorii pro tempore existentibus.

De pęna Spetiariorum committentium fraudem in arte sua. Rub. LXIV.

QUoniam pro conservatione vitæ humanæ necessarium est, quòd medicinalia à Spetiariis, & Aromatariis administrentur, & fiant illius bonitatis, & qualitatis, quæ ab eximiis medicinæ professoribus instituta, & ordinata reperiuntur; Propterea observentur leges, & ordines Spetiariorum Civitatis Florentiæ; Possint tamen Taræ dictorum Spetiariorum fieri in Curia Domini Commissarii per ejus Dominum Judicem, qui teneatur cogere partes ad eligendum Taratores peritos, de dicta Arte unum pro qualibet parte, & secundùm eorum relationem facere Taram.

De pęna Aurificum. Rub. LXV.

PRovisum, & ordinatum est, quòd quilibet Aurifex Civitatis Pistorii teneatur, & debeat suam artem benè, & legaliter exercere, & fabricare argẽtum,

tum, ut dicitur *a lega* uti Aurifices Florentiæ, videlicet, in qualibet libra argēti sint decem unciæ, & unum quartum boni, & puri argenti, sub pęna librarum viginti denariorum per Regimen Civitatis Pistorii; si una vice deliquerit, & si pluribus vicibus deliquerit, simili modo in libris centum denariorum condemnetur, & cassetur de arte. Et Regimen teneatur, & debeat ad minus bis quolibet mense perquirere, & investigare, & perquiri facere, & scrutari laboreria prædictorum Aurificum, & apothecas eorum, & delinquentes condemnare, & quilibet possit esse accusator, & denunciator, & habeat medietatem condemnationis; Et teneantur etiam dicti Aurifices dare Magistratui Operariorum Sancti Jacobi Civitatis Pistorii notam sigilli, quo imprimere debeant, & signare omnia eorum opera de cętero per eos facienda, sub pęna scutorum vigintiquinque, & falsi, & qui non fuerit descriptus, & non consignaverit sigillum, ut supra, non possit talem artem exercere, neque vendere, nec retinere res ad dictam artem pertinentes, sub eadem pœna.

Quòd Lanistæ non immisceant pilum bovis, vel cimaturam. Rub. LXVI.

STatuimus, quòd Lanarii in Civitate, & districtu Pistorii facientes, seu fieri facientes pannos, ipsos pannos conficere de Lana pura teneantur, sine alia mistura pili bovis, tonsuræ, vel cimaturæ aliorum pannorum, vel alterius misturæ, sub pęna libratum centum denar. contrafacienti, vice qualibet incurrenda, & quilibet possit accusare contrafacientes, cujus pęnę medietas sit Cōmunis, & reliqua accusatoris, vel denunciatoris, & Provisor Artis Lanæ debeat eligi per DD. Priores, & Vexilliferum Justitiæ, & duodecim Cives de Collegio Civitatis Pistorii, prout usque adhuc observatum fuit.

De pœna vendentis panes minores recto pondere. Rub. LXVII.

CUM per ordines, & capitula Sancti Jacobi aliàs approbata optimè provideatur, & continuè sint in usu, & observentur per Operarios Sancti Jacobi cognitionem habentes de transgressionibus similibus in quolibet casu, ideo de hac re non necesse habemus alia dicere.

De pęna committentis aliquam falsitatem in mercatura, vel arte. Rub. LXVIII.

SI qua persona commiserit aliquam falsitatem in mercatura, vel arte, puniatur per regimen Civitatis Pistorii suo arbitrio, inspecta qualitate personæ, rei, & facti.

De pœna facientis falsam accusationem. Rub. LXIX.

AD evitandum accusationes non veras, quæ sæpè valde malitiosè fiunt, statutum, & ordinatum est, quòd si aliqua persona Civitatis, vel districtus Pistorii accusaverit aliquam personam de aliqua falsitate, quam dice-

ret,

ret, vel proponeret accuſatum feciſſe, vel commiſiſse, vel fieri, aut committi feciſſe, & accuſationem non probaverit, talis accuſans, vel proponens, & non probans accuſationem, debeat condemnari in libris centum den. dandis, & ſolvendis Camerario Cōmunis Piſtorii pro ipſo Communi recipienti per Rectorem, coram quo accuſatio eſſet inſtituta, ſeu ſucceſsorem ipſius, in abſolutione, quæ fiet de tali accuſato, ſi ex contentis in accuſatione, quæ ſi probata extitiſſet, debuiſset imponi pęna ſanguinis accuſato, ſi verò non debuiſset imponi pęna ſanguinis, talis accuſans, & non probans accuſationem, debeat condemnari per talem Rectorē, vel ſucceſsorem in libris quinquaginta. Et nulla accuſatio falſitatis recipiatur per Rectorē, vel Judicem aliquem Civitatis Piſtorii, niſi primò accuſator fidejuſserit de libris centum den. per fidejuſsores approbatos per approbatores Communis Piſtorii; & in eorum defectum, per Camerarium Communis Piſtorii. Er regimen Civitatis Piſtorii ex ſuo, ſuæque curiæ officio, prout eidem videbitur, & placebit, de quibuſcunque falſitatibus inquirere, & inquiſitionem facere, & ſuper ipſis procedere, & repertos culpabiles, punire, & condemnare poſſit, teneatur, & debeat ſecundùm formam Statutorum reformationum, vel ordinamentorum Civitatis Piſtorii de prædictis loquentium, & inſuper in quolibet caſu prædictorum accuſans, & non probans accuſationem, debeat condemnari per dictum Rectorem, vel ejus ſucceſſorem in expenſis, ita tamen quòd per prædicta in nullo derogetur Statuto loquenti in teſtibus, & de teſtibus, quæ firma remaneant, & in omnibus dictum Statutum obſervetur. Et quantum ad prædicta, intelligantur falſitates ſolùm eæ, quæ continentur in Capitulo Legis Corneliæ de falſis.

De Domibus non deſtruendis. Rub. LXX.

CUM propter deſtructionem Domorum, & ædificiorum olim factam in Civit. Piſtorii, ipſa Civitas ſit enormiter deformata, & ex ipſa deſtructione magna incommoditas domorum ſequatur. Idcirco ad evidentem utilitatem, & decorem Civitatis prædictæ, ſtatutum, & ordinatum eſt, quòd de cętero nulla domus, nullumque ædificium occaſione alicujus maleficii, banni, condemnationis, rebellionis, vel alia quacunque de cauſa poſſit, vel debeat deſtrui modo aliquo, vel devaſtari, lædi, vel dirui per quemcunque Rectorem, aut officialem Communis Piſtorii, vel eorum mandato. Sed in eo caſu, in quo deſtrui, vel devaſtari ſolitum fuerit, confiſcentur, & applicentur modo, & forma tradita ſupra in Rubrica *Qualiter bona homicidarum debeant confiſcari*, & pro ipſo Communi Piſtorii (cui applicentur, ut in dicto Statuto dicitur) debeant locari, dummodo non locentur manifeſto inimico conſortium ejus, vel eorum, cujus, vel quorum fuerit, & erat talis domus.

De oblatione carceratorum. Rub. LXXI.

QUantum attinet ad oblationem carceratorum, obſervetur reformatio in materia loquens.

Quòd

Quod nullus contendat de aliqua parte, vel factione. Rub. LXXII.

UNitatem civium cupientes, statuimus, nulli licere in Civitate Pistorii, vel ejus Districtu, & montanea de parte Panciaticorum, vel Cancellariorum contendere, nec de aliquibus similibus partibus quocunque nomine censeantur, nec aliquem de una, vel alia parte vocare, vel appellare. Et contrafacientes si fuerint cives, vel habitantes in Civitate Pistorii relegentur pro qualibet vice extra d. Civitatem per duos menses: Comitatini verò, districtuales,& incolæ montaneæ ponãtur in carceribus,& intra carceres Communis Pistorii, & subjiciantur aliis pœnis arbitrio Suæ Celsitudinis, inspecta qualitate personarum, & re; super quibus talem allegationem facerent.


De pœna usurpantium nomina, cognomina, & insignia alienarum familiarum. Rub. LXXIII.

TEmeritati eorum, qui propria auctoritate alienarum familiarum nomina, cognomina, & insignia sibi adscribunt, volentes providere, statuimus, & ordinamus, quod in futurum qui prædicta facere præsumpserint, puniãtur in pœnam scutorum centum applicandam pro dimidia Cameræ, & Fisco Communis Pistorii, pro quarta parte Rectori exigenti, & pro quarta parte accusatori. Prædicta verò locum non habeant, si major pars illorum de familia, quam aliquis sibi adscripserit, suum præstiterit consensum.

Explicit Liber Quintus.



LIBER



LIBER SEXTUS STATUTORUM PISTORII



Qui sint Judices competentes in causis Damnorum datorum. Rub. I.



Tatutum, & ordinatum est, quòd in futurum Judices Damnorum Datorum, tam in Civitate Pistorii, quàm Comitatu, & Districtu in bonis civium, & habitantium in dicta Civitate, seu Comitatu, & Districtu, sint, & esse intelligantur Dominus Commissarius Civitatis Pistorii, & Officialis, seu Notarius Damnorum Datorum specialiter deputatus, & quilibet eorum in solidum, & inter eos habeat locum præventio, & prædicta in futurum observentur, non obstantibus quibuscumque provisionibus, & ordinationibus in contrarium disponentibus, & undecunque emanatis, quibus per prædicta intelligatur, & sit in omnibus, & per omnia derogatum, non tamen intelligatur derogatum jurisdictioni Magistratus Dominorum Officialium Fluminum, & Viarum, coram quo, ut disponitur in ejus capitulis, proponi possint accusationes in materia ad ejus officium pertinente, quæ item proponi possint coram D. Commissario, & Officiali Damnorum Datorum, inter quos habeat locum præventio.

De officio, & jurisdictione Iudicum Damnorum datorum. Rub. II.

STatutum, & ordinatum est, quòd quilibet officialis Damnorum datorum possit, & debeat punire, & condemnare per viam accusationis, inquisitionis, & denunciationis omnes, & singulas personas, quæ puniri, seu condemnari deberent secundùm formam Statutorum Pistorii causa, & occasione Damnorum datorum in bonis, & super bonis, de quibus in præcedenti Statuto, & easdem personas accusatas, inquisitas, sive denunciatas non culpabiles repertas absolvere. Quas causas teneatur, & debeat terminare, & diffinire per condemnationem, & absolutionem contra inquisitos, accusatos, seu denun-

nunciatos infra tempus, & terminum nonaginta dierum currentium à die executæ notificationis, quo termino elapso, nisi per partes fuerit dicta instantia prorogata, non possit, nec valeat dictus officialis amplius quoad refectionem damnorum; quo verò ad pęnam fiscalem, possit quandocunque condemnare, vel absolvere, & quilibet officialis Damnorum datorum quolibet anno teneatur reponere in Cancellaria Communis Pistorii omnes processus, scripturas, libros, & omnia, & singula acta pertinentia ad dictum officium Damnorum datorum, ad effectum, ut semper illa conserventur, & videri possint, sub pęna, contrafacienti, librarum ducentarum pro qualibet vice, applicanda pro dimidia Communi Pistorii, pro quarta parte accusatori, quando per viam accusationis, sive denunciationis fuerit processum, & pro reliqua Rectori exigenti. Si verò per viam inquisitionis processum fuerit, applicari debeat dicta pęna pro dimidia dictæ Cameræ, pro alia dimidia Rectori exigenti. Et quilibet officialis Damnorum datorum, teneatur mittere ad Cameram Cõmunis Pistorii copiam substantiæ cujuslibet accusationis, inquisitionis, vel denunciationis, per quam imponitur pęna librarum quinque, & ab inde supra. Et teneatur etiam extrahi permittere, & copiari processum accusationis, denunciationis, & inquisitionis ad petitionem cujuscunque petentis, etiam si sua non interesset, & etiam teneatur citare inculpatum cum cedula continente substantiam maleficii, & eidem cedulam transmittere.

De modo procedendi per Officiales Damnorum datorum. Rub. III.

STatutum, & ordinatum est, quòd dictus Officialis, seu Notarius teneatur, & obligatus sit in qualibet accusatione, denunciatione, & inquisitione de aliquo damno, apponere diem, annum, & mensem, quo data, facta, & recepta fuerit, & deinde procedere ad citationes, & alios actus, prout Iuris fuerit, & infra tempus nonaginta dierum currentium à die citationis, negantem; confessum verò infra tempus triginta dierum, & contumacem infra sexaginta dies, condemnare, vel absolvere, secundùm quod juris fuerit in pęnis Statutorum, & damni emendationem, quam specificare, & declarare debeat, si sibi constet, & probata fuerit qualitas, sin autem ad minus in genere dicendo in tantam pęnam, & ad emendationem damni; Quas quidem condemnationes, & absolutiones dictus officialis, seu Notarius specialiter deputatus, teneatur, & debeat infra tempus prædictum facere, & legere in Palatio solitæ residentiæ Dominorum Priorum, & in eorum præsentia, seu saltem duorum ex eorum officio, & in præsentia Notarii Cameræ Communis Pistorii, cui Notario Cameræ dictus officialis teneatur, & debeat tradere copiam legendorum, & condemnandorum per eum; & facta condemnatione, ipse Notarius Cameræ teneatur dictam copiam porrare Cancellario Communis Pistorii, qui diem apponat in eis, quo tales condemnationes, vel absolutiones factæ, & lectæ fuerint, quo non impleto, dictus Officialis, & Notarius incurrat in pęnam librarum decem pro qualibet accusatione, inquisitione, & denũciatione, applicanda pro dimidia Cameræ, pro quarta parte accusatori, pro reli-

reliqua Rectori exigenti, & ad manus Camerarii Communis Pistorii eam venire facienti; & casu quo dicti Domini Priores, vel eorum loco subrogati, vel saltem duo ex eis, ut supra, ac etiam dictus Notarius Cameræ nollet adesse dictis legendis condemnationibus, facta notificatione eis per se, vel famulos Palatii ad ejus instantiam, vel per alium, saltem una die pro alia (in qua notificatione contineatur, qualiter ipse vult legere condemnationes, & qua die, & hora) incidant in pœnam librarum decem pro quolibet eorum, tam dicti Domini Priores, & eorum subrogati, quàm Notarius Cameræ; & nihilominus dictus Officialis, & Notarius, vocatis testibus, possit, & debeat in Palatio prædicto legere dictas condemnationes, seu absolutiones, sub dictis pœnis. In quibus causis, quæ coram dicto Officiali ventilabuntur, liceat cuilibet parti petere, sententiari cum voto Assessoris eligendi, juxta formam Statutorum, cum salario librarum deponēdarum per utramque partem, juxta formam prædictam. Declarantes, quòd de damnis datis, & contra transgressores Damnorum datorum, non possit accusari, nisi infra tres menses à die damni dati, & transgressionis factæ occasione damnorum datorum; Statuentes quoque, quod quilibet inquisitus, denunciatus, vel accusatus de Damno dato, si quandocunque ante condemnationem obtinuerit pacem ab accusatore, & de ea penès acta, ubi causa prædicta pendet, docuerit per publicam, aut privatam scripturam scriptam manu accusantis, vel alterius ejus nomine, si scribere ignoraverit, liberetur ab omni pęna, & condemnatione, in qua condemnandus veniret occasione præfati damni dati; Si verò obtinuerit pacem post condemnationem, liberetur ab omni pęna corporali, occasione prædicti damni dati ipsi imposita, & à tribus partibus condemnationis pecuniariæ; possitque eadem persona potiri beneficio dictæ pacis pro duabus vicibus juxta Reformationem damnorum datorum anni 1581. describendam in fine Statutorum, quæ pro statuto habeatur. Declarantes etiam, quòd quilibet Officialis teneatur punire, & condemnare delinquentes, & damnum dantes, secundùm dispositionem Statutorum Civitatis Pistorii, & ubi Statuta præfata non loquerentur, procedatur de similibus ad similia, & ubi Statuta, sive casus similes deessent secundùm dispositionem Juris Communis. Officialis damnorum datorũ teneatur parere Magnificis Dominis, & Vexillifero, & qualibet vice, qua una die pro alia fuerit sibi intimatum, teneatur eos associare quandò exeunt è Palatio collegialiter, sub pęna librarum duarum pro qualibet vice, qua deficiet, applicanda ornamento Palatii dictorum Dominorum, & de intimatione facta stetur relationi Domicelli, & Massarius Communis pro tempore existens teneatur adnotare, & appuntare dictum officialem, & consignare notam Camerario generali Communis Pistorii, qui teneatur retinere dicta puncta de ejus salario, & describere in creditum Palatii in libro renunciationum officiorum, ad ornamentum ipsius.

Quæ probationes requirantur in causis Damnorum datorum. Rub. IV.

STatutum, & ordinatum est, quòd ad probandum damna data fuisse, de quibus in Reformatione Damnorum datorum anni 1581. requirantur

probationes expressæ in dicta Reformatione, quæ inserta est in fine Statutorum. Declarantes, quòd post præsentationem, & relaxationem pignoris ablati damnum dantium quomodocunque factam Officiali, seu Iudici Damnorum datorum, teneatur idem Judex dicta pignora, sive sint in bestiis, sive in aliis rebus consignari facere Camerario pignorum gravatorum Civitatis Pistorii, qui consequi debeat eadem emolumenta, quæ habet ex bestiis, & rebus gravatis. Et hæc pignora dictus Camerarius restituere non possit, sine licentia in scriptis illius Judicis, coram quo causa præfata pendet.

De pœnis imponendis Damnum dantibus. Rub. V.

STatutum, & ordinatum est, quòd quælibet persona cujuscunque gradus, sexus, & conditionis existat, quæ in futurum per se, vel alios de ejus familia damnum dabit, vel dari faciet in quocunque loco, prædio, & bonis existentibus in Civitate, & Comitatu Pistorii, ultra emendationem Damni (in qua semper quomodolibet damnum dantes vigore præsentis Statuti condemnati censeantur, etiam quandò in aliis Statutis loquẽtibus de pęnis impositis damnum dantibus de ea non fieret mentio) incidat in pęnam de qua habetur in Reformatione Damnorum datorum anni 1581. Declarantes etiam, quòd si aliquis ex laborantibus, aut stantibus ad laborandum ad fornacem, vel aliquod molendinum, dederit damnum in aliquibus terris, seu possessionibus Civitatis, & Comitatus Pistorii tempore, quo stabit ad dictum laborerium de die, vel de nocte, & fuerit condemnatus, & condemnationem de eo factam non solverit infra tempus à Statuto concessum, talis fornaciarius, & Molendinarius, & tenens fornacem, seu molendinum, teneatur, & debeat solvere condemnationem de tali suo laboratore factam, & cogi possit ad dictam condemnationem solvendam per officialem prædictum, & ad emendationem damni.

De Damnis datis per incisionem, furtum, devastationem, & incendium. Rub. VI.

SAncimus, quòd si alicui personæ, collegio, capitulo, universitati, monasterio, vel loco fuerit facta incisio, vel incendium, vel devastatio aliqua, vel blada ablata, vel aliqua alia res de campis, seu claudendis, vineis, silvis, & nemoribus, domibus, stabulis, & capannis ab aliqua persona, officialis super damnis datis, cognita veritate super hoc, teneatur facere emendare damnum in duplum à communitate illius terræ, in cujus territorio facta fuerint, & quod talis Communitas, vel Villa, possit dę prædictis accusari, & condemnari ad emendationem prædictam solvendam infra decem dies. Et si Communitas non esset in ejus territorio, in quo damnum fieret, emendetur tale damnum à Communitate propinquiori illi tali loco, ubi damnum datum esset, salvo, quòd si dictum incendium, damnum, vel furtum fuerint in aliqua possessione sita in territorio alicujus villæ, vicinantiæ, seu contratæ, quæ faceret homines facientes octo focos, teneatur ad emendationem talis damni, illa Villa,
vici-

vicinantia, seu contrata. Sed si persona, quæ fecerit damnum, fuerit inventa, & haberi poterit in fortia communis Pistorii, cogat eam emendare damnum,& insuper in eadem pœna condemnentur ad opus communis Pistorii, & sit semper in banno Civitatis,donec damnum emendaverit,& pęnam solverit. Sed si persona dans damnum, haberi non poterit in fortiam Regiminis, emendetur damnum, & furtum à Communitate illius terræ, in cujus territorio damnum datum esset,vel à propinquiori,ut supra dictum est. Verumtamen, si qua persona inventa est, vel fuerit super hoc in fraudem, videlicet, quòd ipsa fecerit sibi ipsi, vel mandaverit sibi fieri damnum,puniatur arbitrio Regiminis ad favorem communis Pistorii, & restituat emendationē in duplum una cum expensis, & eadem pęna Communi Pistorii, quam inde receperit. Et dicimus quod postquam damnum fuerit emendatum, liceat illi Communitati, quæ damnum emendaverit, invenire damnum dantem, & inventum capere per se, vel per alium sine pœna,& ipsum ducere in fortiam Communis Pistorii, nisi fuerit in concordia cum ipsa Communitate, qui detineatur, donec fuerit satisfactum ipsi Communitati. Et quòd camparii illius terræ, & cōmunitatis facientis octo focos, casu quo ipsa communitas non reperiret malefactorem, ut supra, ipsi camparii teneantur emendare tale damnum ipsi communitati, vel loco,arbitrio tamen Rectoris, seu regiminis. Et nullus Pastor, nec aliqua alia persona cujuscunque conditionis,vel status existat, audeat, vel præsumat mittere, vel mitti facere, vel accendere, vel accendi facere ignem in aliqua silva, vel nemore, prato, vinea, vel horto, vel in sepibus dictorum locorum, etiam si essent dicta bona propria, pœna contrafacienti librarum centum den. quam pœnam solvere teneatur infra decem dies à die latæ sententię, vel condemnationis, quas si non solveret infra dictū terminum, si tunc esset in fortiam Communis, vel si non esset, infra decem dies postquam fuerit in fortiam, manus dextera ei amputetur ad locum justitiæ. Et Commune, in cujus territorio fuerit immissus ignis, si inventus non fuerit mittens ignem, etiam condemnetur solùm ad emendationē damni faciendam per dictum Commune, & homines illius Communitatis illi, cui damnum datum fuerit (salvo quòd tempore rasicciarum quilibet possit suam rasicciam ardere, & ardi facere)& si ignis damnum causaverit aliquo casu, etiam fortuito, talis mittens teneatur ad emendationem damni dupli, damnum passo, & semper dicta condemnatio fiat de dictis Communitatibus per officialem, tam pœnæ fustigationis, quàm prædictarum. Hoc semper declarato, quòd contra communitates agi non possit pro emendatione damni, nisi accusatio, vel reclamatio fuerit data de mense dicti dati damni, vel per duos menses immediatè sequentes. Et si Communitas denominaverit malefactorē, & non probaverit ipsum dedisse damnum secundùm formam Statutorum, ipsa Communitas teneatur ad emendationem damni. Et quandò non procederetur ad probandum damnum, sed ad æstimationem damni, in omni casu æstimationis faciendæ, fiat ipsa æstimatio per unum eligendum per accusantem, & unum per accusatum, vel Communitatem accusatam, & in casu discordiæ, per unum tertium eligendum, mediantibus scriptis, dando quælibet

partium unam listam decem personarum, & quælibet dictarum partium eligat unum de lista alterius partis, & è converso, qui sic electi, sorte mittantur, & sorte extractus, cum duobus electis judicet tale damnum, à quorũ judicio non possit appellari à libris triginta infra. Et quatenus quis recusaret eligere pro sua parte, vel dare listam, & prædicta non observaret, & ita esset contumax, tunc regimen in ejus defectum, legitimè tamen dupla eo citatione citatus sub diversis diebus eligat æstimatorem, & in casu discordiæ, loco talis non observantis faciat scriptam, & procedatur modo superius dicto, sub pœna librarum vigintiquinque denar. pro quolibet, & qualibet vice non judicaverit, ut supra. Hoc declarato, quod civibus, & habitantibus in Civitate Pistorii credatur de damno dato, usque in æstimationem librarum quatuor den. & ab inde infra, jurantibus tamen de visu, & qua die. Et nullus possit eadem die dare uni personæ, nisi unam accusationem, adeo quod omnes accusationes, quas darent eadem die, habeantur tantùm pro una accusatione, & quod pro emendatione damni dati, & contra dantes damnum possit exequi qualibet die, non obstantibus feriis, & diebus publici mercati.

De Bestiis grossis, & minutis damnum dantibus. Rub. VII.

SI Bos, vel Vaccha, Equus, vel Equa, Asinus, vel Asina, Mulus, vel Mula Porcus cujuscunq. qualitatis, dederint alicui personæ, vel loco in aliqua re, damnum puniantur, & condemnentur Domini dictarum bestiarum, vel alicujus earum in solidis viginti denariorum pro qualibet bestia quoties contrafecerint. Et si Pecus, vel Aries, vel Vervex, sive Agnus, dederit damnum in prædictis rebus, puniatur Dominus dictarum bestiarum pro quolibet capite in solidis viginti denariorum. Salvo quòd prædicta pęna locum non habeat in pratis, in quibus observetur dispositio Statuti sequentis. Et dictus Dominus bestiarum intelligatur ille, qui dictas bestias teneret, & intelligatur bestiam esse illius, cujus famulus fuerit custos; possint etiam dictæ bestiæ detineri per duos dies, & duci in fortiam Communis Pistori per eum, cui damnum datum esset, vel aliquem de sua familia, vel per camparios. Si verò dictæ bestiæ damnum dederint in silvis, castanetis, & quercubus, seu quercetis, & nemoribus Cæduis puniatur pro qualibet bestia, & qualibet vice in solidos decem denar. & ad emendationem damni. Et coloni, & laboratores terrarum, & etiam detinentes terram ad laborandum, vel ad affictum, teneantur ad pœnas prædictas, si eorum bestiæ damnum dederint.

De Bestiis grossis, & minutis damnum dantibus in Pratis. Rub. VIII.

SAncimus, quòd si aliqua bestia grossa, vel minuta, vel Porcus, vel Troja intraverit, & damnum dederit in aliquo prato à die prima Martii usque ad tempus, quo fœnum fuerit secatum, & de eo extractum in eo anno; sivè per unam, sive per duas vices solitum fuerit tale pratum secari, puniatur Dominus bestiæ in libra una pro qualibet bestia grossa, & in solidis decem pro singu-

fingula beftia minuta ; & intelligatur etiam beftia grofsa Porcus, & Troja. De his autem, quæ extra dicta tempora fuerint in prædictis pratis commiffa, non poffit aliquo modo fieri punitio, firmis tamen manentibus, quæ dicta funt in præcedenti capitulo.

De mercede, feu dirictu accipiendo per Officiales Damnorum Datorum. Rub. IX.

STatutum, & ordinatum eft, quòd Officialis, feu Notarius Damnorum Datorum fpecialiter deputatus, confequatur falaria defcripta in Reformatione anni 1581. nec ultra ea aliquid percipere poffit, fub pœnis Statutorum, & ordinationum, tam Civitatis Piftorii, quàm S. C. R. quæ falaria fint duplicata Domino Commifsario, quando caufæ Damnorum datorum coram ipfo agitantur, nec ultra ea aliquid, ut fupra, percipere poffit; Declarantes, quod pro qualibet refponfione ad quamlibet accufationem, denunciationem, feu inquifitionem, folvantur folùm fol. quinque, dummodo eadem perfona pro pluribus accufationibus, denunciationibus, vel inquifitionibus datis, vel factis ab eadem perfona eadem die, non folvat, nifi pro unica refponfione.

Del modo di vender la foglia de' gelfi, e delle pene de' trafgreffori. Rub. X.

STatuirno, & ordinorno, che quanto al modo del vendere la foglia de' gelfi, e quanto alle pene impofte a' trafgreffori, s'offervi la Riforma de' Danni dati dell'anno 1581. alla quale s'aggiugne, oltre alle pene in effa defcritte, che quelli faranno trovati fenza la poliza ordinata in detta Riforma, cafchino di più in pena di lire 3. 10. per ciafcuna volta, e trovandofi, che chi la porta l' aveffe rubata, incorra la prima volta nella pena duplicata di detta Riforma, cioè di lire 10. fe di giorno farà ftato dato detto danno, e furto, e fe di notte di lire 20. e chi effendo ftato condennato una volta per tal caufa, farà trovato la feconda volta aver rubbato detta foglia, oltre alle pene fopraddette, effendo mafchio, e maggiore d'anni 18. con participazione però della Clariffima Prattica, incorra in pena di due tratti di fune, da darfeli in pubblico, e con il fegno della foglia di gelfo al collo, e fe farà donna, o minore, deva ftare un mefe nelle Carceri delle Stinche.

De folea Gelforum vendita. Rub. XI.

STatutum, & ordinatum eft, quòd quicunque, qui de cœtero vendet aliquam quantitatem folearum gelforum, teneatur, & debeat cuftodire, & falvare dictas foleas gelforum venditas fuo emptori, periculo, & fortuna dicti venditoris fuo tempore, & cafu, quo dicta folea deperderetur, vel afportaretur, dictus vendens teneatur ad omnia damna, expenfas, & intereffe dicto emptori, quæ, & quas paffus fuiffet, pro non habendo dictas foleas debito tempore, de quibus damnis credatur fimplici juramento, & verbo damnũ paffi.

passi. Et Judex causarum civilium Communis Pistorii, facta sibi fide de prædictis per juramentum dicti emptoris, & damnum passi, possit, teneatur, & debeat statim, & incontinenti resarciri facere dicto emptori damna prædicta, constito sibi prius de venditione dictæ soleæ per scriptam manu dicti venditoris, vel emptoris, vel alterius tertiæ personæ factam, vel etiam per unicum testem tantùm.

Del tempo di vendemmiare, e modo di vendere l'Uva, e li Raverusti. Rub. XII.

STatuirno, & ordinorno, che gli Operai di SAN JACOPO, con l' intervento del Sig. Gonfaloniere, ogn'anno devino determinare il tempo, che si deve vendemmiare, regolandosi secondo la stagione, e distinguendo li Cõmuni, stabilito quali possino vendemmiare prima, e quali dopo, secondo il termine, che da loro sarà ordinato, e pubblicato per Bando in giorno di pubblico mercato, sotto pena alli trasgressori di scudi cinque per coltra, da applicarsi un quarto al denunziatore pubblico, o segreto, un quarto all' Esattore, e la metà al Commune di Pistoia. Dichiarando nondimeno, che gli Operaj non possino ordinare, che si vendemmi, prima, che passati li 15. di Settembre, & avanti al termine statuito del Bando, non si possa vendere, nè cõprare uva a zane, nè a some, sotto pena di scudi uno per zana, e scudi due per soma all'uno, e l' altro, ma solo si possa vendere a minuto su la sala, il che si deve intendere dell' uve San Jacope, gallette, moscadelle grosse, passerine, e paradise, secondo lo Statuto vecchio Rub. 36. e dopo il termine di detto bando sia lecito vendere l' uva, e raverusti solamente su la Sala di Pistoia, con licenza del Padrone da aversi in scriptis, mentre il venditore non avesse terre di proprio, o tenendole a lungo tempo non pagasse la metà del vino, ne' quali casi non si ricerchi la detta licenza, altrimenti mancando negl'altri casi la licenza suddetta, s' incorra nella pena della perdita della robba, che s' applichi la metà all' Inventore, & Accusatore, e l'altra metà alle Monache delle Convertite; ma se i raverusti si venderanno in altro luogo, che su la sala, e si porteranno fuori del Distretto di Pistoia, il che onninamente si vieta; chi contraverrà, incorra nella pena di lire venti per ogni cento libbre di raverusti; dalla quale in alcun modo non possa essere assoluto da'Signori Operaj di S. Jacopo, a i quali si dichiara, che s' appartenga la cognizione di queste trasgressioni, ma deva irremissibilmente pagarsi, constito della trasgressione, la pena suddetta con ogni remedio di ragione; con applicarsi la metà della medesima all' Inventore, & accusatore, la quarta parte al Rettore, che la farà effettivamente risquotere, e l' altra quarta parte alle Monache delle Convertite, essendo necessariissimo procedere con ogni rigore per rimediare all'abuso con troppa licenza introdotto in gravissimo pregiudizio del Publico di Pistoia nel trasportarsi i raverusti fuori del Distretto, e perciò si dispone ancora, che alla detta pena sia tenuto il marito per la moglie, il Padre per i Figlioli, che abitino col medesimo, & il capo di casa per quelli della sua famiglia, che trasgredischino. Possino nondimeno, non ostante quanto sopra li Sig. Ope-

Operai di S. Jacopo con lor decreto negl'anni, che per l'abbondanza giudichino, che non vi possa essere pregiudizio del Pubblico permettere, che si trasportino i raverusti fuori del Distretto di Pistoia per vendersi, e questo per quell'anno solamente, o per quel minor tempo, che stimeranno conveniente, da dichiararsi nel medesimo decreto, o successivamente con altra loro deliberazione. *Vid. a c.327.*

Quod nullus Syndicus Communitatis non supposita Communi Pistorii, possit accusare. Rub. XIII.

PRovisum, & ordinatum est, quòd nulla persona possit, audeat, vel præsumat accusare, vel denunciare in Civitate Pistorii coram D. Commissario, vel aliquo Judice, vel officiali ipsius Civitatis procuratorio, vel syndicario nomine alicujus Communitatis non subjectæ jurisdictioni Communis Pistorii, vel alicujus personæ forensis, & quæ non esset de Civitate, vel districtu Pistorii pro aliquo damno dato extra Districtum Pistorii aliquam Communitatem, vel personas, seu personam dictæ Civitatis, vel Districtus ipsius, sub pœna vigintiquinque librarum den. tali accusanti, vel denuncianti auferenda de facto per Officialem, vel Judicem, coram quo talis accusatio, vel denunciatio fieret ad petitionem cujuscumque personæ, & nihilominus super tali accusatione, vel denunciatione non procedatur, & si processum fuerit, vel executum, non valeat ipso jure, & possit, & debeat cancellari ad petitionem ipsius condemnati, vel sui Procuratoris, absque aliqua solutione ex dicta condemnatione facienda.

De Ombaco incidendo. Rub. XIV.

OFficialis Damnorum datorum post reclamationem sibi factam ab eo, cujus interest, faciat incidere omne Ombacum de, & super terris eorum, qui ei reclamaverint in Civitate, & Comitatu Pistorii positis in plano, præter quàm in silvis de Castaneis, & montibus, & collibus, taliter, quòd spacio duodecim brachiorum non permittat unam arborem prope aliam, & arborum ramos, qui remanserint, faciat incidi in tantùm, quantum penderet super terram vicini sui, si sibi reclamatum fuerit inde usque ad altitudinē vigintiquinque brachiorum, & inter unam arborem, & aliam possit esse vinea, & una arbor, videlicet ficus, & pyrus, vel prunus, vel nespolus, vel malus, vel sorbus, vel gelsus; & inter unam arborem ficus, & aliam [ubi non sint aliæ arbores, præter ficus] sit spacium decem brachiorum, & similiter fiat de aliis supra nominatis arboribus, ex his autem excipimus alias arbores existentes per duodecim brachia, vel minus prope terram vicini, quas faciat incidere, non obstante si erit in medio via, vel aliquod flumen. Et teneatur officialis prædictus non incidere, nec incidi facere Ombacum à die prima Martii, usque ad diem primam Octobris, & de prædicto Ombaco faciat officialis observare, & fieri sine datione libelli cum summaria cognitione. Quercus autē, vel hischia non possit esse una prope aliam per quadraginta brachia, & si fuerit inventa, officialis

cialis

cialis prædictus faciat incidere, si reclamatum fuerit, inde à persona, cujus interest; quæ locum habeant in planitie Civitatis Pistorii; & qui non observaverit præceptum sibi factum ab Officiali prædicto de Ombaco, puniatur per eum in libris vigintiquinque den; quoties culpabilis fuerit, & insuper faciat eum officialis prædictus incidere Ombacum.

De Fructibus pendentibus super terram ab arboribus accipiendis sine pœnis. Rub. XV.

Unicuique sit licitum tollere, & accipere sine pœna de fructibus de ramis arborum, & à vitibus pendentibus super terram, quam laborat, super qua rami penderent, seu vites, hoc idem possint facere illæ personæ, quæ sunt de familia Domini, & laboratoris sine pœna; & fructus cadentes super terram vicini, sint illius, cujus est arbor, vel arbores, de quibus caderent fructus super eam, & credatur juramento Domini, vel Dominæ, quòd sint de familia ipsorum.

De Rebus deperditis præsentandis camerario pignorum. Rub. XVI.

Ordinamus pro restitutione, & satisfactione personarum perdentium, aliquam rem, vel bestiam deperditam quòd ille, qui invenit, ea die, vel sequenti, debeat venire coram camerario pignorum communis Pistorii, & denunciare ei, qualiter invenit talem rem, vel bestiam, qua die eam invenerit, qui camerarius simul cum provisore dictorum pignorum teneantur, & debeant sub pœna illorum salarii scribere personam ducentem, & de qua cappella, & rem, vel bestiam, & quando eam invenerit, & ubi. Et persona inveniens talem rem debeat à persona, cujus est, habere de qualibet re, videlicet, pro qualibet bestia grossa solidos tres, & pro minuta solidum unum, pro rebus verò innominatis, si erit res æstimata usque ad quadraginta solidos inclusive solidum unum, & ab inde supra den. quatuor pro quolibet libra, Camerario vero, & Provisori prædictis solvi debeat tantum quantum pro pignore gravato eis consignato solvi deberet; & si persona inveniens non repræsentaverit rem inventam, ea die, vel sequenti, ab inde in antea debeat puniri de furto.

De bestiis minutis non tenendis infra tria miliaria. Rub. XVII.

Ordinamus, quod de cætero nullus audeat tenere aliquas bestias minutas propè Civitatem Pistorii, pro tribus miliaribus sub pœna solidorum octo pro qualibet bestia Domino, custodi, ac receptatori dictarum bestiarum de facto incurrenda; salvo quod cuilibet civi Civitatis, vel habitanti in Civitate, vel comitatu Pistorii liceat tenere super suo prædio, oves, & bestiæ, quæ modo prædicto possunt teneri, ut infra dicetur, possint ire ad pascendum, & ad alia necessaria per Comitatum, dummodo non faciant damnum, & si damnum dederint, puniatur earum Dominus pœnis in Sratutis conten-

contentis. Hoc expressè declarato, & intellecto, quòd nullus cujuscunque status, gradus, aut conditionis existat, audeat, vel præsumat quoquomodo, vel sub alio quæsito colore per se, vel alium retinere aliquas bestias minutas in aliquo loco Comitatus, vel Plani Comitatus Pistorii, etiam quòd fuerint infra, vel extra tria milliaria, dummodo sint infra infrascriptos confines, vel loca, etiam si haberent licentiam à dominis, & patronis possessionum, supra quibus tenerentur dictæ bestiæ, sub pęna suprascripta, videlicet. A ponte Buræ, veniendo per quandam viam, seu classum usque ad Ecclesiam Sancti Petri de Candeglia, & à dicta Ecclesia recto tramite, usque ad Ecclesiam Sancti Alexii, & à dicta Ecclesia Sancti Alexii, usque ad domum, & cippum domorum illorum de Antonaccis de Bigiano, videlicet hæredum Joannis Antonacci, in quibus domibus de Antonaccis possint dictæ bestiæ minutæ retineri, & à dictis domibus usque ad quoddam tabernaculum Virginis Mariæ, vulgaritèr dictum la Vergine di Collo gelato, & ab inde usque ad Pontem delle pietre di Burgianico, & à dicto ponte de Burgianico recto tramite, usque ad domum illorum de Lippaccinis positam in capite stratæ Portæ Burgi, & à dictis domibus exclusivè usque ad Pontem Asinarium, & à dicto Ponte, prout defluit, & decurrit flumen Umbronis versus podium, usque ad Pontem longum, & à dicto Ponte longo eundo per stratam Lucensem usque ad quemdam ponticellum, super quo est tabernaculum cum imagine Virginis Mariæ, vulgariter dicta, la Vergine del bruggia; Et ab inde, eundo recto tramite per viam usq; ad pontem à Bargi, & à dicto, sequendo, prout currit flumen Stellæ, usq ad locum, ubi ipsum flumen Stellæ mittit, & intrat flumen Umbronis, sequendo per dictum flumen Umbronis usque ad flumen Buræ, & redeundo per dictum flumen Buræ, usque ad dictum pontem Candegliæ positum in communi vallis Buræ. Intra quæ confinia, & circa versus Pistorium non possint retineri, vel pascere modo aliquo bestiæ suprascriptæ, præterquam à die prima Martii usque, & per totam diem vigesimam Aprilis, quo tempore possint retineri, dummodo obtineatur licentia à DD. Prioribus, quæ licentia observari debeat à quocunque Rectore. Exceptuamus tamen castrones, agnos, cordescos, qui possint retineri, etiam infrà dicta confinia, dummodo damnum non dederint, ut supra, & si damnum dederint, puniantur, & condemnentur domini, custodes, vel tenentes eos in pœnis in Statutis expressis. Hoc etiam declarato, quòd becharii, qui verè incidunt bestias in Civitate, aut Comitatu Pistorii, possint tenere castrones, agnos, & cordescos, ut supra, & usque in numerum triginta bestiarum possint retinere beccarii, qui oves incidunt, inter oves, & capras, dummodo damnum non dent, ut supra.

De porcis, & aliis animalibus non tenendis intra Civitatem. Rub. XVIII.

STatuimus, & ordinamus pro honore, & ornamento Civitatis, quòd nulla persona cujuscunque conditionis existat, possit, vel audeat tenere infra muros Civitatis Pistorii, etiam in domo propria, vel alio loco inclusos aliquos porcos cujuscunque qualitatis, sub pęna librarum decem pro medietate Ca-

meræ Communis Pistorii,& pro una quarta parte accusatori,& pro alia quarta parte Rectori exigenti applicanda,& ulteriùs amittat porcum, ut supra, contra præsentem prohibitionem inventum, & officialis Damnorum datorū, Notarius custodiæ, Dominus Commissarius, Capitaneus plateæ, seu barisellus, & quilibet ejus familiæ,& massarius possit denunciare contrafacientes,& pro se retineat d. porcum. Prædicta verò locum non habeant in mercatoribus conducentibus porcos ad brancos pro illis vendendis, nec in macellariis, nec in salmentariis, qui eos emunt causa macellandi, nec in olitoribus solventibus gabellam stariori, & alias taxas, dummodo d. olitores eos retineant in eorum hortis, & extra illos eos vagari non permittant, sub dicta pęna. Nullus etiam possit infra primum circulum d. Civitatis tenere extra proprias domos,& hortos, ocas,& anseres, vel paperos euntes,& discurrentes per vias publicas, vel Civitatem Pistorii, sub pęna sol. 20. pro quolibet capite dd. animalium,& amissionis eorumdem applicata, ut supra. Possit tamen quælibet persona Civitatis Pistorii in domo propria per octo dies tenere porcum cujuscunque speciei,& qualitatis sine aliqua pœna, dummodo in d. termino non permittant discurrere per dictam Civitatem, sub eadem pęna, & amissionis porci.

De Capris non tenendis. Rub. XIX.

ORdinamus pro evitanda devastatione terrarum, arborum, & sæpium, quòd nulla persona intra tria milliaria, à Civitate Pistorii teneat in stabulo, vel aliàs quomodocumque Pistorii, vel in ejus planitie, aut districtu capras, seu hircos magnos, vel parvos, ultra duas, vel duos, cùm sint pessimæ bestiæ quoad damna, aliàs contraveniens pro qualibet vice, & qualibet bestia, incurrat pęnam librarum duarum, applicandam pro medietate Domino terrarum, pro quarta parte Accusatori, & pro alia quarta parte Rectori exigenti, & cognitio transgressionis æquè spectet ad Judicem D. Commissarii, & ad officialem Damnorum datorum, inter quos habeat locum præventio. Liceat tamen retinere capras, & hircos ultra tria milliaria à Civitate Pistorii, dummodò loca ubi teneantur non sint domestica, quæ talia declarantur esse, si adsint in dictis locis vites, seu olivæ; nullatenus verò, ultra tria milliaria, liceat mittere ad pascendum capras, seu hircos per aliena castaneta, nec etiam per silvas ceduas, sub pęna librarum trium incurrenda reclamante domino terrarum pro qualibet bestia, & qualibet vice, ultra emendationem damni, & applicanda ut supra. In aliis verò locis non habeat locum dicta pęna; sed si Dominus bonorum accusationem proponat, declaramus, quòd solummodo eidem reficiendum sit damnum cum expensis.

De pœna reducentis Fabas. Rub. XX.

PRovisum, & ordinatum est, quòd nulla persona cujuscunque conditionis existat, audeat, vel præsumat reducere, vel reduci facere ad Civitatem Pistorii fabas virides minutas cum gallesis, vel aliquod legumen, sub pę-

na

na sol. viginti den. pro quolibet, & qualibet vice, auferenda contrafacienti, nisi reduxerit de suis propriis possessionibus, vel conductis, de quo stetur sacramento ipsius reducentis.

Quòd nulla persona reducat infrascriptas res in Civitatem Pistorii. Rub. XXI.

NUlla persona cujuscunque conditionis sit, audeat, vel præsumat reducere in Civitatẽ Pistorii paleas, fœnum, siccias panicale, migliarinum, vel ligna, vel circulos de nuce, nisi super bestiis, sub pœna solidor. quinque pro qualibet vice; & quilibet possit accusare, & stetur dicto accusatoris, & unius testis, & eorum juramentis, exceptis famulis, & famulabus dominorũ, & aliarum personarum, quæ reducerent de campis eorum, & quos laborant, qui possint reducere sine pęna, & credatur sacramento reducentis, quod de suis reduxerit, vel domini sui possessionibus, vel alterius, cujus esset possessio, unde reduceretur, & si quis intraverit, & repertus fuerit in fraudem, puniatur in libris quinque denariorum.

Quòd nulla persona reducens herbam ad vendendum, reducat aliquem fructum in ipsa herba. Rub. XXII.

NVlla persona, quæ reduceret herbam ad Civitatem Pistorii, debeat reducere aliquos fructus involutos in ipsa herba, & de aliquibus fructibus superius nominatis, & infra sub pœna solidorum viginti den. pro quolibet, & qualibet vice, & si delinquentes nollent, vel non possent solvere dictam pęnam, ponantur ad berlinam communis Pistorii, & stetur juramento accusatoris, & unius testis. Et etiam quilibet, qui veniret puniendus in libris quinque, & ab inde in infra occasione alicujus damni dati per eum, si dixerit se non posse solvere pęnam occasione dicti damni dati per eum, ponatur ad berlinam apud Campanile, & tunc liberetur à solutione pęnæ, dummodo stet ad berlinam per unam horam diei ad minus. Et quilibet, qui veniret puniendus occasione alicujus damni dati per eum à libris quinque supra, vel cum ejus bestiis, vel causa alicujus devastationis, si non solverit condemnationem de eo factam infra terminum decem dierum, postquam venerit in fortiam communis, fustigetur per Civitatem Pistorii, & facta dicta fustigatione sit liber à pęna, dummodo semper damnum emendet damnum passo, & cum dicta conditione condemnetur.

De pœna imponenda reducentibus Nuces excauatas, vel sanas. Rub. XXIII.

NUlla persona portet ad Civitatem Pistorii, vel per aliquam viam, vel hortum, seu fundum suum, vel alienum, si ibi non essent nuces extra Civitatem, aliquam nucem sanam, vel excavatam, usque ad festum S. Bartholomæi, sub pęna solidi unius pro qualibet nuce, & quilibet possit accusare contrafacientes, & stetur juramento accusatoris, usque ad quantitatem de-

cem nucium, & ab inde supra addatur probatio unius testis, & post dictum festum, nulla persona possit reducere ipsas nuces, nisi de sua terra, vel ipse, vel suus Dominus, sub dicta pęna, & si non habuerit unde solvat, ponatur ad berlinam, dummodo condemnatio non excedat quantitatem librarum quinque denariorum, & nihilominus teneatur emendare damnum.

De pœna Triccolorum ementium, & vendentium fructus. Rub. XXIV.

STatuimus, quòd nullus Triccolus, vel Triccola emat ficus, pyra, mala, avellanas, pepones, vel alias cujuscunque generis fructus per se, vel alium in Civitate Pistorii, vel districtu, nec stet in platea salæ, nec in platea Cōmunis, in quibus fructus venduntur, usque ad meridiem die Sabbati, declarando, quòd in platea salæ veteris nunquam manere, vel stare possit, sub pœnis statutis in Reformatione Dominorum Graduatorum approbatam per Clarissimos Dominos Practicæ secretæ S.C.R. Et qui contrafecerit in casibus non dispositis in dicta Reformatione, & in præsenti Statuto compræhensis, puniatur qualibet vice in solidis quadraginta per Officialem Damnorum datorum, cujus pœnæ medietas sit Communis, alia medietas accusatoris. Ab hora autem meridiei ultra, liceat Triccolis emere, & vendere, & morari in dictis locis sine pœna, excepta platea salæ veteris, de qua supra; exceptisque Triccolis vendentibus quoquinas, porros, & his similia, quibus liceat morari, & vendere in dictis locis, non tamen in dicta sala veteri, aliis autem diebus, non possint ante meridiem emere, vel emi facere ficum, pyram, vel alios cuiuscumque generis fructus, sub dicta pœna. Et quilibet possit accusare omnes, & singulas personas contra prædicta, vel aliquod prædictorum facientes, vel vendentes, & credatur accusatori, & uni testi fide digno, & teneatur eidem credentia, & regimen teneatur servari facere prædicta, sub pęna librarum quinque. Et Notarius, vel Officialis prædictus, necnon Massarius, & Vicemassarius habeat penès se nomina, & pronomina Triccolorum, & Triccolarum. Et Triccolus intelligatur, qui vulgariter sic appellatur, *Rivendugliolo, o Rivendugliola.*

De fidejussione præstanda ab Hospitatoribus extra Civitatem, de non receptando ludum, frumentum, vel fructum. Rub. XXV.

PRovisum est, quòd omnes vendentes panem, aut vinum ad minutum, & hospitatores, qui morantur extra Civitatem Pistorii, & in ejus districtu extra terras muratas, teneantur satisdare de libris quinquaginta den. coram Officiali Damnorum datorum de non receptando aliquam personam ludentem in eorum Domibus, capanna, & porticis dictæ Domus area, vel curia ejusdem, nec debeant recipere, vel recipi facere ab aliqua persona frumentum, secale, ordeum, vel aliquod bladum, nisi fuerit triticatum, vel linum, aut uvas, nec fructus recipere, nec receptare aliquas res, sub pœna librarum viginti den. pro quolibet, & qualibet vice, dictam verò satisdationem teneantur

tur præstare infra octo dies à die approbationis præsentium Statutorum, sub dicta pœna, & de cætero quolibet anno de mense Aprilis, non propterea derogando per prædicta aliis Statutis loquentibus de furtis. Et prædicta locũ habeant in publicis cauponibus, seu hospitibus, & non in aliis vendentibus panem, & vinum ad minutum in eorum apothecis.

De pęna singularium personarum receptantium frumentum, & alios fructus. Rub. XXVI.

STatuimus, quòd nulla persona Civitatis, & districtus Pistorii debeat receptare, recipere, vel reducere frumentum secale, ordeum, linum, vel aliquod aliud bladum, fabas, ligumen, seu aliquos fructus, nisi fuerint triturati, sub poena librarum viginti den. pro quolibet, & qualibet vice à contrafaciente incurrenda, & cuilibet sit licitum accusare, & denunciare contrafacientes, & habeat medietatem condemnationis, & alia medietas sit Communis Pistorii.

De immunditiis non projiciendis in vias publicas, & de litamine non tenendo. Rub. XXVII.

ORdinamus, quòd nulla persona possit tenere litamen in viis publicis Civitatis Pistorii, sub poena librarum octo den. pro qualibet vice applicãda pro medietate Cameræ Communis, pro quarta parte Inventori, & pro alia quarta Rectori exigenti, & nihilominus soluta poena cogatur removere dictum litamen omnibus Iuris remediis infra tres dies post condemnationem de eo factam, & si non fuerit à Domino remotum, & transportatum; Officiales Allastrici, vel Officiales Fluminum, expensis Domini litaminis faciant illud removere, & describant Dominum debitorem in eorum libro de dictis expensis, & possit poni ad speculum Communis, sicut alii debitores Allastrici; liceat tamen omnibus extrahere de domo sua dictum litamen. Nullus etiam possit per fęnestras proijcere immunditias, vel aquam putridam, seu claram in vias publicas, sub dicta poena applicanda ut supra. Et nihilominus ultra pęnam prędictam teneatur ad refectionem damnorum, juxta declarationem faciendam summariè per D. Commissarium Pistorii, vel per Officiales Fluminum, à qua non possit appellari. Item statuimus, quòd nulla persona habeat, vel teneat aquarium, seu seclarium super viam publicam, ex quo aqua clara, vel munda, vel immunditia aliqua decurrat per vias Civitatis Pistorii, sub pęna librarum quatuordecim, & pro prædictis Caput familiæ teneatur pro quolibet de familia sua ad pęnas prædictas, & nihilominus cogatur removere, ut supra, intra tres dies post condemnationem de eo factam omnibus Iuris remediis opportunis, & eo contumace, vel recusante, Officiales Allastrici, vel Officiales Fluminum removere faciant expensis prædictorum, ut supra. Item statuimus, quòd nulla persona possit aquam immũdam proijcere in vias publicas, & præcipuè agobombium, Caldariarum, sub eadem

eadem pœna; Quæ quidem Caldariæ agobombium, & ut vulgò dicitur, *Caldaje da Seta*, exerceri non possint infra primum, & secundum Circulum Civitatis, prout aliàs dispositum, & publicatum fuit à DD. Officialibus fluminum, & viarum dictæ Civitatis, & insuper prohibemus, quòd nullus possit tenere, vel mittere in vias publicas stercus hominum, quod vulgò appellant, *cessino*, & quotiescumque contingat excavari, & mundari latrinam, & putredinem, non possit ponere in viis publicis, sed eas mittere teneatur juxta mænia Civitatis, sub eadem pœna applicanda, ut supra, & de die non possit movere, sub pœna librarum vigintiquinque. Item statuimus, & ordinamus, quòd nulla persona posit, vel audeat tenere latrinas, vel cloacas in domo sua, itaut putredo, vel immunditia discurrere possit in viam publicam, & si quis contrafecerit, incidat in pœnam librarum vigintiquinque, applicandā ut supra, & nihilominus compellatur ab Officialibus Fluminum suis expensis reaptare, & reficere, ita & taliter, quòd putredo, & immunditia non possit exire in viam publicam, & latrinæ, & cloacæ ubicunque fuerint in Civitate sint, & fiant coopertæ, & absconditæ, ita & taliter quòd publicè non appareant, nec videri possint per euntes per viam, nec etiam putredo eorum quoquomodo ad viam perveniat, & quicumque contrafecerit, puniatur in libris vigintiquinque, & ad refectionum, ut supra. Et de præmissis omnibus contentis, possit inquirere Officialis damnorum datorum, & Officiales Fluminum, Notarius Custodiæ D. Commissarii, & Barisellus, & quilibet ejus familiæ, & quecumque alia persona. Et si contigerit quæstionem oriri, quæ dicantur viæ publicæ, stetur declarationi Magistrorum Allastrici, vel Operariorum Sancti Jacobi, vel Officialium Fluminum. Item statuimus, quòd nulla persona audeat tenere ad fenestras respicientes in vias publicas vasa, vel greppos, nec aliquid aliud retinere, quod cadendo aliquem ledere possit, dummodò prædicta omnia sint in evidenti, & manifesto periculo cadendi, sub pœna cuilibet contrafacienti librarum vigintiquinque, applicanda Communi Pistorii pro medietate, pro quarta inventori, & pro alia quarta Rectori exigenti, facta prius monitione generali, ut amoveantur, & nihilominus cogatur omnibus remediis opportunis, etiam soluta pœna prædicta, removere.

Quòd nullus audeat ludere in aliqua Ecclesia, vel Claustro. Rub. XXVIII.

PRopter reverentiam Dei, Ecclesiarum, & locorum piorum, statutum est, quòd nullus audeat vel præsumat modo aliquo ludere ad aliquem ludum in aliqua Ecclesia, nèc in aliquo claustro Ecclesiæ, & juxta aliquam Ecclesiam per vigintiquinque brachia, sub pœna librarum vigintiquinque den. cuilibet contrafacienti pro qualibet vice, cujus pœnæ, quarta pars sit Rectoris exigentis, & reliqua Communis Pistorii.

Quòd Molendinarii restituant farinam, & de molenda accipienda. Rub. XXIX.

MOlendinariæ personæ compellantur restituere farinam, & saccum personis dantibus frumentum, bladum ad molendinum infra quintam di-

diem à die dati frumenti, vel bladi, sub pęna viginti solidorum den. & credatur sacramento dantis de quantitate frumenti, bladi, sacco, & tempore. Et quicunque volens conqueri de molendinaria persona, quæ minus reduxerit, id facere possit infra quindecim dies à die reductæ farinæ, & de minoritate usque in unam quartinam, & ab inde supra usque in unum starium, cum juramento credatur, & Judex teneatur compellere molendinariam personam restituere dictam quantitatem farinæ, & nihilominus eam compellat ad dandum, & solvendum de facto Camerario Communis Pistorii solidos duos den. pro qualibet libra farinæ minus redditæ, possint tamen dictæ molendinariæ personæ accipere de quolibet stario grani, & bladi libras tres ad pondus, & minus, si ipse voluerint. Et cum eadem mensura nuncupat. *bozzolo*, accipiant molendinarii prædicti à forensibus, & eo modo, & quantitate prout civibus, & qui contrafecerit, puniatur, sicut punitur de blado, sive farina ablata, ut supra, & quælibet molendinaria persona teneatur, & debeat quolibet Anno de Mense Januarii, vel quando recipiet artem, infra octo dies præstare cautionem apud Operarios Sancti Jacobi manu Notarii dictæ Operæ recipientis vice, & nomine omnium, quorum possit interesse de restituendo farinam cuilibet danti ad macinandum, sub dicta pęna. Ac etiam deferat secum stateram de ferro rectam, & sigillatam, de qua romanum non possit extrahi, quando portat bladum, vel reportat farinam, cum qua teneatur vinculo juramenti ponderare bladum quando portat, & granum, & farinam reducit, pęna, & ad pęnam solidorum viginti pro qualibet vice, qua contrafactum fuerit, cujus pœna medietas sit accusatoris, & alia medietas Communis Pistorii. Et dicti molendinarii non possint petere gabellam, nec aliquid aliud occasione molituræ ab aliqua persona, elapso uno anno à die qua noluit, quo tempore trãsacto intelligatur esse, & sit sibi impositum silentium, nisi appareret, quòd saltem per duas vices tale debitum coram Judice petiisset, de qua petitione constet in actis Notariorum causarum Civilium Civitatis Pistorii, pro tempore existentium. Et idem intelligatur statutum in rusticis, & aliis personis, quoad petitionem gabellæ pro fructibus, quos portassent ex causa Coloniæ partiariæ, vel affictus.

De pœna molendinariorum non aptantium partem eorum goræ. Rub. XXX.

ORdinamus, quòd omnes pontes existentes in viis publicis, qui sunt, vel quandocumque erunt super goris molendinorum, fiant de lapidibus lateribus, & calcina, & juxta latitudinem viæ, expensis Dominorum molendinorum, & si post terminum talibus assignatum dicti pontes non fierent, dictus Officialis, vel Officiales Fluminum possint ipsos Dominos molendinorum de facto condemnare in libris viginti den. & nihilominus teneantur facere pontem, & si prædictis præceptis non obedirent, iterato condemnentur, & nihilominus jubeat molendinum non molere, sub pœna librarum viginti den. pro quolibet die, & nocte.

Quòd

Quòd aqua deducatur à superiori molendino in inferius. Rub. XXXI.

STatuimus, quòd Officiales Fluminum, & Viarum Civitatis Pistorii teneantur pro utilitate Communis Pistorii cogere molendinarios, & Dominos molendinorum, & Dominum, vel Dominos, qui molendinum ad suas manus tenuerint, aquam integram, quam ad suos canales, desuper habuit, molendino inferiori dare, & reddere, & sic de molendino ad molendinum usque ad Civitatem Pistorii. Et si quis prædictorum molendinariorum, vel Dominorum contrafecerit, & non servaverit, aut in aliquo loco subtus capsam molendini superioris ruptum fuerit, & aqua in totum, vel in partem flueret alibi, quàm per locum goræ, puniatur pro qualibet vice in libris decem den. & arbitrio per dictos Officiales Fluminum, cujus pœnæ medietas sit accusatoris, & alia Communis, & credatur sacramento accusatoris, & unius testis. Quòd si molendinarius, qui condemnari debuerit, aut Dominus molendini proponeret aliquam personam fregisse goram, & aquam misisse extra locum goræ, & ostenderit per unum testem, tunc loco ipsius molendinarii, seu Domini dicti molendini; Officiales Fluminum teneantur eo modo, ut superius dictum est condemnare illam talem personam prædicta pœna pro qualibet vice. Verum si esset aliquod molendinum unum, vel plura, in quo non staret aliqua persona, quod molendinarii, aut Dominus unus, vel plures sequentis molendini, in quo aliquis staret, vel maneret, aquam dare teneantur, & reddere, & si contrafactum fuerit, puniantur prædicta pœna; & prædicta quodlibet Regimen, & Officiales fluminum observari faciant, & facere observari teneantur, & coram se postquam venerit in suum Regimen, venire faciat omnes molendinarios, & Dominos ipsorum molendinorum, & ea omnia denotare, & præcipere sic observari, non obstantibus prædictis, aut alicui prædictorum aliquo Statuto speciali, vel generali. Et idem intelligatur de molendinis, quorum aqua non venit ad Civitatem Pistorii.

De non frangendo goram alicujus Molendini. Rub. XXXII.

ORdinamus, quòd unicuique liceat, non obstante aliquo capitulo constituti, adaquare æstivo tempore prædium, & terram suam, dummodo non frangat goram alicujus molendini, nec extrahat aquam de aliqua gora, & si quis voluerit adaquare æstivo tempore, liceat ei in die Sabbati post vesperas feriales, & die Dominico, usque ad diem lunæ de mane, & non aliis diebus, dando solidos duos den. pro qualibet cultra molendinariis illorum molendinorum, quorum interest pro qualibet vice, qua voluerit adaquare.

De ordine servando pro manutentione aquarum fluminis Umbroncelli, & molendinorum, aliorumque ædificiorum super ipso flumine existentium. Rub. XXXIII.

CVM Civitas Pistorii, ejusque Comitatus, & Districtus abundet aquis, ipsæque propter incuriam hominum eis utentium veniant in declinatio-

tionem, volentes providere de opportuno remedio,& certam regulam, modum, & ordinem imponere in omni casu differentiæ, quæ oriri posset super manutentione dictarum aquarum, & earum gorarum: Statutum, & ordinatum est, quod quotiescunque evenerit, quòd clausa pontis Asinarii, quæ est super Flumen Umbronis, & mittit aquas ad molendina Communis Goræ, & deinde fluit in Civitatem Pistorii, debeat reaptari, & indigeat reaptatione, Opera S. Jacobi Apostoli de Pistorio teneatur, & debeat facere omnes expensas opportunas, & eas postea exigere possit ab omnibus molendinis, apothecis, conciis, tiratoriis,& aliis ædificiis quibuscumque,& eorum dominis,& possessoribus ipsis aquis utentibus, & qui omnes descripti, & adnotati sunt in libro dictæ Operæ, vocato IL PELLEGRINO. Et teneantur solvere dicti molendinarii, & alii suprascripti, & domini eorum dictas expensas ad rationem infrascriptam: videlicet solidum unum den. ex quibuslibet libris decem, & septem den. introitus eorum, æstimando affictum grani solidos viginti den. pro quolibet stario,& non ultra, vel aliter. Et si in futurum super dictis aquis fieret aliquod ædificium, describatur, & describi debeat in dicto libro pro ejus taxa, & eam solvere teneatur, prout de aliis dictum est. Nullus tamen possit ædificium super dictis aquis de novo construere, nisi obtinuerit primo loco licentiam à Consilio populi Civitatis Pistorii, obtinendo partitum per novem fabas nigras pro sic ex decem Consiliariis, præcedentibus provisionibus ordinariis simili modo obtinendis, sub pœna Florenorum vigintiquinque auri largorum in auro. Et factis dictis expensis provisor dictæ Operæ, describat omnes suprascriptos pro dicta rata, & taxa pro debitoribus dictæ Operæ ad ejus libros, & cuilibet eorum notificare faciat, quòd infra quindecim dies exinde futuros solvant, quibus elapsis, si non solverint, possint capi, & gravari, ac ad speculum Communis describi tanquam debitores dictæ Operæ; quæ omnia suprascripta etiam locum habeant in expensis faciendis, & quæ fieri occurrerint in clausa, & reparatione clausæ *di Scornio*. A spartitorio aquarum prædictarum existente in capite stratæ Portæ Burgi, usque ad clausam, teneantur nitidare, & mundatam manutenere goram omnes molendinariæ personæ Communis Goræ. Os, seu exitus aquarum spartitorii prædicti, fluente aqua recta linea per goram Communis Goræ, est latitudinis brachiorum trium, & ab imo petræ ex latere inferiori, usque ad petram ex latere superiori, vacuum ejus est unius tertiæ partis unius brachii, & trigesimæ partis alterius brachii, videlicet unius digiti. Omnes molendinariæ personæ teneantur manutenere capezzales elevatos juxta petras infixas in muris molendini eorum, & è contra spazzajolum accipiendo partem superiorem dictæ petræ muratæ in qua est descriptum: ZANOBI BARTOLINI COMMESSARIO GENERALE MDXXV. cum insigni papaverorũ, nec possint altiores retinere tales capezzales, sed liceat eis minuere, & deprimere. Et teneantur, & obligatæ sint omnes molendinariæ personæ Communis Goræ, saltem per duas vices quolibet anno, videlicet in festo S. Spiritus, & per totum Mensem Septembris mundare, & nitidare goras, & ritrecinem sui molendini, usque ad spazzajolum molendini inferioris post ejus molendinum.

dinum. Molendinarius molendini primi versus spartitorium capitis stratæ Burgi teneatur mundare à suo spazzajolo, usque ad spazzajolum alterius sequentis molendini.

Et quia altitudo molendini Juliani Desiderii molendinarii fuit eidem concessa usque ad petram infixam in ejus molendino; Ideo ipsius molendinarius teneatur nitidare ab ejus spazzajuolo, usque ad ritrecinem molendini existentis desuper molendinum prædictum, & ab ejus ritrecine, usque ad spazzajuolum inferioris molendini, & cum omnibus obligationibus aliorum molendinariorum; & putredines, & quicquid extraxerint in nitidando, asportare teneantur, & debeant extra vias, nec in viis retinere possint quoquo modo. Nec possint dictæ molendinariæ personæ modo aliquo elevare, seu extrahere aquam prædictam de ejus cursu suæ goræ, sed eam manutenere debeant à suo molendino, usque in inferius molendinum suis propriis sumptibus, & expensis, & si super dictis aquis essent duo canales, molendinarii teneantur eos ambos apertos tenere. Quæ omnia, & singula suprascripta, suprascripti molendinarii, & aliæ personæ, de quibus supra fit mentio, teneantur, & debeant attendere, & observare, sub pęna librarum decem den. pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafecerint, applicanda pro dimidia Communi Pistorii, pro quarta parte accusatori, seu denunciatori, & pro reliqua Rectori exigenti. Si quis verò voluerit aptare suum molendinum, seu aliquod acconcimen facere, & propterea oportuerit aquam extrahere de gora molendini, teneatur, & debeat id notificare aliis molendinariis, & liceat ei, etiam ipsis molendinariis, aliisque quibuscumque invitis, & contradicentibus per triduum dictam aquam extra goras retinere, quibus tribus diebus elapsis, debeat habere licentiam à molendinariis, & galigariis Civitatis Pistorii. Canales autem debeant esse in ore, seu principio latitudinis mensuræ cujusdam ferreæ existentis in opera SS. JACOBI de Pistorio, cum insignibus dicti Zenobii de Bartolinis.

Pro spartitorio aquarum penès molendinum extra portam Burgi fratrum, & conventus Sancti Francisci, sint duo lapides in plano, & æquato solo, qui removeri non possint, & gora, quæ tendit, & vadit ad molendinum hodie dirutum, quod est Joannis Baptistæ Michaelis de Papagallis propè muros Civitatis, & similiter gora, quæ vadit ad Ripam altam, & transit per fortalitium, seu bastionem Portæ Burgi removeri, vel tolli quoquo modo non possint. A spartitorio jam dicto existente in capite stratæ Burgi, aqua, quæ superabundat ultra aquam fluentem ad molendina Communis Goræ, & currit, & fluit per quamdam foveam, seu canale à capite stratæ prædictæ propè viam magistram, est latitudinis brachiorum quatuor cum uno ferro ad instar crucis implumbato, ne lapis ipse possit deprimi, & ad terram mitti, & fundamentum goræ prædictæ versus viam ipsam est altiùs elevatum, quàm fundamentum goræ Communis Goræ per unum tertium brachii, & aliquid ampliùs. In qua petra spartitorii, quæ mittit per viam prædictam, inest quædam cannula rotunditatis, & vacui mensuræ unius scuti aurei, quæ continuò perpetuis temporibus aperta stet, & stare debeat pro usu, & beneficio habitantium, & existentium super ipsam viam, nèc remove-

ri

ri possint modo aliquo dicta spartitoria, seu principio, ex qua extrahitur aqua ex ipsa gora, sub pœna Florenorum vigintiquinque pro quolibet, & qualibet vice applicanda, ut supra. Et in goris molendinorum communis Goræ, non possit fieri aliqua clausa, seu poni linum ad macerandum, sub pęna librarum decem den. ut supra applicanda. Habitantes super viam publicam, & in domibus sboccatorii goræ di Scornio super ipsam viam, teneantur mundare goram à spartitorio, usque ad dictum sboccatorium, & manutenere eam eorum sumptibus, sub pœna librarum decem den. ut supra applicanda. Goram verò, quæ fluit à clusa Scornii, usque ad Crates, per quas ipsa aqua intrat in Civitatem Pistorii, teneantur, & debeant manutenere, & mundare molendinariæ personæ, quibus ipsa aqua deservit. Et à spartitorio molendini Sancti Francisci suprascripto, usque ad molendinum Joannis Baptistæ de Papagallis propè muros, teneatur mundare, & excavare molendinarius molendini Sancti Francisci, saltem bis in anno, videlicet in festo Sancti Spiritus, & de mense Septembris, sub eadem pœna. Molendinarius dicti Joannis Baptistæ, & molendinum prædictum ipsius Joannis Baptistæ, teneatur mundare, & excavare goram à suo ritrecine, usque ad ingressum aquæ in hortum fratrum Montis Oliveti in Civitate Pistorii, sub dicta pœna. Et à dicto horto usque ad Abbeveratorium existens super Prato Sancti Francisci, Fratres Montis Oliveti mundare, & nitidare teneantur, usque ad dictum Abbeveratorium, quod totum debeat nitidari sumptibus Communis Pistorii. A dicto Abbeveratorio, usque ad & per totum hortum domus Tintæ hæredum Camajoris Guasparis, teneatur mundare Dominus, vel possessor ipsius Tintæ. A fine horti prædicti usque ad Ecclesiam S. Prosperi, teneantur mundare Tabulaccarii. A dicta Ecclesia usque ad quandam campanulam ferream retortam existentem in muro domorum hæredum Philippi de Cellensibus è contra viam, quæ vadit ad postiellam, teneantur, & debeant mundare, & nitidare, & excavare Galicarii, & ars Galicariorum; & à dicta campanula usque ad ritrecinem rotæ illorum de Cancellariis nitidare, & excavare debeant Domini ipsius rotæ, vel tentores, & possessores ipsius. Et à dicto ritrecine usque ad pontem goræ Fratrum Servorum, teneantur mundare, & excavare Fratres S. Bartholomæi, & eorum molendinarii, vel possessores, seu conductores eorum. A dicto ponte usque ad canale molendini De poggio teneantur excavare, & mundare ipsum molendinum, ejus conductores, & possessores. A quo quidem molendino Joannis Baptistæ de Papagallis, usque ad molendinum De poggio prædicto omnes supranominati, & descripti teneantur, & debeant semel saltem quolibet anno de mense Septembris excavare, & mundare ut supra goram prędictam, & mundaturam asportare extra vias suis sumptibus, & expensis, sub pœna librarum decem, ut supra applicanda pro quolibet eorum, qualibet vice, qua contrafecerint. A spartitorio S. Francisci suprascripto, goram quæ fluit, & venit ad Ripam altam, teneantur mundare, & excavare molendina, & infrantorium Tommasi alterius Tommasi de Gatteschis, molendinũ Operæ Sancti Jacobi Apostoli, & ejus infrantorium, & molendinum Artis Lanæ, & alia similia ædificia de Ripa alta, eorumque Domini, & possessores,

 usque

usque ad ritrecinem molendini Artis Lanæ, sub dicta pœna. Et à dicto ritrecine, & à gratis, vel tronsinello teneatur mundare, & excavare Hospitale Sanctæ MARIÆ pauperum del Ceppo, & ejus molendina infrantorium, & bottaccio, usque ad, & per totum pontem existentem super prato ad Ecclesiam Sancti Laurentii, videlicet, contra Virginem de Lecto, qui est primus post Hospitale prædictum. Et à dicto ponte eundo super pontem ad Sanctum Leonardum, & per domum hæredum Dominici de Solinis, & hæredum Acti de Baronibus, & per hortum Fratrum Sancti Bartholomæi usque ad pontem post molendinum dictorum Fratrum, vulgariter nuncupatum: Il ponte de' Servi teneantur evacuare, & mundare Fratres Sancti Bartholomæi, & eorum molendina, & possessores eorum. Et à ponte Sancti Leonardi, usque ad tintam Fratrum Furculis Commune Pistorii, teneatur evacuare goram, quæ aliàs dicitur la Brana, Goram, quæ venit extra portam Sancti Marci à flumine delle dua Buri a ritrecine molendini Fratrum Abbatiæ Furculis, quod est primum super dicta gora, usque ad pontem Tintæ Pieri Ciani proximè dictum, quæ Tinta est dictorum Fratrum, teneantur evacuare Fratres Furculis, & eorum molendina, tinta, & possessores eorum. A dicto ponte usquequo aqua intrat in goram, quæ vadit ad molendinum De poggio, hortolani horti olim Gherardi Rigoli, illorum de Baronibus manuteneant goram latitudinis brachiorum quatuor, & commune Pistorij teneatur mundare ipsam goram usque quo pervenit in Umbroncellum. Et quia concessum est quibusdam certis temporibus, & modis partem aquarum accipere, & extrahere de earum cursu, prout etiam infra dicetur, & maximè æstivo tempore, ad hoc, ut lites oriri non possint, ordinatum est, quod dum, & quando molendinarii de Ripa alta aquas ipsas accipiunt, & pro ipsis habendis apponunt Tabulam in locum spartitorii ad hoc ut in totum fluant, & veniant ad eorum molendina, talis tabula apponenda habeat, & habere debeat vacuum unius octavæ partis brachii, per quod aquæ possint pertransire versus Abbeveratorium S. Francisci, & in tali die molendinarius molendini Joannis Baptistæ de Papagallis retineat canales clausos, ut tota aqua prædicta perveniat in Abbeveratorium, sub pæna suprascripta cuilibet contrafacienti. Nec ullo unquam tempore possit elevari, seu removeri aqua dicti Abbeveratorii, quòd saltem habeat cursum ejus per octavam partem unius brachii, videlicet quod diameter sit rotundus per octavum brachii, sed pro eo evacuando, & mundando possint accipi quantæcumque aquæ, prout oportuerit. In horro Fratrum Montis Oliveti de Pistorio sunt duæ cavitates rotundæ in dicta gora in petra, quarum altera est per diametrum unius octavi brachii, & aliquantulum plus, & altera unius decimi brachii, quæ gora currit per dictum hortum, & pervenit, & transit per hortum Monialium S. Claræ, & post dictum monasterium intrat in cloacam portæ Lucensis, & exit Civitatem Pistorii. In gora sub via publica magna inter Ecclesiam S. Francisci, & Tintam hæredum Camajoris Guasparris sunt duæ cavitates rotundæ in quadam petra, quarum altera est unius sexti brachii diametri, altera verò duodecimi brachii, per quas cavitates aqua fluit per viam, quæ dicitur Lo spianato, & pervenit

venit

venit ad monasterium S. Luciæ, ubi olim erat Hospitale S. Gregorii, in qua quidem goricina in fine Ecclesiæ Sancti Francisci inest quædam petra cum una cavitate rotunda, per quam vadit aqua ad Moniales S. MARIÆ de sala, & deindè ad Moniales S. Michaelis, successivè ad Moniales S. Bernardini, aliàs S. Georgii, & postremo redit in goram prope Moniales Sanctæ Luciæ, & antequam intret in dictum Monasterium, pervenit ad quasdam Crates ferreas, & contra hostium Monasterii Sancti Joannis Baptistæ, & pertransit per eas, deindè fluit tota insimul ad Moniales Virginum, transeundo per dictum Monasterium S. Luciæ, & tandem intrat cloacam postiellæ, & exit Civitatem Pistorii. Et quia sæpissimè quando excavatur, & mundatur gora Dello spianato, impeditur aqua Monasterii Salæ, S. Michaelis, & S. Georgii. Ideo statuimus, & ordinamus, quòd ad omnem eorum voluntatem liceat eis facere, & fieri facere aquæductum latitudinis unius duodecimi brachii in dictis duabus cavitatibus propè Tintam hæredum Guasparis, & relinquere cavitatem prædictam unius sexti brachii apertam, per quam fluat aqua ad spianatum ut supra, & tunc claudere teneantur cavitatem, per quam ad præsens aqua fluit ad dicta Monasteria propè finem Ecclesiæ S. Francisci existentem. Quæ quidem gora excavari, & mundari debeat, & expensæ solvantur, & solvi debeant pro dimidia per Monasterium S. Luciæ, & pro alia dimidia per dictas Moniales Salæ, S. Michaelis, & S. Georgii pro tertia parte pro quolibet Monasterio ipsius medietatis, videlicet. A dicta Tinta, & per totum hortum S. Francisci, & ab inde usque ad, & per totum hortum S. Gregorii, dictum Monasterium Sanctæ Luciæ loco hospitalis Sancti Gregorii, usque quo perdurat hortum dicti Monasterii, & ab inde infra usq; ad totum hortum Sancti Gregorii pro medietate solvantur expensæ prædictæ per dictum Monasterium Sanctæ Luciæ, & hospitale Sancti Gregorii ad ratam prædictam, & pro alia medietate pro una quarta parte per Artem Lanæ, & pro alia quarta parte per moniales S. Joannis Baptistę, & teneantur, & debeant asportari facere terrenum excavandum ex dicta gora eorum expensis ad ratam prædictam solvendis, & Moniales Virginum teneantur mundare, & nitidare dictam goram usque ad exitum earum lavatorii, & horti, & conducere eam in cloacam postiellæ. Ut verò fratres, & Conventus S. Dominici possint aquas prædictas accipere, & aquæductum facere, per quod aquæ veniant in eorum hortum, accipiendo eas per hortum Monialium Virginum, eorum sumptibus, & expensis; ideo in eventum, & casu, quo aquas ipsas accipiant, teneantur, & obligati sint eas manutenere, & reconducere in cloacam prædictam, & mundare, & evacuare goram, & aquæductum, usque ad dictam cloacam. In gora, quæ mittit, & fluit in Galigaria ante hostium domus hæredum ser Pieri del Terchio inest quædam petra cum cavitate quadam latitudinis unius octavi brachii, per quam fluit aqua ad Monasterium S. Nicolai, & eorum lavatorium, quæ aqua deinde redit in eamdem goram, & contra domum Mariotti Acti de Cellensibus, quam goram, & aquæductum, à domo ser Pieri ad domum Mariotti prædictorum, Moniales S. Nicolai teneantur manutenere, & evacuare, adeo quod aqua prædicta revertatur in goram,

ram, ex qua accipitur, ut ſupra, omnibus eorum ſumptibus, & expenſis. In qua gora poſt palatium dirutum illorum de Cancellariis, & contra Eccleſiam Sanctæ Luciæ ineſt quædam petra cum una cavitate latitudinis unius ſexti brachii, vel minus cum gratis ferreis, per quam fluit aqua ad monaſterium S. Petri, & eorum lavatorium, & redit in ipſam goram inter molendinolum, & magnum molendinum fratrum S. Bartholomæi, quæ Moniales S. Petri teneantur aquæductum manutenere, & aquas prædictas reponere, & quod revertantur in dictam goram, ut ſupra operari, & curare omnibus earum ſumptibus, & expenſis, ne detrimentum aliquod dicta molendina, ob defectum ipſarum aquarum patiantur. Liceat inſuper, & licitum ſit hæredibus, & ſucceſſoribus domini Iacobi Pieri de Centis Canonici Piſtorienſis perpetuis temporibus accipere aliquam partem goræ prædictæ inter domum ſucceſſorum Sigiſmundi de Tedicis, & Eccleſiam S. Martini accipiendo ipſam propè finem Eccleſiæ prædictæ, & eam ducendo in eorum hortum pro eorum uſu, & ſervitio pro lavatorio, & piſcaria, & aliis uſibus, prout eis videbitur, & nihilominus reconducere eam teneantur in goram prædictam poſt exitum dicti horti, adeo quòd deſervire poſſit, & debeat molendino, & infrantorio propè exiſtentibus, & non aliter, nec alio modo, & hoc, quia dicta aqua olim fluebat per domum dicti Sigiſmundi, & hortum Domini Iacobi, & fuit poſita in via prædicta. Et pro præſervatione Abbeveratorii exiſtentis ſuper prato Sancti Franciſci, ordinatum eſt, quòd nulla perſona cujuſcunque conditionis, & ſexus audeat, vel præſumat impedimentum aliquod facere, per quod aqua non currat in dicto Abbeveratorio per ejus aquæductum, nec in eo lavare aliquam rem, nec aliquam tollere, & lavare, nec in eo natare, ſub pœna librarum decem denariorum pro quolibet contrafaciente, & qualibet vice, applicanda pro dimidia Communi Piſtorii, pro quarta parte accuſatori, vel denunciatori, & pro reliqua Rectori exigenti, & maritus teneatur pro uxore, pater pro filio, & Dominus pro famulo, ſeu ſerva. Et ſi quis æſtatis tempore voluerit aquam, quæ fluit per Commune Goræ burgi extrahere, & accipere pro adaquando hortaggios, ſeu pepones, poſſit eam accipere, poſtquam olitores fuerint uſi ipſa aqua poſt occaſum Solis diei cujuſlibet Sabbati, & eam retinere ipſaque uti continuè, uſque ad ortum Solis diei Lunæ inde ſequentis impunè, facta prius notificatione de ſic velle accipere dictam aquam camerario ordinando per molendinarios Communis Goræ, & ſolvere eidem teneatur id totum, quod diſponitur per Statutum molendinariorum. Et etiam poſſit quilibet accipere aquas cujuſcunque alterius Fluminis, & goræ dicto tempore, & non aliter, vel alio modo, ſub pęna librarum vigintiquinque den. à quolibet contrafaciente incurrenda, & ut ſupra applicanda. Et ne ſcandala oriantur in accipiendis aquis prædictis, ordinamus, quòd olitores fratrum Sanctæ Mariæ Servorum de Piſtorio, & olitores hortum facientes extra Portam burgi, à via lata publica, quæ tendit Montaneam verſus, uſque ad viam molendini Joannis Baptiſtæ de Papagallis, videlicet verſus Portam Lucenſem, & uſque ad molendinum, olim Sebaſtiani de Pavoluccis, retinere poſſit dictam aquam ab occaſu Solis diei Sabbati

bati

bathi usq; ad sonum septimæ horæ tempore noctis. Olitores verò extra Portam Lucensem à dictis horis septem usque ad decimam quintam horam. Et Olitores existentes à dicto molendino Sebastiani de Pavoluccis usque ad molendinum hæredum Iuliani Desiderii, ab ipsa quintadecima hora, usque ad vigesimam primam. Et ab inde usque ad spartitorium capitis stratæ, à dicta hora vigesima prima usque ad horas quinque noctis tempore diei dominicalis. Et à dicto spartitorio voluendo aquas juxta viam publicam, usque ad hortum Joannis Baptistæ de Papagallis extra Portam Burgi, à dictis quinque horis usq; ad horam duodecimam die Lunæ. Aquam verò, quæ venit ex Flumine Branæ *di Scornio* possint accipere hoc modo, videlicet. A ponte *di Scornio* usque ad hortum dicti Joannis Baptistæ prædictum, possint retinere ab occasu solis diei Sabbati usque ad horam duodecimam diei Dominici. Et à dicto horto usque ad grates molendini à Poggio existentes in muris Civitatis infixas, Olitores Civitatis Pistorii, & à dicta hora duodecima usque ad horam duodecimam diei sequentis, videlicet Lunæ. Et omnes Olitores, videlicet hortorum S. Francisci, Montis Oliveti, S. Claræ, S. Joannis, S. Luciæ, & S. Gregorii possint adaquare hortuum eorum, aquis per eum fluentibus solùm, die Martis, & Jovis, & quolibet dictorum dierum, & etiam noctis tempore ipsorum, & non aliter, nec propterea teneantur aliquid solvere pro gabella communi Pistorii, vel alii pro eo. Et quicunque prædictorum Olitorum, qui ut prædicitur, voluerit ada quare, teneatur, & debeat suis expensis facere lavatorium absq; læsione goræ prædictarum aquarum, per quod fluat aqua, & in goram revertatur, sub pœna lib. decem den. pro quolibet, ut supra incurrenda, & applicanda. A ponte verò Asinario super flumine Umbronis versùs Montaneam nullus audeat, vel præsumat aquam accipere, vel de ejus cursu impedire sub eadem pœna, ut supra applicanda. Et quia posset accidere, quod aquæ prædictæ deberent pertransire per terras, & bona vicinorum illius personæ, quæ vellet uti commoditate, & adaquatione earum: Ideo liceat, & licitum sit cuilibet personæ aquas ipsas ad sua bona conducere etiam per terras, & bona suorum vicinorum, prout commodiùs fieri poterit; sed teneatur, & obligatus sit primò, & ante omnia solvere, & satisfacere suo vicino, vel vicinis, per quorum terras aquæ ipsæ pertransire deberent, id totum pro suis damnis, quod fuerit arbitratum per duos bonos viros ab eis eligendos, & in casu discordiæ provisor Operæ S. Jacobi Apostoli de Pistorio intelligatur esse, & sit tertius, & per duos ex eis; quam declarationem facere teneantur per totam diem dicto provisori S. Jacobi porrectæ quærelæ, seu differentiæ, sub pœna librarum decem denariorum pro quolibet eorum, ut supra, applicanda. Galigarii verò, & Tintores non possint, nec eis liceat tenere tabulas altiores uno brachio pro percipiendo aquas, & rastros debeant habere, & tenere qui sint distantes per vacuum unius quartæ partis brachii, sub eadem pœna, & applicatione. Molendinariæ autem personæ, & molendina prædicta, de quibus supra fit mentio, teneantur, & obligatæ, & obligata sint æstatis tẽpore, quando adaquantur horti, & blada, facere, & curare, ita, & taliter quod continuè remaneat, & sit in goris, & cursu gorarum prædictarum tantum aquæ, quod satis sit pro manutenendo Abbeveratorio prati S. Francisci,

cisci,

cifci. Et teneatur primus molendinarius in capite ftratæ ufque ad molendinum poft ejus molenpinum exiftens manutenere dictam aquam, & de ea curam habere, & fimiliter cæteri poft eum fubfequentes ufque ad molendinum Joannis Baptiftæ de Papagallis, in quo loco ineft ingreffus, & caput aquæductus dicti Abbeveratorii. Et etiam ipfi molendinarii eorumque camerarius, qui exigunt gabellam dictarum aquarum teneantur, & obligati fint facere, & manutenere tabulam in fpartitorio exiftente prope molendinum S. Francifci eorum fumptibus, & expenfis, adeò, & taliter, quod femper, & quandocunque aqua perveniat in abbeveratorium prædictũ, fub pęna librarum decem den. pro quolibet contrafaciente vice qualibet incurrenda, & ut fupra applicanda. Commune verò Piftorii, nec aliquis pro eo in futurum ullo unquam tempore non poffit, nec debeat exigere gabellam aquæ extra Civitatem Piftorii, & à manentibus, & morantibus in hortis, & terris extra dictam Civitatem pofitis. Pro confervatione autẽ viarum publicarum, ftatutum & ordinatum fit, quod nulla perfona poffit mittere aquam ex quolibet Flumine, vel gora per vias publicas Comitatus Piftorii quacunque de caufa, fub pęna lib. vigintiquinque, applicanda pro medietate officio Fluminum, pro quarta Rectori, & pro quarta accufatori. Et Vicarii Comitatus Piftorii teneantur transgreffores denunciare Mag. D. Comm. vel officialibus Fluminum intra tres dies à die transgreffionis, fub eadem pœna. Declarantes tamen, quòd tempore æftatis pro irrigandis hortis liceat olitoribus ducere aquam per vias prædictas, & poftquam irrigaverint, teneantur reaptare vias, & tollere aquam, fub eadem pœna. Et ad hoc ut prædicta fupra in præfenti cap. contenta obfervẽtur, & executioni mandentur, quolibet anno per Confilium populi Civitatis Piftorii eligi, & deputari debeat aliqua perfona, prout ipfi Confilio placuerit, quæ invigilare debeat ut ea omnia obferventur, & contrafacientes denunciare, & condemnare faciat, & fi quos accufaverit, vel denunciaverit habeat, & habere debeat tertiam partem condemnationis de ipfis denunciatis poftquam venerit effectiva ipfa condemnatio in Commune.

De foveis tenentibus caput ad goram molendini. Rub. XXXIV.

PRovifum eft, quòd homines, & perfonæ, quæ habent terras juxta goras molendinorum extra Civitatem, & burgos, & habent foveas inter fe, & vicinum fuum tenentes caput ad goram, tales prrfonæ teneantur implere, & repleri facere ipfas foveas, & foveam juxta cigliare Goræ per tria brachia de terra folida in campis, ita quod aqua non poffit, nec debeat fluere per ipfas foveas, feu foveam, & qui contrafecerit poft requifitionem factam, puniatur per dictum Judicem in folidis quadraginta den. & foveam faciat replere nifi haberet ibi adaquatorium.

De Arbitrio officialis damni dati. Rub. XXXV.

PRovifum eft, quòd Officialis damnorum datorum poffit punire, & condemnare fuis mandatis non parentes ad fui beneplacitum, & arbitrium

trium

trium confiderata conditione perfonæ, & qualitate delicti, dummodo dicta cõdemnatio non poffit excedere folidos quadraginta den. & dummodo dicta præcepta non fiant, aut fint contra formam Statutorum Piftorii, nec pro una,& eadem re poffint fieri ultra duo præcepta,& condemnationes de prædictis fiant in fcriptis.

In quibus caufis appellari liceat à fententiis Damnorum Datorum. Rub. XXXVI.

STatutum, & ordinatum eft, quòd in caufis Damnorum datorum,à fententiis, quorum condemnationes, vel abfolutiones continent fummam librarum quinque, vel majorem latis per Officialem Damnorum datorum fpecialiter deputatum appellari poffit, & de nullitate dici ad D. Judicem ordinarium Communis Piftorii, vel ad Dominos Priores dictæ Civitatis, feu ad Dominum Judicem Quarteriorum, & inter eos habeat locum præventio, & à fententiis, ut fupra latis per D. Commiffarium ad dictos Dominos Priores, vel ad D. Judicem Quarteriorum. Et in dictis appellationibus fervetur in omnibus, & per omnia modus, & forma, prout in criminalibus, ut fuit difpofitum infra libro feptimo Rubrica feptima. A fententiis verò condemnatoriis à libris quinque infra, non liceat appellare, nec quoquo modo de nullitate dicere; fed prædictæ fententiæ omninò executioni demandentur.

Quod Officialis teneatur exigere condemnationes, quas facit. Rub. XXXVII.

ORdinamus, quòd dictus Officialis teneatur, & debeat omnes, & fingulas condemnationes, quas fecerit de his, qui cõparuerint primis quinque menfibus fui officii exigere, & folvi facere Camerario Communis Piftorii pro tempore exiftenti,alias de fuo proprio teneatur folvere ea dicto Communi Piftorii.

De pœna aucupantis ad Columbos. Rub. XXXVIII.

QUia nimium circa hoc crevit abufus, præcipuè rufticorũ cum maximo Civium damno, ideo ftatuimus, quòd nulla perfona audeat, vel præfumat aucupari, occidere, feu capere aliquo modo aliquos Columbos domefticos,fub pęna librarum centum, & duorum tractuum funis pro prima vice,&pro fecunda vice, condemnetur,ultra fuprafcriptã pœnam pecuniariã, per quinquennium ad triremes; applicando femper dictam pœnam pecuniariam pro medietate inventori, accufatori, vel denunciatori publico, feu fecreto, pro quarta parte Communi Piftorii, & pro alia quarta parte Officiali, qui dictam condemnationem exegerit; & de prædictis inveftigare, & accufare poffit quilibet de populo, & quilibet berroarius, five fatelles teneatur de prædictis inveftigare, & Officialibus prædictis denunciare delinquentem, qui ulterius teneatur, etiam ad emendationem damni illati, de quo damno, ftetur facramento cujuflibet petentis, & dicentis fe damnum recepiffe, dummodo probet fe tali tempore habuiffe Columbarium, & dictum accufatum

Columbos cepisse, sive per confessionem ejus, sive aliquo legitimo modo: Nec obstet prædictis, neq; processui formato, sive per accusationem, sive per inquisitionem procedatur, quòd non contineatur in processu cujus fuerint Columbi, sed solùm, & dumtaxat sufficiat apparere eum tales domesticos Columbos cœpisse; & hoc, tam ad pęnam imponendam, quàm ad emendationem damni. Et de prædictis possit inquirere Judex Damnorum datorum, & quilibet Rector habens cognitionem in maleficiis per accusationem, inquisitionem, & denunciationem, & procedere ad condemnationem prædictam, & ad faciendum fieri emendationem damni, secundùm, quòd superiùs continetur.

De pœna sagittantis, vel balistantis. Rub. XXXIX.

SI qua persona balistaverit, vel sagittaverit, vel traxerit sclopos, sclopettos, vel balistam in aliqua domo, turri, vel cassaro, aut casamento, causa occidendi, vel capiendi aves, sive alia quacumque de causa in Civitate Pistorii intra muros, vel sagittas, quadrellos, vel aliam rem, quæ nocere possit, condemnetur per Judicem Damnorum datorum in libris quatuor den. pro qualibet vice, cujus medietas sit Communis Pistorii, quarta pars damnū passi, & alia quarta Rectoris exigentis, & in Commune venire facientis; & quilibet possit accusare, & credatur sacramento accusatoris cum uno teste, & teneatur nomen ejus secretum.

De his, ad quæ tenentur Beccarii. Rub. XXXX.

STatuimus, & ordinamus, quòd Beccarii, Pizzicagnoli, & pisces vendentes Civitatis, Districtus, & Montaneæ Pistorii, teneantur, & debeant servare nova Capitula, & ordinamenta Operæ S. Jacobi Apostoli in materia disponentia, sub pœnis in eis contentis.

De Pellizariis, & Garigariis. Rub. XXXXI.

STatutum, & ordinatum est, quòd pellizarii, & conciatores pellium non possint habere, vel tenere conciam pellium, vel eas excarnare, conciare, nectare, vel battere intra primum circulum Civitatis Pistorii, intra quem omninò prohibemus omnibus, & quibuscumque facere, & exercere dictas artes in domibus, & apothecis propriis, vel conductis; & si quis contrafacere prædictis modo aliquo præsumpserit, puniatur per Regimen Civitatis Pistorii in lib. vigintiquinque den. pro qualibet vice, applicandis pro medietate Communi Pistorii, pro quarta parte accusatori, & pro quarta Rectori exigenti, & nihilominus à dicto exercitio cogatur decedere a locis prædictis, omni exceptione remota.

Quod

Quod nullus audeat decoriare aliquam carognam in Civitate. *Rub.* XXXXII.

NUllus audeat, vel prçsumat decoriare aliquam carognam in Civitate Pistorii, vel propè eam sub pœna librarum vigintiquinque den. pro qualibet vice, exceptis his qui decoriant super lecto Umbronis, vel ultra dictam Civitatem per unum miliare, cujus pçnæ medietas sit Communis Pistorii, quarta pars accusatoris, & reliqua Rectoris exigentis. Et dominus, seu conductor domus sive stabuli, & scorticatorii, existentis propè, & è contra Ecclesiam Conventus Sancti Francisci in Civitate Pistorii in loco, qui dicitur Borgo melano, non possit in ea excoriare, nec dicta domo uti pro scorticatorio aliquo modo, sub eadem pçna, & applicatione.

De Tinctoribus, & Purgatoribus. *Rub.* XXXXIII.

OMnes Tinctores, & Purgatores debeant morari ad ipsam artem exercendam juxta Umbroncellum Civitatis Pistorii, seu juxta aliquam aquam currentem, & alibi stare non permittantur, nec proiicere aquam tinctam in viis publicis, & qui contrafecerit, seu de qua domo aqua exiverit, habitans in d. domo, puniatur in libris quinque den. & si non fuerint iuxta flumina, possint facere unam cloacam coopertam, & prædicta omnia sub terram proijcere.

Quòd Maritus teneatur pro Uxore de tela data ad texendum. *Rub.* XXXXIV.

ORdinamus, quòd si qua persona Civitatis, vel Districtus Pistorii, tradiderit alicui mulieri maritum habenti, aut filio, vel filiæ familias de Civitate, vel Districtu Pistorii telam, aut aliud ad texendum, vel curandum, & res datæ amittantur, maritus teneatur, uxor, pater, & filius, sed ita demum teneantur maritus, & pater, nisi contra mariti, & patris voluntatem expressè data fuerit res; Sed si per ignem res amittatur, non teneatur exinde maritus, aut uxor, aut pater, aut filius, si domus, vel res, ut præponitur, combusta fuerit, & se possint sacramento defendere, quod culpam non dederint, vel commiserint, aut habuerint inde, & credatur sacramento dantis pannum, seu telam ad texendum, vel curandum. Et idem dicimus de pannis, & rebus datis ad vendendum, si videbitur regimini honesta persona illa, quæ dederit prædicta, vel aliquod prædictorum dicat se dedisse; pater verò in aliquo suprascriptorum casuum non teneatur pro filia, si nupta fuerit.

Quòd omnes viæ, & stratæ debeant inglariari. *Rub.* XXXXV.

SAncimus, quòd omnes viæ, & stratæ Communis Pistorii debeant inglariari propè Civitatem Pistorii ad minus per unum miliare, & ab inde supra in locis, in quibus necesse fuerit, per homines Civitatis Pistorii, secundùm declarationem faciendam quoties opus fuerit, per Officiales, & Recto-

res desuper deputatos, sub pęna librarum quinque den. Et ad obviandum,& tollendum discordias, quæ oriri solent, & possunt occasione stratarum, & viarum Communis Pistorii, inter Communia dicti Comitatus, & alios homines, & personas, statutum est, quòd infrascripta Communia, Loca, Castra, & Villæ Comitatus Pistorii, teneantur, & obligatæ sint infrascriptas stratas, & vias eis, & cuilibet ipsarum assignatas, & datas pro eorum, & cujuslibet eorum parte, ut infra per ordinem est expressum, in perpetuum reaptatas, inglariatas, & altas manutenere benè, & sufficienter quodlibet Commune, Communitas, Locus, Castellum, & Villa partem ei assignatam, ut infra, ad pęnam librarum decem den. pro quolibet Communi, Communitate, Castello, vel Villa contrafaciente, & qualibet vice, & solidorum viginti pro quolibet homine ex dictis Communibus, qui esset inobediens; de quo aptamento dictarum stratarum, & viarum, an sint sufficienter aptatæ, altæ, & inglariatæ, stetur declarationi militis viarum,& dominorum super id per Commune Pistorii deputatorum, sive duarum partium eorumdem. Et teneantur, & debeant dicta Communia, & Loca, Castra, & Villæ aptari facere, & manuteneri ponticellos in dictis stratis, & viis eisdem assignatis existentes, sub dicta pęna; quas pœnas incurrant ipso facto, & incursi esse intelligantur, quæ debeant exigi per militem viarum, ad favorem Communis Pistorii, sine alia condemnatione inde facienda. Et quodlibet Commune, Castellum, Communitas, Locus, & Villa Comitatus Pistorii, cui, seu quibus infrascriptæ partes stratarum, & viarum sunt assignatæ, teneantur,& debeant ponere, & immittere, & posuisse, & immisisse, ubi non esset, unum terminum lapidis in infrascriptis partibus stratarum, & viarum, sivè confinia eis, & cuilibet ipsorum assignata, in quo lapide scriptum, & sculptum sit, & declaratum nomen Communis, & numerus brachiorum viæ, sive stratæ ipsi Communi assignatæ infra duos menses à die confirmationis præsentium Statutorum, sub pœna librarum decem pro quolibet contrafaciente Communi Pistorii applicanda. Qui termini lapidei poni, & mitti debeant cum præsentia, & consensu illorum Civium, qui fuerint electi per DD. Priores, & Vexilliferū Justitiæ, & eorum Collegas Civitatis Pistorii, non excedendo aliquo modo, vel quæsito colore, confinia, modos, terminos, & ordinamenta infrascripta, & si dd. termini ponerētur aliter, vel ultra terminos, modos, & ordinamēta infrascripta, non valeant, nec teneant; remanente tamen firma declaratione, & assignatione infrascripta, sub pœna prædicta, & lib. quinquaginta den. pro quolibet ex dictis Civibus, ut supra dicitur eligendis, qui dictos terminos mitterent, seu mitti, & poni facerent aliter, vel ultra terminos modos, & ordinamenta infrascripta. Et teneantur, & debeant infrascriptæ Communitates, & Loca infra sex menses inde proximè secuturos dictas stratas, & vias eis assignatas aptasse, & inglariasse, ut supra dicitur, & aptas in perpetuum manutenere, sub pœna librarum vigintiquinque cuilibet Communitati, & loco contrafacienti, applicanda Communi Pistorii modo suprascripto. Et sit eis licitum,& possint Communitates, & loca pro aptatione stratarum, & dictarum viarum accipere ligna, & de terreno tunc sito juxta dictam stratam, & viam, seu

vias

vias sinè pœna. Declarantes, quòd per prædicta, & omnia alia suprascripta, & infrascripta, vel eorum aliquod, aut eorum, vel alicujus eorum vigore non præjudicetur, nec præjudicatum esse intelligatur, ut sit dictis Communibus, Locis, Communitatibus, Castris, & Villis, vel alicui eorum in jure, sive in juribus, quod, vel quæ haberent in dictis eorum Communibus, & ipsorum Territorio, & confinibus, sed ipsa jura, & eorum quodlibet sint, & remaneant Communibus eisdem, & cuilibet eorum firma, & valida, & sicut erat ante confectionem præsentium ordinamentorum, non obstante dictorum terminorum missione, vel positione. Et prædicta omnia, & singula suprascripta, & infrascripta observari, & executioni mandari debeant, & ab eorum executione nullo modo appellari possit.

Stratæ verò, & Communia sunt hæc, videlicet. Stratã, per quam itur ad Castrum Serravallis, & ad Civitatem Lucanam, Commune, & Castrum Serravallis aptet, & inglariatam, & aptatam sufficienter manuteneat, ut supra dicitur de dicta strata, incipiendo à vertice canalis, in quo sunt confinia Montis Catini, & Serravallis, veniendo Pistorium versùs, usque, ut dicitur, *alla volta della Stella*, & usque ad pontem Romanaticum, sive, ut dicitur, *al ponte Rotto* cum toto ponte prædicto, in quo loco sunt confinia inter Commune Serravallis, & terrenum Groppolis, & est ad mensuram brachiorum octo millium. Commune Castellinæ, & Marazzani aptet, & manuteneat, ut supra à dicto Ponte Romanatico, veniendo Pistorium versus, brachia septingenta. Commune Serræ à dictis confinibus Castellinæ, usque ad primum pontem existentem propè Abbeveratorium, & totum dictum pontem, & sunt brachia ducenta. Spazzavento, Gabbiano, & Montebuono, à dicto ponte, usque ad ponticellum erga locum, ubi erat fornax Leonardi Marabottini, & sunt brachia centum octuaginta. Commune Casoris, à dicto ponte, veniendo versùs Pistorium, brachia centum. Commune Calamechæ à dictis confinibus Casoris, veniendo versùs Pistorium, usque ad quantum trahit tota vinea, quæ fuit dicti cellæ, videlicet brachia ccccl. Collina, Bargi, & Fontana, à dicta vinea, & à dictis confinibus Calamechę, usque ad pontem Virginis, & sunt brachia ducenta. Momigno, & Montagnana, à dicto ponte Virginis, usque ad ponticellum domus, quæ fuit Jacobi Bartholomæi, videlicet brachia sexaginta. Commune Lanciuole, à dicto ponticello versus Pistorium, brachia ducenta. San Pantaleo, à dictis confinibus Lanciuolis versùs Pistorium, brachia tercenta. Vincio, & Solajo, à dictis confinibus Sancti Pantaleonis, usque ad pontem longum, sunt brachia quatuorcenta quadraginta. Laboratores Civitatis Pistorii, videlicet portæ Lucensis, & circumstantiarum dictæ portæ, quibus non est pars aliqua assignata, videlicèt, Vicofari, & aliæ circumstantiæ dictæ portæ extra territorium talis circumstantiæ à dicto ponte, usque ad Civitatem Pistorii. Stratam, per quam itur ad Civitatem Prati. Commune Aglianæ aptet, & inglariet, & altam manuteneat, ut supra dicitur dictam stratam, per quam itur ad pontem, & confinia Civitatis Prati, usque ad domum Presbyteri Cionis, & rinforzati Mannelli, & sunt brachia septem millia biscentum, & ultra dictum pontem, usque ad ponticellos prædii

dii *della Torricella* Domini Bartholomæi de Panciaticis, & sunt brachia mille sexcenta, in totum brachia octomillia octingenta. Commune Sancti Mati, à dicto ponticello Torricellæ, usque ad ponticellum existentem erga, & propè terram hospitalis Ceppi, & terram hospitalis pontis Branæ, & sunt brachia sexcenta quinquaginta duo, & ultra dictum ponticellum brachia trecenta quadraginta octo, in totum brachia mille. Commune Chiazzani, e *delle Capannelle*, aptet, & manuteneat, ut supra dicitur, à dictis confinibus Sancti Mati versùs Pistorium veniendo, brachia mille. Commune Sancti Quirici à dictis confinibus Chiazzani versùs Pistorium, brachia mille centum septuaginta duo. Commune Canapalis à dictis confinibus Sancti Quirici, veniendo Pistorium versùs, usque ad Nespolum, & sunt brachia mille. Laboratores Civitatis Pistorii, videlicet portæ Caldaticæ, & circumstantiæ dictæ portæ, quibus non est pars aliqua assignata extra Territorium talis circumstantiæ, à dicto Nespolo, usque ad Pistorium. Stratam, per quam itur ad Montalem, Commune Montalis aptet, & inglariet, & altam manuteneat, ut supra dicitur, incipiendo à Flumine Agnæ, veniendo versùs Pistorium, brachia sex milia septingenta quatuor. Commune Luviccianæ, & Vallis Bisentii à dictis confinibus Montalis, veniendo versùs Pistorium, brachia mille. Commune Sancti Mati à dictis confinibus Luviccianæ, veniendo versus Pistorium, brachia mille. Commune Sancti Quirici à dictis confinibus Sancti Mati, veniendo versùs Pistorium, brachia mille. Commune Vallis Buræ aptet, ut supra à dictis confinibus Sancti Quirici, usq; ad pontē novum Buris, & sunt brachia mille sexcenta. Laboratores Civitatis Pistorii, videlicet portæ Guidonis, & circumstantiæ dictæ portæ, vel quibus pars aliqua non est assignata extra territorium dictæ circumstantiæ, à dicto ponte novo, usque ad Civitatem Pistorii. Stratam, per quam itur Florentiam, Commune Tizzanæ aptet, & ut supra inglariet, incipiendo à confinibus Carmignani, usque ad confinia Vigniuolis, & sunt brachia quatuor millia biscentum, & ultra de Territorio Vignuolis, brachia mille quatuorcenta vigintiquinque, in totum brachia quinque milia sexcenta vigintiquinque. Commune Vigniuolis à dictis confinibus Tizzanæ usque ad confinia Montis Magni, & sunt brachia duo millia septingenta. Commune Montis Magni, à dictis confinibus Vigniuolis, usque ad confinia Territorii Publicæ, & sunt brachia duo millia centum quinquaginta. Commune Publicæ à dictis confinibus Montis Magni, usque ad pontem Brussignani, & sunt brachia quinquemillia septingenta quinquaginta; & ultra, veniendo versùs Pistorium, brachia quingenta, in totum brachia sexmillia biscentum quinquaginta. Commune Montis Magni aptent, & manuteneant ejus homines, ut supra à dictis confinibus Publicæ, usque ad ponticellum di Ciarri, & sunt brachia sexcenta. Commune Canapalis à dicto ponticello di Ciarri versùs Pistorium brachia sexcenta quinquaginta. *Casa del Vescovo*, à dictis confinibus Canapalis, usque, ut dicitur, *allo Sperone*, & sunt brachia quingenta. Laboratores Civitatis Pistorii portæ Caldaticæ, & illi, qui laborant terram super dictam stratam novam, ac etiam circumstantiæ dictæ portæ, cui, seu quibus non est aliqua pars assignata extra Territorium talis circum-

cum-

cumſtantiæ, à dicto Sperone, uſque ad Civitatem Piſtorii. Stratam, per quam itur ad capannam Floris, & deinde ad Quarratam, Commune Publicæ aptet, & inglariet, ut ſupra à capanna Floris uſque ad Referrum, in quo loco ſunt confinia inter commune Publicæ, & Montis Magni. Commune Montis Magni à dictis confinibus, uſque ad confinia Quarratæ. Strata, per quam itur ad Maſianum Comitatus Piſtorii, incipit à ponte Bonellis, uſque ad pontem, qui dicitur *Monte Magneſe*. Commune Caſalis apter ur ſupra de dicta ſtrata à ponticello Montis Magneſis, uſque ad domum Loſtis Danarelli, ubi ſunt confinia Maſiani, & ſunt brachia duomillia centum. Commune Maſiani à dicta domo Loſtis, uſque ad pontem novum Sancti Bartholomæi, & domum Pauli Braccini, ſunt brachia mille ſeptingenta ſeptuaginta quinque. Commune Lamporecchii, à dictis confinibus Maſiani, veniendo versùs Piſtorium, brachia duomillia quingenta, capiendo totum pontem prædictum. Caſtro, & Conio à dictis confinibus Lamporecchii versùs Piſtorium, brachia ſexcenta. Quarrata, & Buriano a dictis confinibus Caſtri, & Conii, uſque ad pontem Bonellis, ſunt brachia octingenta quinquaginta. Laboratores Civitatis Piſtorii, videlicet portæ Lucenſis, & circumſtantiæ dictæ portæ, cui, vel quibus non eſt pars aliqua aſſignata extra territorium dictæ circumſtantiæ. Et laboratores etiam, qui laborant terram, juxta dictam ſtratam, à dicto ponte Bonellis uſque ad Civitatem Piſtorii. Stratam, per quam itur ad Caſale Comitatus Piſtorii, Commune Caſalis aptet, & inglariet, ut ſupra, incipiendo à quodam ponticello exiſtente propè Plebem de Caſali prædicto, uſque ad confinia ſui Territorii, quæ confinia ſunt *alla Croce in campo*, & ſunt brachia quatuor millia tercenta viginti, & ultra dicta confinia, veniendo versùs Piſtorium brachia ducenta, in totum brachia quatuor millia quingenta viginti. Commune Larciani à ſupraſcriptis confinibus Caſalis, veniendo versùs Piſtorium brachia duo millia centum. Commune Maſiani à dictis confinibus Cecinæ, veniendo verſus Piſtorium brachia biſcentum. Commune Raminis à dictis confinibus Maſiani verſus Piſtorium brachia centum uſque ad domum Sancti Georgii. Stratam portæ Burgi, per quam itur ad Montaneam Piſtorii, Commune Brandegli aptet, & manuteneat, ut ſupra de dicta ſtrata à domo ſer Joannis Martini, eundo verſus Brandeglium uſque, & per totum Territorium Brandeglii. Laboratores portæ Burgi, à dicta domo ſer Joannis, uſque ad Civitatem Piſtorii. Viam, per quam itur in goram Burgi, incipiendo à porta Burgi, ut ſupra aptent Laboratores in dicto territorio Goræ, & circumſtantiæ Sancti Georgii. Guzzi, Gelli, & Scappati. Et perſonæ, quarum ſunt molendina, teneantur mittere goram. Stratam, per quam itur ad caſtrum Sanctæ Margaritæ, & Sambucæ, incipiendo à porta *di Ripalta*, uſque ad confinia Camaldolis circumſtantiæ portæ Burgi, videlicet San Romano, Fiammiano, Bruggianico, Camaldole. Et laboratores, qui laborant terram ſuper, & juxtà dictam ſtratam, teneantur eam aptare, & manutenere altam, incipiendo à dicta porta *di Ripalta*, uſque ad confinia totius territorii Camaldolis, Sarornana, Sanfelice, San Mommè, & Paterno, à dictis confinibus Camaldoli, uſque ad hoſpitale Prati, aptent, & manuteneant.

ant, Commune Sambucæ, a dicto hospitali, usque ad confinia Bononiæ. Stratam, per quam itur ad Vinaccianum, incipiendo à ponte di *Cacazzini*, usque ad Flumen Stellæ, teneantur aptare, & manutenere, Commune Raminis, Bonellis, Calestri, Querciæ chinatæ, & laborantes terram juxtà dictam stratam. Stratam, per quam itur *al Pillone*, incipiendo à ponte di *Ciregiuole*, aptent, & manuteneant, ut supra, Commune de *Ciregiuole*, & Pillonis, usque ad confinia di *Ciregiuole*. Stratam, per quam itur ad Candegliam, Commune Vallis Buræ aptet, & manuteneat, ut supra quantum trahit, & durat ejus territorium, & ultra, veniendo versùs Pistorium, usque ad pontem Virginis, & totum dictum pontem. Laboratores Civitatis Pistorii, videlicet portæ Guidonis, & circumstantiæ dictæ portæ, quibus aliqua pars non est assignata, extra territorium dictæ circumstantiæ, aptent, & manuteneant à dicto ponte Virginis, usque ad Civitatem Pistorii. Stratas, & vias magistras, quæ non sunt terminatæ, & de quibus in præsenti ordinamento, & declarationibus non fit mentio aptent, & manuteneant sufficienter, ut supra, Communia, Comitatus, Villæ, & Castra, in quorum confinio sunt posita. Vias publicas, de quibus in præsenti ordinamento non fit mentio, aptent, ut supra illi homines, & personæ, quorum sunt terræ, juxta dictas vias existentes, sive eorum laboratores, quilibet, prout trahit ejus terra, sive campus, & si dictæ viæ indigent inglariari, inglarientur per prædictos, & per illos laboratores, qui habent, & recipiunt usum, & commoditatem dictarum viarum. Vias existentes juxtà ante foveas Civitatis Pistorii, extra Civitatem prædictam, aptent, & manuteneant laboratores Civitatis Pistorii. Quemdam ponticellum lignaminis existentem inter Flumen Branæ, & terram *del Giardino*, faciant, aptent, & manuteneant fornaciarii habentes fornacem extra portam S. Marci, juxta terminum ejusdem per militẽ viarum assignandum. Qui miles viarum in toto semestri sui officii, non possit stare, vel morari in aliqua Communitate, vel loco comitatus Pistorii pro suo officio exercendo, nisi solùm, & dumtaxat per unam diem, & non ultra, & debeat ducere secum unum equum, tres famulos, & unum nuncium, & si contrafecerit, puniatur qualibet vice in libris centum denariorum. Hoc etiam declarato, quòd pars viæ assignata Communibus Luviccianæ, & Vallis Bisentii, ut supra in divisionibus suprascriptis continetur, aptari, & manuteneri, & fieri debeat per Commune, modò talis comitatus Pistorii, & dictæ Communitates Luviccianæ, & Vallis Bisentii aptent, & manuteneant de parte, & via assignata Communi Montalis in numero quadringentorum brachiorum, incipiendo à Flumine Agnæ, & veniendo versùs Civitatem Pistorii.

De claudendis non faciendis in Fluminibus. Rub. XLVI.

AD removendum plura damna, quæ quotidie fiunt ex abundantia aquarum ob multas claudendas, quæ continuè fiunt, & factæ sunt in Fluminibus. Nullus cujuscunque gradus, conditionis, aut præeminentiæ existat, audeat, vel præsumat modo aliquo aliquam claudendam facere, seu fieri facere.

cere, in aliquo Flumine, & in lecto aliquorum Fluminum, pro piscando, seu ex aliqua alia causa, adeo ut Flumen habeat viam, & iter impeditum, sub pęna cuilibet contrafacienti librarum viginti pro qualibet vice, cujus pœnæ, quarta pars sit Rectoris, & Officialis, reliqua Communis Pistorii. Et ut prædicta observentur, ordinatum est, quòd quilibet Vicarius, seu Syndicus, & Rector Communis, Villarum, & locorum Comitatus Pistorii, teneatur, & debeat reclamare, querelam proponere, & referre Domino Commissario Civitatis Pistorii, seù Officiali Damnorum datorum pro communi Pistorii quẽlibet facientem aliquam claudendam in dicto Flumine infra tres dies à die factæ claudendæ, sub pęna librarum quatuor den. pro quolibet dictorum Syndicorum, & Rectorum. Et nihilominus Communitas, in cujus territorio, vel loco facta est aliqua claudenda possit, & debeat cogi, & compelli per dictum Officialem ad devastandum dictam claudendam, & aperiendum iter, & lectum dicti Fluminis. Et insuper dicta Communitas teneatur ad emendationẽ cujuslibet damni quomodocũque facti per tale Flumen, respectu dictæ claudendæ. Et pro prædictis sint subjecti dictis Officialibus Civitatis Pistorii pro damnis, quæ quoquomodo fiunt in possessionibus Civium, & habitantium in Civitate Pistorii; & quilibet juxta suas terras teneatur mundare, & mundari facere lectum Fluminis de lignis, spinis, aliisque impedimentis, adeo quòd Flumen habeat iter apertum. Et similiter vias publicas, juxta quas decurrunt aquæ Communis, & Villæ per quarum territorium transeunt Flumina, teneantur mundare, & mundari facere, sub pœna librarum decem denariorum pro qualibet vice, ut supra applicanda. In quo quidem lecto Fluminis cujuscumque qualitatis existat, non possit aliqua claudenda, sive aliquod aliud permansurum fieri, haberi, neq. teneri per aliquã personam cujuscunq. qualitatis existat, per quod aquæ cursus modo aliquo impediatur, nisi priùs obtenta licentia à Consilio Populi Civitatis Pistorii in sufficienti numero congregato, sub pœna lib. biscentarum den. cuilibet contrafacienti, in quam ipso facto incurrat, applicanda pro dimidia Communi Pistorii, pro quarta parte Rectori exigenti, & pro quarta accusatori. Et nihilominus qui contrafecerit, teneatur infra tres dies, postquam requisitus fuerit, ad petitionem cujuscunque interpellantis, etiam privatæ personæ, removisse eam totaliter, & effectivè, sub pęna prædicta, modo prædicto applicanda, & toties quoties contrafactum fuerit.

De mensuris rectis habendis. Rub. XLVIII.

STatuimus, quòd quælibet persona vendens vinum minutatim (& intelligimus vendere vinum minutatim, quoties vendiderit vinum minus medio barile simul) habere teneatur mensuras rectas ad ratam quadraginta metadellarum pro barile, videlicet medium quartum, tertium medii quarti, metadellam, mezzettam, terzariolum, & quartuccium, & teneatur vendere dictum vinum, & dare cuilibet petenti, juxta dictas mensuras, sicut persona emens petierit; & si quis super hoc culpabilis fuerit, puniatur per dictum

 Judi-

Judicem Damnorum datorum pęnis in constitutionibus expressis. Quælibet autem persona vendens vinum minutatim, habeat omnes mensuras prædictas bullatas, & sigillatas sigillo ordinato per Operarios Operæ S. Jacobi Apostoli de Pistorio. Et nulla persona vendens vinum minutatim, possit tenere, vel habere aliquem parietem, vel claudendam ante vegetes, sub pœna solidorum quadraginta, pro quolibet, & qualibet vice, qua contrafieret. Atque Judex teneatur vinculo juramenti diligentiam facere de prædictis, saltem bis in hebdomada, & quilibet possit accusare contrafacientes, & habeat dimidiam condemnationis. Salvo quòd vendentes vinum minutatim extra muros Civitatis Pistorii dictos parietes tenere possint, ad hoc ut vinum non corrumpatur propter Solis calorem. Et prædicta omnia non vendicent sibi locum in his, qui vendunt vinum ad Flascos.

De non dando ad vendendum Vinatteriis, & Fornariis. Rub. XLIX.

TEneantur Sacramento Judex, Notarii, & Nuncii, & quilibet eorũ, quando vadunt ad ponderandum panem, & rimandum de mensuris vini non dare ad vendendum aliquod pro se, vel aliis aliquo modo Fornariis, & vendentibus vinum, vel alicui eorum, vel aliis pro eis, cùm venerint, vel ire debuerint per Civitatem Pistorii, ponderando panem, vel mensuram vini rimando, & qui super hoc inventus fuerit culpabilis, puniatur à Regimine in libris quinque den. ad favorem Communis Pistorii, pro qualibet vice. Et omnes personæ Civitatis, & districtus Pistorii, quæ vendunt, vel vendere fecerint vinum minutatim, falsa mensura non sigillata cum sigillo Operariorum S. Jacobi de Pistorio, puniantur in solidis quinque den. & hoc si dicta mensura fuerit inventa vacua vino. Si autem fuerit inventa plena vino, puniatur in solidis decem den. pro qualibet mensura, & qualibet vice, & hoc post bannum missum de mensuris, & post mensuras datas cuilibet habendi dictam Artem vendendi, sive minutatim, sive alio modo. Et quælibet persona, quæ vendiderit vinum minutatim, debeat tenere mensuras vini revolutatas, aliàs puniatur ea pęna, qua puniri deberet de falsa mensura. Et habere, & tenere debeat omnes mensuras in præcedenti capitulo contentas, & nominatas, & qui repertus fuerit culpabilis, pro qualibet mensura non inventa, & qualibet vice, puniatur in solidis viginti den. & teneatur dictus Judex rumpere, & rumpi facere omnes mensuras falsas, & non sigillatas.

De non vendendo vinum minutatim, nisi certo modo. Rub. L.

NUlla persona cujuscunque status, ac conditionis existat, tam in Civitate Pistorii, quàm districtu propè ipsam Civitatem per unum milliare, possit, aut ei liceat vendere vinum minutatim minori mensura, quàm ad flascos, sub pęna librarum quindecim den. pro qualibet vice, applicanda pro dimidia emptori gabellæ vini à Commune Pistorii, pro quarta parte ipsi Communi, & pro alia quarta Rectori exigenti, nisi talis vendens habuerit licenti-

am

am ab ipso emptore, & gabellario, vel nisi solverit taxam consuetam, juxta ordinamenta dictæ gabellæ. Vendentes tamen vinum ad flascos, non possint ementibus illud aliquid comestibile dare, nec facere eis, ut dicitur *insalate* erbarum, seu alias res comestibiles dare, & accomodare, nisi medium quartum cum vino, & ciatos, sub pęna librarum trium denariorum à quolibet contrafaciente incurrenda, & ut supra applicanda. Ementes verò vinum prędictum ad flascos, possint illud bibere ubilibet eis videbitur, præterquam in domo talis venditoris, sub pęna librarum octo denar. ut supra applicanda qualibet vice.

De pœna vendentis cum aliis mensuris, quàm sigillatis. Rub. LI.

SAncimus, quòd omnes personæ de Civitate, & districtu Pistorii, quæ vendunt ad pondus, vel mensuram, debeant vendere cum mensura, & ponderibus de ferro, vel alio metallo à duodecim libris infra datis à Judice suprascripto, & signatis ab Operariis Sancti Jacobi, vel ab alia persona pro eis, signo, & armis Communis Pistorii, sicut prædictis Operariis melius videbitur, (quibus Operariis vacantibus, eorum loco sint Domini Procuratores dictæ Civitatis) semel quolibet anno de mense Januarii. Et si quis de Civitate Pistorii vendiderit cum aliis mensuris, quàm supra dictum est, puniatur, quoties culpabilis fuerit, à dicto Judice in solidis viginti den. pro qualibet mensura, & quolibet pondere, & qualibet vice, mensura, & pondus rumpatur, salvo, quòd mensura olei possit esse de terra tamen sigillata. Et dictus Judex teneatur, & debeat dictos Operarios cogere, signare, & signari facere dictas mensuras, vel pondera signo, ut supra continetur, possit tamen impunè ponderari cum marchio, sive doppia de metallo semel sigillato, & ulterius sigillari non debeat. Et possint, & debeant dicti Operarii percipere ad favorem Operæ S. Jacobi, & pro ipsa Opera quatuor den. pro qualibet mensura, & pondere si signatur, & non plus, & eodem modo, & forma signentur bozoli molendinariorum. Et omnia pondera ferrea signentur de suprascripto signo, sicut suprascriptis Operariis (vel procuratoribus, ut supra eis vacantibus) videbitur melius fieri pro totidem pretio, recipiendo per dictos Operarios pro suprascripta Opera, vel alia persona pro eis; & quæcunque mensura, vel pondus est signata, vel signatum signo prædicto semel in anno, non signetur ampliùs in dicto anno, debeat tamen rimari, si est recta, vel rectum, Iudex suprascriptus, nec pro ipsa rimatione, aut mensura aliquid solvatur, vel exigatur ab aliquo nullo prorsus modo. Item quilibet in unaquaque apotheca vendens bladum in Civitate Pistorii, habeat quartinam, & mediam quartinam, & quartum de ferro, quibus vendant, & emant bladum, & non aliis, & si fortès alia quartina, vel media quartina, vel quartum, quàm de ferro sibi inveniretur, puniatur à dicto Judice, qualibet vice in solidis quadraginta den. Mensurator verò, qui steterit pro Opera Sancti Jacobi in mercato, teneatur investigare prædicta, & denunciare dicto Judici contrafacienti, & credatur sacramento ipsius mensuratoris Operæ. Et teneantur dicti Opera-

rii facere fieri mensuras bladi, salis, & olei de ferro, quibus coæquentur aliæ mensuræ vendentium merces. Et quælibet persona, quæ emerit, vel vendiderit in mercato Communis, vel platea Salæ, emat, vel vendat dictis mensuris Operæ S.Jacobi, & nō aliis mensuris,& qui contrafecerit,puniatur pro qualibet vice in solidis viginti den. per dictum Judicem. Et nulla persona debeat tenere in dictis plateis aliquas alias mensuras, quàm dictas suprascriptæ Operæ, sub dicta pęna, & hoc banniatur. Et illi, qui sigillaverint dictas mensuras, teneantur,& debeant apponere aliquod signum, per quod appareat ipsos tales Officiales eas sigillasse. Nullus verò artifex Civitatis Pistorii,vel in ea habitans, vendens ad pondus suas merces,possit eas ponderare, nisi cum bilanciis de puncto,& nullas bilancias nisi de puncto in sua apotheca retinere possit, non obstante quòd essent sigillatæ sigillo Communis Pistorii, ad prædicta ordinato, sub pęna solidor. quadraginta den. pro quolibet,cui reperirentur,vice qualibet incurrenda, & librarum quatuor den. ei, qui bilancias aliter, quàm de puncto sigillaret. Itē nullus possit tenere stateram, vel bilanciam ad ponderandum super stassettam, nec aliquid tenere possit super aliqua bilancia, propter quod ipsa bilancia substineatur, salvo, & excepto, quòd prædicta non vendicent sibi locum pro illis, qui vendunt sal ad minutum à calamaria, nec pro ponderatoribus lini, qui habeant gabellam. Lanifices verò, approbatis dictis ordinamentis, teneantur sigillari facere eorum stateras semel, & postea ulteriùs eas sigillari facere non teneantur.

De qualitate quartinarum. Rub. LII.

Statuimus, quòd omnes quartinæ Operæ Sancti Jacobi, quibus mensurantur frumentum, blada, & alia legumina, sint, & esse debeant æquales in longitudine, & amplitudine,ita quòd nullus decipiatur in culmis, vel alia mensura dictarum quartinarum; & Operarii dictæ Operæ, sub pœna librarum decem denariorum pro quolibet eorum, & vinculo juramenti teneantur dictas quartinas facere, reducere, & colligere bonas, & æquales in longitudine, & amplitudine, ita quòd una non sit majoris tenutæ aliarum,& solummodo cum dictis quartinis dictæ Operæ, & cum aliis quibuscunque mensuris sigillatis, & coæquatis cum mensuris, & ponderibus dictæ Operæ Sancti Jacobi vendantur in Plateis Communis Pistorii, & mensurentur suprascripta blada, & legumina,& sint dictæ quartinæ de ferro. Et nullus venditor possit tenere in domo quartinam, vel mensuram, nec aliter mensurare, nisi cum quartina, & mensura ejusdem, sub pęna librarum quinque den. Et Judex Damnorum datorum teneatur quolibet mense saltem semel de prædictis inquirere, & rimari. Et mensuræ originales omnium ponderum, & mensurarum stent in Opera Sancti Jacobi, & fiant de metallo, ut perpetuò durent.

De mensuris sigillandis. Rub. LIII.

Statuimus, quòd Operarii Sancti Jacobi de Pistorio teneantur mensuras sigillare,& omnes mensuras bladi, vini, olei, calcis,& cannas pannorum laneo-

laneorum, & lineorum rectas facere, & sigillo dictæ Operæ eas sigillari facere; & si quis post bannum missum repertus fuerit vendere cum aliqua mensura non sigillata dicto sigillo,& quæ non esset ferrea,puniatur pro qualibet mensura in solidis decem den. & amittat mensuram; & nulla persona reducat, vel reduci faciat, vel teneat aliquam quartinam, mediam quartinam, vel aliquam aliam mensuram in platea mercati, & in platea Salæ sine licentia Operariorum suprascriptorum, vel propè ipsas plateas per quinquaginta brachia, sub pœna librarum quinque den. pro quolibet, & qualibet vice, & perdat mensuras, & Judex Damnorum datorum, & quilibet alius Officialis teneatur ipsos delinquentes punire, & condemnare; & quilibet vendens frumentum, vel aliquod bladum, vel legumen, teneatur facere mensurare cum quartinis Operæ prædictæ, sub pœna solidorum viginti den.

De pœna non mensurantium mensuris Communis. Rub. LIV.

ORdinamus, quòd omnes homines Districtus Pistorii, teneantur uti eisdem mensuris, & ponderibus, quibus utuntur homines Civitatis Pistorii, & non aliis, salvis pactis, & conventionibus omnibus habitis inter homines de redditibus, & affictibus præstandis; & Commune illius terræ,& qui contrafecerit, puniatur in libris decem den. & persona, quæ contrafecerit, puniatur in libris quinque den. pro quolibet, & qualibet vice.

Quòd mensuratores mensurent ad rectum Stajorum terram. Rub. LV.

PRovisum,& ordinatum est, quòd si mensuratores deceperint emptorem, vel venditorem in mensuratione terræ, deceptor restituat decepto tantundem, de quo deceptus est. Et nulla persona mensuret terram in Districtu Pistorii, nisi ad mensuram, & Stajorum Pistoriense, & hoc banniatur per Civitatem Pistorii, & personæ contrafacienti, quoties fuerit culpabilis, imponatur pœna librarum quinque, & hoc capitulum teneatur Regimen infra mensem postquam intraverit facere banniri. Et per Operarios Sancti Jacobi fiat una pertica recta, quæ stet penes eos, à qua mensuratores debeant habere perticas suas, quibus mensurent, & ipsum Regimen teneatur facere jurare omnes mensuratores terrarum Pistoriensium, quòd ipsi bona fide, & sine fraude, juxta regulas artis, & ad arbitrium boni viri mensuram facient, & si quis eorum in fraudem fuerit repertus super hoc, condemnetur in libris decem, & teneatur restituere damnum passo damna.

De mensuris tenendis per factojanos. Rub. LVI.

STatutum, & ordinatum est, quòd factojani, qui faciunt oleum, teneantur, & debeant eorum artem facere, benè, & diligenter, & cuilibet volenti facere oleum in eorum factoriis dare totum oleum, quod extraheretur de eorum olivis, bonum, clarum, arbitrio boni viri, retinendo pro factorio de decem

cem partibus unam partem, prout consuetum est. Et prædicta omnia servare, sub pęna librarum vigintiquinque den. pro qualibet vice, cujus pœnę medietas sit Communitatis Pistorii, quarta pars accusatoris (qui accusator sit publicus, & non secretus, & non sit de familia, nuncius, vel custodibus alicujus Rectoris Civitatis Pistorii, & ipse accusator dictam quartam partem denunciare debeat in Camera Communis Pistorij, prout solitum est in aliis solutionibus dictæ Cameræ) & alia quarta pars sit Officialis ipsam pęnam solvi facientis realiter in dicta Camera. Et si dicta condemnatio fieret per inventionem Notarii, vel Officialis, habeat solum quartam partem dictæ condemnationis faciendæ per eum, ut supra. Ut autē prædicta serventur per dictos factojanos, ordinamus, quòd ipsi factojani non possint aliquo modo tenere in eorum factoriis tinum, vel tinaccium, ut dicitur *delli avanzi*, in quibus mittant morchias, & alia residua, & morchias proijcere debeant extra factoria, ut non possint per ea fraudare, vel maculare oleum, quando ipsum separant, & dant partem suam illi, cujus sunt olivæ, sub pęna prædicta solvenda ut supra. Et dicti factojani in dictis infrantoriis debeant retinere mensuras bonas, & integras sigillatas sigillo Communis tenendo, de quorum genere mensurarum unam mensuram tantùm, videlicet: Unam libram, unam mediam libram, unum quartum, unum medium quartum, & sic de singulis, & non plures, sub pęna librarum quinque denariorum pro qualibet mensura, & qualibet vice reperta ultra numerum prædictum, & non sigillata, & sana, solvenda, ut supra dictum est de aliis pęnis prædictis. Item dicti factojani tenere debeāt in eorum infrantoriis solùm unam quartinam ferri, & non plures, signatam dicto sigillo Communis Pistorii bonam, rectam, & integram, cum qua debeant mensurare omnes olivas, quas recipient, in cujus vertice per diametrum sit unum ferrum in utraque parte infixum, & dum metiuntur olivas, minimè eas calcare possint. Et ad hoc, ut cognoscatur quartina cujuslibet infrantorii, factojani tenere debeant dictam quartinam, in qua sint sculptæ litteræ in hunc modum, videlicet. *Quartina di Santo Jacopo. Quartina del Ceppo*; & sic de aliis, aliorum infrantoriis, ut semper cognoscatur per Officiales factojanus, qui vadit pro olivis, de quo infrantorio est, & an alia remanserit in infrantorio contra formam prædictam, sub pœna librarum decem pro quolibet, & qualibet vice solvenda, ut supra dictum est. Et dicti factojani nullo modo possint reficere zanzam, sed ipsam proijcere debeant, adeo quòd nullo modo reficiatur, nisi si processerit de voluntate domini olivarum, sub pęna librarum vigintiquinque den. ut supra incurrenda; & factojani non possint recipere olivas pro faciendo oleo, nisi de licentia dominorum ipsarum olivarum, sub pęna librarum vigintiquinque pro qualibet vice, & teneatur socius pro socio, & dominus infrantorii pro factojano, & famulo.

De iis, ad quæ tenentur Fornacarii. Rub. LVII.

STatutum est, quòd Fornacarii teneantur facere, vel fieri facere calcem venalem ad arbitrium boni viri; item, & lateres venales ad arbitrium boni

viri;

viri; item, & lateres venales ad arbitrium boni viri, & juxta mensuram, & formam exemplarium existentium in opera S Jacobi, per eosdem Fornacarios recipiendorum ab Operariis dictæ Operæ, quæ sint ferrata juxta solitum, & sigillata sigillo à dictis Operariis determinando, aliàs pro qualibet contraventione incurrant pœnam librarum decem, applicandam pro medietate Inventori, & pro alia medietate Cameræ Communis Pistorii, sub quo inventoris nomine compræhendatur etiam Notarius, & Officialis Damnorum datorum, Minister deputatus super ponderibus, & quilibet alius inventor, & dominus fornacis teneatur pro famulis, aliisque Operariis, ac eorum quilibet teneatur in solidum. Calx verò minimè vendi possit ad mensuram, nisi aliter inter partes conventum sit, sed solummodò ad pondus; & sextarius debeat esse librarum septuaginta quinque, ponderandus statera sigillata cum sigillo Communis Pistorii, modius autem esse debeat sextariorum viginti quatuor, sub pęna, in casu cujuscumque contraventionis librarum decem, applicanda ut supra. Item sub pęna prædicta prohibetur, quòd nullus, qui per se, vel per alium fornacem exercet, possit tenere, seu vendere lateres, quadruccios, & planellas nimis, vel malè coctas, cum congruè coctis; Item, nec tegulas malè coctas cum congruè coctis; & si aliter venderentur, debeant commutari à Fornacariis cum congruè coctis, ultra dictam pęnam. Et ut prædicta serventur D. Commissarius pro tempore existens, teneatur vinculo juramenti, & sub pœna librarum vigintiquinque declaranda de tempore sui syndicatus, mittere quolibet mense suum militem socium, sive unum ex suis Notariis ad omnes fornaces, vel existentes Pistorii, vel propè Civitatem per unum milliare ad inquirendum, an prædicta ordinamenta transgrediantur per Fornacarios, intra quos, & dictum Notarium, si aliqua oriatur quæstio circa factam perquisitionem, stetur declarationi dictorum Operariorum S. Jacobi. Possit quoque Officialis Damnorum datorum, vel Judex maleficiorum, inter quos habeat locum præventio, de prædictis, & quolibet eorum cognoscere, & condemnare in pœnis supra expressis cum accusatione, & denunciatione cujuscumque delatoris, palam, vel occultè, vel per inquisitionem sine accusatione, à quorum sententiis non possit appellari, neque de nullitate opponi.

Quomodo Artifex debeat tenere stateram. Rub. LVIII.

ORdinamus, quòd omnis Artifex, & quilibet venditor, debeat tenere bilancias appensas cum staffecta, & non aliter sub pęna librarum quinque denariorum, pro quolibet, & qualibet vice.

Quod nullus habitans, vel veniens Civitatem Pistorii possit vendere per Civitatem aliquam rem. Rub. LIX.

NUllus habitans, vel veniens in Civitatem Pistorii possit vendere per Civitatem aliquam rem, ut sericum, pannum laneum, lineum, annulos aureos, vel argenteos, perlas, lapides pretiosos, cingula, corallia, nec his similia

milia, nisi primò fidejussorem dederit apud Operarios S. Iacobi de Florenis ducentis, sub pęna librarum decem pro qualibet vice, qua contraveniret, si sine fidejussione vendiderit, cujus pęnæ quarta pars sit Rectoris exigentis, quarta accusatoris, vel denunciatoris, & medietas Communis Pistorii, recipiendo dicti Operarii fidejussionem vice, & nomine, & ad petitionem eorum, quorum interest, vel interesse posset quomodolibet in futurum.

Della proibizione delle Pescagioni, Caccie, e compere de' Pesci da rivendersi. Rub. LX.

S'Ordina, e statuisce, che ne' quattro fiumi principali, cioè Ombrone, Stella, Brana, e Bure ne' luoghi proibiti farvisi secchi, non si possa pescare in modo alcuno, nè portare a vendere pesci dalla Pasqua di Resurrezione fino alla Pentecoste; E non solo ne' fiumi predetti, ma in qualsivoglia altro fiume, o Rio, non si possa in alcun tempo pescare con mazza di ferro, o martello, o sassi, o altri instromenti da intronare i pesci, nè dar calcina, malva, pasta, galla, o altre robbe da far quelli morire, essendo che per tal modo di pescare se ne spegne quasi il seme: si come si proibisce il condurre, e vender nella Città di Pistoia Ranocchi di sorte alcuna ne'mesi di Giugno, Luglio, e Agosto. E chi contrafarà in alcun de' sopraddetti casi, incorra per ciascuna volta [oltre la perdita del pesce] in pena di lire venticinque, da applicarsi un terzo all' Inventore, un terzo a chi la farà risquotere, e l' altro terzo all' Ufizio dell' Allastrico: Nessuno però ne' tempi concessi a pescare abbia ardire, o presuma comperare, o far comperare in alcun modo i pesci freschi, e nostrati per rivenderli, sotto la medesima pena, da applicarsi come sopra.

Similmente, perchè interviene l' istesso nelle Lepri, e Uccelli domestici, poiche vicini al tempo della covatura, se ne spegne quasi il seme, s' ordina, che sotto la medesima pena, & applicazione, nessuno possa dal principio di Quaresima, fino alli 22. di Luglio andare a caccia, nè pigliare dette Lepri, e Leproni, e vendergli, nè uccellare all' amore, o pigliare in altro modo, nè portare a vendere detti Uccelli di sotto nominati, fuor che ne' Nidi: cioè Fringuelli, Calenzuoli, Fregioni, Calderini, Lucherini, Fanelli, Raperini, e Zigoli, quali anco in detti tempi sono poco buoni per mangiare, e massime bastando, che si possino pigliare Tordi, Merli, Lodole di più sorte, Ortolani, & altri Uccelli simili fuori de' predetti di sopra nominati. Parimente si statuisce, che nel Contado, Montagna, e Distretto della Città, non si possa in modo alcuno, o sotto qualsivoglia pretesto appressare alle Ragnaje d'altri, nè entrare in esse di giorno, o di notte a uccellare con Archibusi, Balestre, Civette, Archetti, Pania, Frugnoli, o con qualsivoglia altro Instrumento da ammazzare, o pigliare Uccelli, nè andare a torno a dette Ragnaje con detti Instrumenti a braccia cento cinquanta Pistojesi per ogni verso, sotto pena di lire cento, e l' arbitrio da estendersi fino a tratti due di fune; Non intendendo però mai proibito il poter passare, & andare con tali Archibusi, Bale-
stre,

ſtre, & inſtrumenti ſopraddetti per le ſtrade comuni, e viottoli di paſſaggio per il ſuo viaggio, purche non ſi fermino, nè uſino detti Archibuſi, Balestre, & altro come ſopra intorno a dette Ragnaje; dichiarando Ragnaje ſolo quelle, che ſono poſte, e mantenute per tali con il ſegno delli due Stolli.

De pœna portantium vinum in cadis, vel Barilibus non ſignatis. Rub. LXI.

SAncimus, quòd quæcunq; perſona de Civitate Piſtorii, vel diſtrictu portãs, & conducens vinum, debeat illud portare in cadis, vel Barilibus ſignatis ut infra dicetur, & dictũ vinum, ſeu uvam tempore vindemiarum non poſſit conducere in Civitatẽ Piſtorii in vaſis vinariis, vulgò *tini*, *o tinelli*, ſub pęna librarum quinque den. pro quolibet, & qualibet vice de facto incurrenda, cujus pęnæ quarta pars ſit Rectoris exigentis, quarta accuſatoris, vel denunciatoris, & reliqua Communis Piſtorii. Et cados, cum quibus conduceret vinum, debeat habere ſignatos ſigillo gabellariorum portarum Civitatis Piſtorii, & qui ſint capacitatis metretarum quadraginta bonarum, & rectarum, & cum ipſis cadis vinum portet; & qui contrafecerit, puniatur in ſolidis quadraginta den. pro qualibet vice contraventionis, & credatur cadus eſſe rectus ſi ſit ſigillatus. Qui gabellarii teneãtur facere ſigillari cados vini, hoc modo, videlicèt; ſi juſti ſint, & novi, accipiant gabellam iuxta ſolitum, ſi verò novi non ſint, & nunquam fuerint ſigillati, habeant pro prima ſignatura ſolidos quatuor; poſt primam autem ſignaturam in ſignaturis ſucceſſivis cujuslibet anni, & cadi accipiant ſolidos duos, & non ultra; & ſi juſti non ſint, nullo modo poſſint ſignari, ſub pęna librarum duarum à gabellariis, & domino cadi incurrenda pro quolibet cado, Communi Piſtorii applicanda. Et dicti gabellarii Portarum pro dicto ſigillo teneantur, & obligati ſint quolibet anno dare, & ſolvere Operæ Sancti Jacobi de Piſtorio ſummam, & quantitatem librarum ſeptuaginta den. de menſe Novembris cujuslibet anni, & ſervetur omninò hoc Statutum.

De pœna apponentis aquam in vino. Rub. LXII.

ORdinamus, quòd quæcunque perſona Civitatis, vel diſtrictus Piſtorii, quæ alicui pro affictu, ſivè ex cauſa venditionis, vel coloniæ partiariæ, vinum dederit aqua mixtum, puniatur inde ab Officiali, coram quo reclamatio facta fuerit, in libris viginti denariorum, pro quolibet cado, applicandis pro tertia parte Communi Piſtorii, pro tertia Rectori exigenti, & pro reſiduo accuſatori, & damnum emendet; & ſi ſecunda vice contrafecerit, duplicetur pęna prædicta.

De puniendo injuriam, quæ fieret inter vicinos. Rub. LXIII.

STatuimus, quòd ſi aliqua querimonia facta fuerit Rectori, vel Judici ejus ab aliqua perſona Civitatis, Comitatus, & diſtrictus Piſtorii de aliquo ſuo

vicino, qui malè se gerat, videlicet, de domo ejus, vel ejus terreno, aut muro mittendo aquam, fumum, vel aliam putredinem, vel his similia in domum suam, terrenum, vel curiam, aut faciat aliam inhonestatem detinendo in ejus domibus personas inhonestas, vel aliquid aliud inhonestè dicendo, vel faciendo; Regimen, sivè Judex, cui facta fuerit reclamatio summatim cum consilio quatuor bonorum hominum, & legalium vadat, vel mittat ad videndum ipsum locum & si viderint ibidem incidenter prædicta committi, cum consilio prædictorum faciant reaptari, ita quòd vicinus damnum non sentiat, prout, & cujus expensis eis videbitur. Et ultra dictam reaptationem, de prædicta injuria possint punire pęna, eorum arbitrio (considerata facti, & personarum qualitate) imponenda.

De paleario non faciendo in Civitate Pistorii, vel propè domum alterius. Rub. LXIV.

PRovisum est, quòd palearium non fiat in Civitate Pistorii, vel burgis ab aliqua persona propè domum, vel capannam vicini, nisi cum distantia viginti brachiorum, & persona contrafaciens, puniatur in libris quatuor den. & palearium removeatur, & hoc faciat banniri Regimen.

Quòd gabellarii Portarum solvant salarium Custodibus. Rub. LXV.

IN futurum Gabellarii gabellæ Portarum Civitatis Pistorii teneantur, & debeant solvere custodias, quæ stant, seu stabunt die, noctuque ad Portas Civitatis Pistorii ad numerum consuetum, & salarium ad præsens consuetum dare custodibus prædictis.

De Custodibus secretis non faciendis per Rectores. Rub. LXVI.

ADvertentes, quòd Dominus Capitaneus, seu Commissarius Civitatis Pistorii, aliique Rectores dictæ Civitatis, dant securitatem pluribus personis debitoribus Communis, vel alicujus privatæ personæ, facientes dictos debitores custodes secretos, & propterea non possunt dicti custodes secreti conveniri, vel gravari: Ideo statutum, & ordinatum est, quòd Dominus Commissarius, vel quilibet alius Rector Civitatis Pistorii, non possint habere, tenere, vel scribere aliquem custodem secretum, vel non secretum, sed sint contenti custodibus ordinariis, videlicet Portarum, qui sunt ad Portas die, nocteque cum salario usque ad numerum consuetum. Et si plures custodes haberent, tenerent, vel scriberent, incidant in pœnam librarum quingẽtarum denariorum ab eisdem de facto incurrendam, & Cameræ Communis Florentiæ applicandam. Et nihilominus tales custodes, qui non essent de custodibus ordinariis cum salario, & ultra numerum consuetum custodum ordinariorum, non habeant securitatem, sed possint per quemlibet alium

um Rectorem Civitatis Pistorii, & ejus Curiam conveniri, capi, cogi, & gravari realiter, & personaliter ad petitionem cujuscunque, & tam in civilibus, quàm in criminalibus; & etiam quilibet custos ex prædictis non ordinariis, incidat in pęnam librarum quinque denariorum, cujus pęnæ quarta pars sit Rectoris ex gentis, quarta accusatoris, vel denunciatoris, & reliqua Communis Pistorii. Et possit de prædictis perpetuò cognosci, inquiri, puniri, & condemnari, non obstantibus quibuscunque ordinibus, Statutis, reformationibus, & consuetudinibus, usque in præsentem diem observatis.

Dell' osservanza de' Capitoli della Grascia. Rub. LXVII.

NElle differenze, che alla giornata nascessero in tutte le materie aspettanti alla Grascia, si ordina, e comanda, che in tutto, e per tutto s'attendino, & osservino li Capitoli sopra la medesima grascia esistenti nell' Opera di S. Jacopo, quali volsero, che si habbino nel presente volume per inserti, e registrati.

Explicit Liber Sextus.





LIBER SEPTIMUS STATUTORUM PISTORII



De Appellationibus. Rubrica I.



STATUTUM, & ordinatum est, quòd ad Judices appellationis, & nullitatis deputatos, sive deputandos in Civitate Pistorii de omnibus causis civilibus, litibus, & controversiis sit licitũ appellare, & de nullitate proponere ab omni sententia diffinitiva, vel vim diffinitivæ habente, & ab omni gravamine, quod non posset recenseri, nec recensendum veniret in diffinitiva, vel causa appellationis ab eadem interponendæ. Nec appellari possit a positione ad bastardellum, à concessione licentiæ generalis, à decreto concessionis tenutæ, & electione æstimatorum, nec ab eorum relatione, & aliis similibus decretis, & interlocutoriis, & pronunciationibus. Licitum tamen sit petere semel tantùm cuilibet Parti novam electionem æstimatorum, ut Judex de omnibus relationibus eam habeat rationem, ut juris sit. Et à sententiis librarum vigintiquinque, & ab inde infra appellari non possit, & in sententiis latis, & factis in causis, mercatorum, & artificum locum habeat, & servetur Statutum supra in sec. libro positum, quod de *Quæst. mercat.* tractat. Nec etiam à sentẽtiis super peremptione, & desertione instantiæ latis similiter appellari possit, & idẽ intelligatur ab interlocutoriis habentibus gravamen, quod possit reparari in diffinitiva.

Qui sint Judices appellationum, & nullitatum Civitatis Pistorii. Rub. II.

SAncimus, quòd ab omnibus sententiis latis, & ferendis per D. Commissarium, sivè ejus Judicem, vel per quoscunque alios Rectores, & Officiales Civitatis Pistorii, ejusque Comitatus, & Districtus à quocunque gravamine, quod non veniret recensendum in diffinitiva sententia, vel appellatione

tione ab eadem interponenda, appellari possit, & de nullitate proponi solummodo ad DD. Priores Civitatis Pistorii, vel ad D. Judicem Quarteriorum Sancti Joannis, & Sanctæ Mariæ Novellæ Civitatis Florentiæ, qui DD. Priores Civitatis Pistorii, seu Judex quarteriorum Sancti Joannis, & Sanctæ Mariæ Novellæ Civitatis Florentiæ, sint, & esse intelligantur de cetero Judices primarum appellationum, & nullitatum Civitatis Pistorii, ejusque Comitatus, & districtus. Et à sententiis latis per D. Capitaneum Montaneæ Superioris, & Potestates potestariarum Jurisdictionis Civitatis Pistorij, & eorum Officiales, à quocumque gravamine, quod non veniret, ut supra recensendum in diffinitiva, vel appellatione ab eisdem interponenda, appellari possit, & de nullitate proponi ad dictos DD. Priores Civitatis Pistorii, vel ad D. Judicem ordinarium Civitatis Pistorii, vel D. Judicem Quarteriorum S. Joannis, & S. Mariæ Novellæ Civitatis Florẽtinæ. Et in dictis causis primarum appellationum habeat locum præventio. Et si post præventionem præventus fecerit acta coram alio Judice, acta omnia sint ipso jure nulla, & fidem aliquam non faciant in Judicio, vel extra; & tam pars præventa, quàm Judex incidat in pœnam scutorum centum, applicandorum pro medietate Cameræ Communis Pistorii, & pro alia medietate Illustriss. DD. Consilii, & Practicæ Secretæ S. C. Realis, & ille Judex sit, & esse intelligatur præventus, coram quo priùs fuerit exhibita appellatio prævia citatione Partis; & cognitio de tali præventione in casu discordiæ, spectet ad dictos Illustriss. DD. Consilii, & Practicæ Secretæ S. C. Realis, ita quòd si per aliquem Partium fuerit appellatum ad DD. Priores Civitatis Pistorii, ipsi intelligantur Judices primarum appellationum quoad dictam causam, & appellari non possit ab eadem sententia, vel gravamine ad D. Judicem ordinarium Civitatis Pistorii, vel ad dictum D. Judicem Quarteriorum S. Joannis, & S. Mariæ Novellæ Civitatis Florentiæ: & similitèr è converso, si primò appellatum esset ad dictum D. Judicem Quarteriorum S. Joannis, & S. Mariæ Novellæ Civitatis Florentiæ, ille intelligatur esse, & sit quoad dictam causam Judex primarum appellationum, quo casu quoad dictam causam ad D. Iudicem Civitatis Pistorii, vel ad DD. Priores Civitatis Pistorii appellari non possit. Et dictus Dominus Iudex Civitatis Pistorii, vel dicti Domini Priores causà dictæ appellationis teneantur, & debeant in omnibus, & per omnia primò, ut ex forma Statutorum disponitur, procedere, & unicuique justitiam administrare, & singulis diebus dictus D. Iudex ordinarius teneatur, & debeat sedere ad bancum Iuris pro Tribunali positum in sala inferiori in Curia dicti D. Commissarii, pro jure reddendo in dictis causis de mane, vel de sero iuxta formam Statutorum, quando Campana pulsatur ad Ius reddendum, & unicuique ad ipsum Iudicem accedere volenti de se copiam facere, & in prædictis sollicitè Ius reddere, & administrare, & Statuta Communis Pistorii servare, sub pœna librar. 200. den. pro qualibet vice, qua contrafecerit, ab eodem incurrenda, & pro medietate, Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, & pro alia, Communi Pistorii applicanda, pro quibus possit etiam in Syndicatu condemnari. Et ad scribendum acta dictarum primarum appellationum, & nullitatum tam primarum, quàm

secun-

secundarum appellationum ventilandarum, tam coram dicto D. Iudice ordinario, quàm coram dictis DD. Prioribus, sint, & esse intelligantur electi, & deputati actuarii Notarii causarum civilium Cõmunis Pistorii, qui pro tempore residebunt, absque alio salario percipiendo à Communi Pistorii, excepto eo, quod de scripturis eis permissum est per formam Statutorum Communis Pistorii. Et DD. Priores Civitatis Pistorii, & DD Iudices de Rota Civitatis Florentiæ sint, & esse intelligantur Iudices secundarum appellationum, & nullitatũ à sententiis latis per D.Capitaneũ Montaneæ superioris, & Dominos Potestates, & eorum Officiales Iurisdictionis Civitatis Pistorii, quando primò fuerat appellatum ad D. Iudicem ordinarium Civitatis Pistorii; & si à dictis sententiis fuisset primò appellatum ad DD. Priores Civitatis Pistorii, tunc D. Commissarius, & ejus Iudex Civitatis Pistorii, & DD. Iudices de Rota Civitatis Florentiæ sint, & esse intelligantur Iudices secundarum appellationum, & nullitatum à prædictis sententiis. Qui D. Commissarius, & ejus Iudex, (quando non est Iudex, & eadem persona, quæ primam sententiam tulerit,) & dicti DD. Iudices de Rota, sint, & esse intelliguntur Iudices secundarum appellationum, & nullitatum Communis Pistorii, ejusque Comitatus, & Districtus, ad quos appellari possit ab omni sententia diffinitiva, & à quocunque gravamine vim diffinitivæ habente, vel quod non posset recenseri in diffinitiva sententia. Et in prædictis etiam habeat locum præventio, sub nullitate actorum, & pœna, ut supra dictum est. Et dictus Judex ordinarius, & dicti DD. Priores in dictis causis secundarum appellationum, teneantur, & debeant in omnibus, & per omnia procedere, prout, & secundùm quòd per formam Statutorum disponitur, & unicuique Iustitiam administrare, & singulis diebus juridicis sedere ad bancum Iuris solitum, & consuetum, & Statuta qualibet Civitatis Pistorii servare, sub pęnis, ut supra dispositum fuit. Cuilibet autẽ Partiũ in qualibet causa liceat, & licitũ sit appellare semel tantùm, & de nullitate dicere, & non ampliùs, ita quod, si prima sententia per D. Iudicem primarum appellationum, & nullitatum confirmata fuerit, non possit ulteriùs appellari: Si verò non fuerit in totum, vel in parte confirmata, eatenus, quatenus confirmata non fuerit, appellari possit, & de nullitate dici ad Iudicem secundarum appellationum, & à sententia secundarum appellationum nullo modo appellari possit, vel de nullitate dici.

De modo procedendi in appellationibus. Rub. III.

QUando quis appellaverit à sententia diffinitiva, vel à gravamine diffinitivæ vim habente, debeat citare appellatum ad videndum præsentare appellationem, & Iudex appellationum, & nullitatum prædictarum, qui causas appellationis debet recipere, quæ in præcedentibus dictæ sunt, appellatione recepta (quam omninò recipere teneatur, sub infrascripta pęna) die productionis appellationis, vel sequenti teneatur, & debeat denunciare, notificare, & inhibere tali Officiali, à cujus sententia, vel præcepto fuerit appellatum, ut nulla novitas, vel nihil novi fieret contra ipsum appellantem, seu

in

in processibus, qui fierent contra appellantem prædictum, & si secus, vel ultra, vel contra per ipsum Officialē factum fuerit, postquā ei fuerit denunciatum, non valeat, & non teneat ipso jure. Et dictus Commissarius, Rector, vel Officialis, incidat ipso facto in pœnam librarum quingentarum denariorum, applicandam pro dimidia Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, pro quarta parte Cameræ Communis Pistorii, & pro altera quarta parte accusatori, vel denunciatori, & nihilominus Pars contrafaciens cadat à jure suo, & Iudex ad quem committat, ut citetur appellatus, quod ipsa die citationis, vel sequenti juridica post diem præsentationis appellationis, compareat coram eo ad accipiendum copiam appellationis si velit, & eo casu appellato non comparente, eidem notificetur assignatio dicti termini. Et si contigerit quæstionem oriri inter partes, an potuerit appellari, vel non, vel de aliquo alio, quod habeat enervare appellationem, vel nullitatem; ipse Iudex appellationis super tali quæstione teneatur pronunciare secundùm consilium sapientis, quod consilium petitum intelligatur, nisi partes concordarent, & renunciarent eo modo, & forma, prout infra de alio consilio disponitur, seu consentirent in Assessorem Dominorum Priorum, qui pro decisione quæstionis prędictæ habeat libras duas denariorum deponendas à Partibus, reficiendas in casu victoriæ, prout infra de salario Consultoris dicetur, & quousque dicta quæstio non fuerit terminata, non currant tempora instantiæ appellationis, & ille, contra quem pronunciatum fuerit in dicta causa, condemnetur in triplum expensarum factarum per Partem adversam, in cujus favorem pronunciatum fuerit, à qua condemnatione tripli nequeat absolvi, nec per relationem Consultoris, nec à Iudicibus appellationum, aliàs absolutio sit ipso jure nulla, & præcisè teneatur ad refectionem tripli expensarum, quæ quidē pęna tripli habeat etiā locum in Iudicio, & controversia peremptionis instantiæ. Et ille, qui opposuerit non esse locū appellationi, teneatur intra mensem præcisè non autem intra quadraginta quinqдies, prout disponitur in Consultore articuli principalis, articulū prædictum decidi facere, & elapso d. termino instantia causæ principalis prosequatur, & opponens intelligatur, & sit condemnatus in libris vigintiquinque den. applicandis pro dimidia Fisco Communis Pistorii, & pro quarta parte Rectori, & pro alia quarta alteri Parti; Elapso verò termino ad opponendum dictæ appellationi si fuerit oppositum, vel non, succedant termini ad probandum, & alii termini ad alia faciendum, qui in prima instantia sunt assignati ex dispositione Statutorum, si appellatum fuerit ad Magnificos DD. Priores, & Vexilliferum Iustitiæ, sufficiat, quod appellatio præsentetur coram eorum officio, in quovis numero congregato, etiam si unus tantùm congregaretur, & quæcunque acta facienda in tali causa, porrigantur Notariis causarum civilium, qui in hujusmodi causis sint actuarii, nec requiratur necessariò præsentia DD. Priorum, & Vexilliferi Iustitiæ, sed pro legitimè præsentatis habeantur acta prædicta, si sub nomine Prioratus eidem Notario porrigantur cum citatione, aut præsentia Partis adversæ. Quod si contigerit in dicta causa coram dictis Dominis Prioribus examinari testes, examen fiat cum præsentia Assessoris, vel Notarii Dominorum

Prio-

Priorum pro tempore existentis, & per ambos si partes voluerint. Si verò aliqua partium haberet Assessorem, vel Notarium suspectos, Domini Priores eligant alium Iurisperitum, vel alium Notarium neutri parti suspectum, qui interveniat examini una cum Notario, vel Assessore, & habeant singuli dicti Examinatores pro quolibet teste, quantùm Iudici primæ instantiæ pro examine solvitur, & alter ex Notariis causarum civilium scribat depositiones testium. Et in causis prædictis intelligatur à Partibus consilium sapientis petitum in termino dato ad allegandum, & consilium sapientis petendum, de quo sit mentio supra in Rub. *De modo procedendi in ciuilibus lib.* 2. nisi partes cōsentirent in Iudicem appellationis, quod ipse ferat sententiam, vel in Assessorem, quando causa appellationis coram Dominis Prioribus penderet, nam eo casu, quando consentirent in Assessorem, ipse intelligatur Consultor, & Iudices appellationis, Consultori, & Nuncio, qui acta portare debet, teneātur taxare salarium inspecta qualitate causæ, & personarum, & Domini Priores faciant hanc taxationem cum præsentia, & voto eorum Assessoris, & si qua ex Partibus legitimè requisitis intra duos dies continuos sibi assignandos per Iudices appellationis salarium taxatum non deposuerit penès alterum ex Notariis actuariis, cadat à jure sententiæ, instantiæ, & processus primæ instantiæ, & nihilominus omnibus juris remediis, etiam multa indicta, & pignoribus captis ad requisitionem alterius Partis deponentis cogatur ad deponendum. Et Consultor electus habeat ad referendum tempora expressa in dicta Rubrica *De modo procedendi in ciuilibus*, & sententia in dictis causis ferri debeat omninò juxta formam consilii per Consultorem redditi, & aliter lata nullius sit effectus, quòd si Judices appellationis nollent sedere, vel sedendo recusarent proferre sententiam juxta dictum consilium, intelligantur incurrisse in pœnam scutorum quinquaginta auri in auro, applicandam pro dimidia, Parti requirenti, & insistenti, pro quarta parte Communi Pistorii, & pro alia quarta parte Rectori illam exigenti, & nihilominus aperiatur consilium, & sententia intelligatur, & sit legitimè lata in termino, & ultima die, & hora instantiæ. Et tempora instantiæ appellationis, quando appellatio interposita est à meritis causæ, durent quantùm juxta formā Statutorū durant tempora primæ instantiæ. Si verò appellatio est interposita ab aliquo incidenti, vel emergenti [excepto articulo, an appellatio sit admittenda, in quo statutus fuit terminus unius mensis continui] in dicto casu instantia appellationis habeat terminum viginti quinq. dierum utilium, & hoc procedat in causis, quæ in prima instantia haberent terminum quinquaginta dierum utilium. In causis verò executivis, & omnibus aliis habentibus in prima instantia terminum viginti quinque dierum utilium, vel minorem terminum, tunc instantia appellationis ab incidenti, vel emergenti duret quantum secundùm formam Statutorum durat prima instantia. Et instantia appellationis tam quando appellatio est interposita à meritis causæ, quàm quando est interposita ab aliquo incidenti, vel emergenti, incipiat à die primæ citationis, & præsentationis appellationum prædictarum exclusivè, & quando appellatio penderet coram DD. Prioribus, & Vexillifero justitiæ in decisione emergentium in dicta causa occur-

 ren-

rentium procedant cum voto Assessoris, cui à Partibus solvantur solidi quadraginta pro quolibet articulo emergenti per eum referendo, nisi allegaretur suspectus, quo casu, loco ejus in illa causa, alius ex bursa Assessorum extrahatur neutri parti suspectus.

Per quas personas, & quo loco possit appellari. Rub. IV.

STatutum est, quòd si contra aliquem est lata sententia, vel præceptum factum, vel gravamen illatum, eo modo, quo supra in præcedentibus dictum est, non solùm ille, contra quem lata, seu latum est, sed etiam ejus Procurator, & omnibus nominibus, quibus de jure permittitur, & quorum interest, & eis liceat, & licitum sit appellare, & de nullitate proponere, & appellationem interponere sicut ipsa principalis persona. Appellatio verò non interponatur, ut olim practicabatur cum magno Appellantium dispendio, juxta dispositionem veteris statuti, sed infra decem dies juridicos à die notificationis sententiæ, debeat eodem tempore sine instrumento interponi, & præsentari coram Judice, ad quem, cum simplici scriptura, in qua contineatur quicquid appellans exprimere voluerit.

Quòd in causis nullitatis procedatur, ut in causis appellationis. Rub. V.

PRovisum, & ordinatum est, quòd in causa nullitatis in civilibus, de quibus possit haberi recursus ad supradictos Iudices appellationis, & nullitatis; possit, & debeat procedi, & in eodem tempore proponi, & terminari, & dilatio assignetur, & in omnibus, & per omnia procedatur, prout supra proceditur in causis appellationum, & eo modo, & forma servata, & infra eadem tempora debeant terminari.

De appellationibus in causis criminalibus, & mixtis. Rub. VI.

STatutum est, quòd à sententiis latis in causis criminalibus pecuniariis, vel corporalibus, nullo modo appellari possit, sed haberi debeat recursus ad Suam Celsitudinem, vel ad Clarissimos Dominos Consilii, & Practicæ secretæ ejus Serenitatis deputatos super rebus Pistorii infra decem dies à die latæ sententiæ. A sententiis verò latis in causis mixtis, vel damnorum datorum, appellari possit ad Magnificos Dominos Priores, & Vexilliferum Justitiæ, seù ad Judicem Quarteriorum Sancti Ioannis, & Sanctæ Mariæ Novellæ, prout in causis merè civilibus, & prout etiam disponitur per formam Statutorum Pistorii. Et quilibet condemnatus, exceptis causis suprascriptis mere criminalibus, possit appellare eo modo, quo supra disponitur in causis civilibus Rub 4. Et Judex appellationum prædictarum teneatur appellationem ipsam recipere præcisè reservato in diffinitiva, utrum dicta appellatio fuerit recipienda, vel non, sub pęna librarum quinquaginta denar. pro vice qualibet à contrafaciente incurrenda tempore sui syndicatus; Et teneatur, & debeat appellans

pellans ipsa die productionis, vel saltem sequenti die per cedulam continentem substantiam appellationis, & sententiæ, à qua fuit interposita notificare Judici, qui condemnationem fecerit, & Fiscali Civitatis Pistorii, qui teneatur in causis appellationum hujusmodi interpositarum à sententiis latis, & condemnationibus factis, Jura communis defendere, quam notificationem dimittere teneatur, si eos Nuncius publicus non reperierit affixam ad ostium Curiæ D. Commissarii. Et supradictus Fiscalis comparere teneatur coram dicto Judice appellationis infra terminum trium dierum juridicorum ad excipiendum, & opponendum, & infra terminum instantiæ causarum mixtarum debeat dicta causa appellationis expediri, aliàs sententia prima firma sit, ac si ab ea non fuisset appellatum, & in prædictis procedatur summariè, sine strepitu, & figura Judicii. Et si contigerit aliquam sententiam Judicis maleficiorum, vel damnorum datorum infirmari, debeat in ea inseri causa dictæ infirmationis. Et in futurum unicuique condemnato in pœnam mortis, vel mutilationis alicujus membri, intelligatur ipso jure assignatus terminus decem dierum proximè futurorum à die notificationis faciendæ ad omnem ejus defensionem quomodolibet faciendam, & recursum habendum, ut supra, cui termino non possit per dictum condemnatum quoquomodo renunciari, & quod in contrarium fieret, non valeat, & non teneat ipso jure. Qui terminus decem dierum eidem notificari debeat à Notario maleficiorum die immediatè sequenti post dictam condemnationem, & die immediatè sequenti postquam fuerit captus pro condemnatione prædicta. Et quilibet Rector, & Officialis, qui ante dictum terminum decem dierum fecerit aliquam executionem prædictorum condemnatorum, & contra dictos condemnatos incidat ipso facto in pœnam ducatorum mille auri in auro largorum, applicandorum pro dimidia Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, pro quarta parte Cameræ Communis Pistorii, & pro residuo accusatori, vel denunciatori, de quibus possit perpetuò cognosci, & judicari, non obstantibus in contrarium quibuscumque, salvis casibus supra exceptis, & in Statuto sub Rubrica de Off. Iud. malef. lib. quinto expressis.

Quod pendente termino quo appellari possit, nulla fiat executio per Judicem primæ causæ. Rub. VII.

AD hoc, ut tollatur materia querelandi, quòd jus non fuerit sibi observatum propter nimis properè executionem factam. Statutum, & ordinatum est, quòd illo medio tempore dato ad appellandum, & interponendum appellationem à sententia, à qua possit appellari, & de nullitate proponi, Iudex causæ principalis exequi non debeat suam sententiam, nec aliquam facere novitatem contra talem, contra quem fuerit lata sententia, vel ejus bona, nec etiam postquam fuerit appellatum, vel de nullitate propositum, & si secus fieret, non valeat ipso jure, & Judex contrafaciens, incidat in pęnam librarum quingentarum den. applicandam pro dimidia parte Conservatoribus Legum Civitatis Florentiæ, pro quarta parte Cameræ Cõmunis Pistorii,

& pro residuo accusatori, vel denunciatori, quibus Conservatoribus dicti contrafacientes sint suppositi. Ille verò, ad cujus petitionem fieret, cadat à Jure processus, & sententiæ, & incidat in eandem pęnam. Possit tamen, si sententia fuerit de fructibus, & rebus mobilibus, eas facere sequestrari, & accommodari penès idoneam personam causa custodiæ, & rei servandæ, ut illi dentur, qui appellationis victoriam reportabit.

Quòd quilibet Rector Ciuitatis Pistorii patiatur sibi fieri protestationes. Rub. VIII.

SAncimus, quòd Capitaneus, seu Commissarius, Potestas, & quilibet alius Officialis Civitatis, Comitatus, & Districtus Pistorii, & quilibet de eorum, & cujuslibet eorum familia teneantur, & debeant pacificè, & quietè, absque aliqua læsione alicujus, vel injuria illata in aliquem pati, quod si protestetur, & denuncietur de jure, & juribus cujuscunque, & si contra, vel secus fieret, ipsi, vel aliquis eorum, seu aliquis de sua familia, puniatur, & puniantur in libris quingentis den. per Syndicum, qui eos syndicabit, & pro qualibet vice, qua contrafecerint, pro quolibet eorum.

Quòd Rectores, & Officiales Ciuitatis Pistorii teneantur seruare Statuta. Rub. IX.

